Digitized by Google

*31. K. 30.

MENTEM ALIT ET EXCOLIT

K.K. HOFBIBLIOTHEK
ÖSTERR. NATIONALBIBLIOTHEK

*31.K.30

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

ACTA ERUDITORUM

ANNO M DC LXXXX

publicata,

ac

SERENISSIMO PRINCIPI AC DOMINO

DN. RUDOLFO AUGUSTO,

Brunſvicenſium ac Lüneburgenſium DUCI,

DICATA.

Cum S. Cæſareæ Majeſtatis & Potentisſimi Electoris Saxoniæ Privilegiis.

LIPSIÆ.

Proſtant apud J. GROSSIUM & J. F. GLEDITSCHIUM.

Excuſa typis CHRISTOPHORI GUNTHERI.

Anno M DC LXXXX.

Digitized by Google

Digitized by Google

SERENISSIMO PRINCIPI

AC DOMINO,

DN. RUDOLFO AUGUSTO,

Brunſvicenſium & Lüneburgenſium

DUCI,

DOMINO SUO CLEMENTISSIMO

Perpetuam Felicitatem Precantur

ACTORUM ERUDITORUM

COLLECTORES.

E*Ramus in eo, SERENISSIME PRINCEPS, ut Actis Eruditorum properantis ad finem anni colophonem imponeremus; quando librorum, qui Bibliothecæ a SERENISSIMA CELSITUDINE VESTRA ſapientisſimo conſilio in uſus*

):(2 *quoti-*

Digitized by Google

quotidianos adornata partem conſtituunt, Catalogus inexpectatus plane ad manus pervenit noſtras, ſimulque admirationem in nobis haud levem excitavit. Equidem, SERENISSIME DUX, præter virtutes Heroicas alias, illi dignitatis faſtigio, in quo natalium ſplendor & Divini vis animi Te collocavit, convenientes, & ſublimiore multo quam hoc a nobis loco, nec ſic tamen digne ſatis deprædicandas; Eruditionem Tuam ſummam & in optimarum artium ſtudia eorumque cultores affectum propenſiſſimum, Sereniſſimæ Domui Veſtræ (quod non Tuum ſolum, PRINCEPS ERUDITISSIME, ſed Divi quoque Parentis AUGUSTI, & Sereniſſimi Fratris ANTONII ULRICI illuſtriſſima exempla abunde comprobant) proprium velut ac hæreditarium, cum Orbe Erudito dudum ſuſpexeramus. Neque ignota nobis eſſe poterat Bibliotheca Auguſta, *ab immortalis memoriæ Parente Tuo condita, cujus* admiranda *jam dudum doctiſſimus ille veſter* Hermannus Conringius *elegantiſſima ad Boineburgium Epiſtola prodidit; eamque unam putaveramus aluiſſe hactenus familiare illud ſuaviſſimumq; EXCELSITUDINIS VESTRÆ cum Muſis commercium. Privatum vero præterea librorum utiliſſimorum theſaurum a CELSISSIMA SERENITATE VESTRA collectum fuiſſe, id quidem plane a nobis ignoratum hactenus, nulli diſſimulamus. Tanto magis autem,*

DOMI-

DOMINE CLEMENTISSIME, amor Tui devotiſſimus exarſit in nobis omnibus, quanto certius indicium capere vel ex illo jam edito Bibliothecæ iſtius ſpecimine potuimus, quam incredibile Tuum ſit ac plane inuſitatum ea in re ſtudium. Nec eſſe quicquam in eo majori nobis venerationi poterat, quam induſtriam videre occupatam in illis præcipue monumentis conquirendis ac ſolicite conſervandis, quæ ad Eccleſiæ pertinent repurgationem, B. Lutheri noſtri miniſterio, ſed ipſius Divini Numinis auſpicio peractam. Verum ea de re fortaſſe dilucidius, & quantum inſtituti noſtri ferebat ratio, in ipſo Catalogi recenſu ſuo loco diximus. Ex quo & occaſionem oportunam offerri nobis ſumus arbitrati, hæc Eruditæ Gentis Acta, quibus non antiquam quidem, ſed recentisſimam rei litterariæ hiſtoriam illuſtratum pro virili imus, SERENITATIS VESTRÆ Celſisſimo Nomini devotisſimo cultu conſecrandi. Principi enim, qui ingenuarum artium ac litteraturæ univerſæ ſtudia tanto favore complectitur, quominus pietatem noſtram ac debitam venerationem publice, argumento utut levidenſi, teſtatam relinqueremus, impetrare a nobis minime potuimus. Accipe ergo, SERENISSIME PRINCEPS, manu gratioſisſima, qua tot inſignes omnique eruditione refertos libros perluſtraſti per omnem ætatem, hunc quoque libellum quem devotisſima mente offerimus, quemque vel eo nomine non plane ingra-

Menſe hujus anni Decembri pag. 601.

tum Tibi ſore confidimus, quod Vir Per-Illuſtris Vitus Ludovicus a Seckendorff, *Eques Francus, eorum quos SERENISSIMA CELSITUDO VESTRA Principali gratia ac benevolentia ſingulariori dignatur, minime poſtremus, in honeſtisſimo illo, quo poſt exantlata in Aulis Principum amplisſima munia, nunc fruitur otio litterato, Actis hiſce componendis non ſtrenuam tantum manum admovet, ſed præcipuum etiam (ſi quo gaudent) decus atque ornamentum conciliat. Quod ſupereſt, Deum veneramur ſupplices, ut orthodoxæ ac ſalutiferæ, quam toto pectore, PRINCEPS PIENTISSIME, foves, tueris, modisque omnibus ornas, Religioni perennem cultum ac libertatem intemeratam præſtet; utque inter Evangelicos Reges ac Principes, Serenisſimas cumprimis Saxonicam ac Brunſvicenſem Domus, concordiam illibatam omnique ex parte inconcuſſam tueatur: Tibi vero, PRINCEPS OPTIME, ingraveſcente jam ætate valetudinem integram, annosque Divi Parentis Tui, imo Neſtoris, magno Eccleſiæ, Sacri Romani Imperii, bonarum denique litterarum commodo clementisſime largiatur.*

Dab. Lipſiæ Calendis Decembris
A. M DC LXXXX.

Lectori

Lectori Benevolo Salutem!

NOvem jam anni ſunt, ex quo Acta hæc Eruditorum cœpimus componere; neque adhuc ea laboris illius cepit nos ſatietas, quin eodem decimum quoque ſimus occupaturi. Tum vero completum opus quodammodo videri poterit, Decennalem rei litterariæ hiſtoriam complexum: inprimis ubi & Supplementorum tomus fuerit abſolutus, & Index, qualem deſiderarunt hactenus non pauci, rerum in his Actis obviarum generalis acceſſerit. Ac Supplementorum quidem ſex jam prodierunt Sectiones, quas ſeptima propediem, quinque reliquæ ſucceſſu temporis ſequentur, ut in eundem referri Indicem Tomi illius Supplementorum non minus, quam Decennii Actorum integri contenta poſſint. In concinnando autem Indice Viri cujusdam doctisſimi ſtudium ita verſatur, ut ampliſſimus ille futurus ſit, Lectorumque votis abunde ſatisfacturus: quin & libros illos, qui intra hoc Decennium editi in lucem ſunt, nec ad nos tamen pervenerunt, in exoticis vero Eruditorum Diariis, Pariſienſi, Parmenſi, aut Hollandicis recenſi deprehenduntur, ex iisdem indicaturus. Cæterum dum id agimus, ut Decennii illius Litterati Hiſtoriam ad umbilicum perducamus, unum ſupereſt, quod illos cumprimis, quorum lucubrationes vel recenſuimus jam hactenus, vel anno proximo recenſebimus, rogandos omni ſtudio exiſtimamus. Nimirum dubitamus nulli, quin & Auctorum mentem alicubi non perſpicue ſatis expreſſerimus, & ſubinde ſeu feſtinatione quadam, ſeu incuria (ut fieri ſolet) erratum a nobis fuerit. Capiat, quicunque volet, laboris experimentum ſimilis, & deprehendet procul dubio, quam facilis in eo lapſus ſit, inprimis ſi non totum inſtituto tali ſe addixerit. Nos

vero

Digitized by Google

vero qui Actis hiſce colligendis hactenus incumbimus, publicis muneribus diſtinemur, certe negotiis aliis non minimis, quæ libris novis perluſtrandis & excerpendis non niſi ſubceſivas nobis horas indulgent. Præter hoc, quantum difficultatis habeat, quæ ab Auctoribus prolixe & nonnunquam obſcure ſatis tradita fuerunt, paucis verbis ſic complecti, ut plana tamen & perſpicua maneat relatio, norunt omnes. Quapropter, cum humani cenſeamus nihil a nobis alienum, perquam officioſe rogatos Lectores omnes volumus, ut ſi quæ in hiſce Eruditorum Actis errata, ſeu in aliorum, ſeu in ſuismet libris recenſendis admiſſa obſervaverint, de iis candide per litteras admonere nos nec vereantur nec graventur, paratiſſimos & emendare quæ peccata forſan fuerint, & clarius ediſſerere quæ obſcurius dicta videbuntur. Cui quidem rei in generali, quem molimur, indice non poterit non patere locus. Denique cum *Acta* hæc *Eruditorum Lipſienſium* a non paucis dici animadverterimus, ambitionis hujus, ac ſi pro *Eruditis* ſolenni illo elogio noſmet venditemus, ſuſpicionem omnem deprecamur. Acta colligimus, non noſtra, ſed Eruditorum Virorum per Europam omnem diſperſorum; perinde ut Lucas, etſi non Apoſtolus, Apoſtolorum tamen Acta nobis concinnavit, & doctiſſimi e Societate Jeſu Viri, qui edendis Antverpiæ Sanctorum Actis navant operam, ut pro Sanctis ipſi ſuperſtites habeantur, a nemine requirunt. Ita vale, Lector Benevole, & inſtituto noſtro favere non deſine.

ACTA

Digitized by Google

ACTA ERUDITORUM

publicata Lipſiæ

Calendis Januarii Anno M DC LXXXX.

EXPLICATION DE QUELQUES DIFFICULTEZ ſur les prieres de la Meſſe, à un nouveau Catholique, par Meſſire Jaques Benigne Boſſuet, Eveſque de Meaux &c.

id eſt,

Jacobi Benigni Boſſueti Epiſcopi Meldenſis, Conſiliarii Regii, Præceptoris olim Delphini Sereniſſimi, Regiæque Nurus Eleemoſynarii primarii, Explicatio difficultatum quarundam in precationibus Miſſæ, ad novitium quendam Catholicum directa.

Lutetiæ, apud viduam Sebaſtiani Mabre-Cramoiſy, & venditur Hagæ Comitum apud Adrianum Moetjens, 1689, in 12.

Conſtat plagulis 11.

NOndum ceſſat Prælati hujus pro ſua Eccleſiæque ſuæ ſententia zelus. Proſtrata funditus videtur Reformata in Galliis Eccleſia; ejecti ſunt Doctores & Paſtores; præcluſa exiſtimatur omnis ad erigendos reducendosque, qui magno numero defecerunt, via: Metuit tamen Epiſcopus, ne prioris religionis deſiderio teneantur adhuc & ſcrupulis inquietentur novitii, quos vocant, Catholici. Confirmare hoc vult omni, qua pollet, argumentandi ſolertia, & eloquii ſuavitate. Scit, poſt principium illud, quo ſtat caditque res Romana, *autoritatem* nempe *Cleri*, arcem & Palladium ejusdem religionis eſſe *Miſſam*. Hanc igitur in hoc tractatu defenſum it, argumentis quidem non prorſus novis, ſed ſpecioſiſſime inſtructis; etſi anguſtiorem titulum tractatui ſuo

 tribuit

Digitized by Google

tribuit *de precibus miſſaticis*, a difficultatibus quibusdam, quibus laborare videntur, liberandis. Notum eſt controverſiarum peritis, *Miſſam*, qua ſacrificium eſſe ſtatuitur, præter tot alias objectiones, ex ipſis quoque Liturgiæ formulis, ſive, quem vocant, *Canone* oppugnari conſueviſſe. Fecit id ante alios *Lutherus*, publicato A. 1523 libello brevi quidem, ſed acri, *de abominatione Canonis Miſſæ*, qui Latine ab alio verſus extat *Tomo II.* Lat. Wittenb. folio 419. *primæ* & folio 387. *ſecundæ* editionis. Tentarunt idem innumeri pene ſcriptores, tam *Auguſtanæ Confeſſionis*, quam *Reformati*, & inter hos ex Gallis recentioribus *Albertinus* & *Larroquanus*, viri apprime docti & celebres, quos nominat & refutare conatur hoc libello Epiſcopus.

§. I. p. 1. Diſtribuit eum in paragraphos, & primo ſiſtit quendam ex Neophytis, qui objectiones ex precibus Miſſæ format, non multum diſſimiles iis, quas Lutherus ex *Canone* collegit. De hoc nimirum, ſive de precatione, quæ incipit *Te igitur*, potiſſima eſt diſquiſitio: quæ enim hanc præcedunt lectiones & pſalmodiæ, ex ſacris literis deſumtæ ſunt, & quædam orationum formulæ parum habent controverſiæ, ita ut etiam a Luthero retentæ & Germanice verſæ ſint. Summa ergo diſputationis de illis eſt formulis, quibus Sacerdos, Miſſam celebrans, elementa panis & vini transformare & *transſubſtantiare* vult in corpus & ſanguinem Domini, & inde ſacrificium ſive oblationem facere pro vivis & mortuis. Hunc ritum & cultum pro tali venditat Romana Eccleſia, quem Apoſtoli tradiderint, & qui per tot ſecula continuatus, pro neceſſario, ſanctiſſimo & auguſtiſſimo haberi debeat. Pro hujus enim retentione, propagatione & reſtitutione, non verbis modo & ſcriptis, ſed manu etiam & viribus omnium Regum & populorum, quos obſequentes habet, depugnat, non ſine cæde & ſanguinis effuſione. Qui vero *Miſſam* ſuſtulerunt, eos profanos habet & impios, quantumcunque alias vel probitatis in moribus, vel eruditionis in literis oſtendant: nec ad evitandam peſſimæ & abominabilis hæreſeos notam juvat, quod ſecundum *præceptum* Salvatoris noſtri ſacra cœna apud eos celebratur. Sacrificium nempe clamat urgetque Clerus Romanus & quicquid ex illo præſuppoſito & agnito ſimul agnoſci & admitti debet. Dein præſentiam Chriſti in pane, quem olim *oblatam* & *hoſtiam* vocarunt, non ſolum in actu

IV. diſtributionis & perceptionis, ſed & extra eum aſſerit. Adducit ita-

que

Digitized by Google

que ad eundem finem Autor noſter verba Canonis, quæ ſunt: *Quam oblationem tu, Deus, in omnibus queſumus benedictam, adſcriptam, ratam, rationabilem, acceptabilemque facere digneris, ut nobis corpus & ſanguis fiat dilectiſſimi filii tui Domini Jeſu Chriſti*; iisq; hæc ſubjungit: *Dicimus corpus & ſanguinem* nobis fieri *eo ſenſu, quo ſcriptum eſt Jeſ. IX, 6.* parvulus natus eſt nobis, puer datus eſt nobis; *non ut ſignificetur, quod Miniſtri* (Reformati) *pretendunt, ſacra ſymbola ſolum in tempore perceptionis fieri corpus & ſanguinem*; (an hæc illi dicant, & quo ſenſu, disquiri poſſet:) *ſed ut comprehendamus, quod nobis & pro nobis facta ſint in hoc myſterio, eadem ratione uti pro nobis concepta ſunt & formata in utero beatæ Virginis. Intelligi itaque hic debet ſpecies productionis corporis & ſanguinis in Euchariſtia, æque vera & æque realis, ac quæ facta eſt in utero Virginis, in momento conceptionis & incarnationis filii Dei. Hæc productio dat ei quodammodo novam exiſtentiam, per quam adeſt in S. menſa, tam vere, quam fuit in ſinu Virginis, & quam vere nunc eſt in cœlo. Itaque verbo fa*cere *utimur, ut veram, phyſicam & realiſſimam actionem denotemus, quæ terminatur, ut fiat verum corpus & verus ſanguis, idemque quod factum eſt in ſinu Mariæ.* Addit quædam ex Liturgia Græcorum & eorum oratione, qua petunt, ut virtute Spiritus Sancti panis & vinum eadem ratione mutentur, qua Chriſtus conceptus eſt in utero; idemque ſtatui dicit ab Eccleſia Latina. Reſtringit hoc alibi (§. XVII.) ut dicat, hanc productionem ſolum fieri ad eum finem, ut Chriſtus hoc modo in pane & vino conceptus, a Sacerdote miſſificante conſumatur, quemadmodum ſacrificia conſumi olim oportuit, ſive ab igne, ſive a veſcentibus. Hoc ſtante, omnibus occurri poſſe putat difficultatibus; id quod ex brevi ſingulorum paragraphorum (huc usque enim ſummam ſententiæ expoſuimus) relatione intelligetur.

§. V.

§. VI.

Agit ab initio de nomine *Miſſæ*, idemq; eſſe dicit ac *miſſionem*: Ita vero appellari obſervat ſacrificium Miſſaticũ a proxime illud olim præcedente *miſſione* vel dimiſſione, catechumenorum nempe, pœnitentiũ & energumenorum; ſicut eodẽ ſtylo Eccleſiaſtico, *oblata* dicitur pro *oblatione*, *ſecreta* pro *ſecretione*. Diſtinguit dehinc Euchariſtiæ celebrationem in actus duos principales, *oblationem* nimirum & *perceptionem*. In illa offerre notat eccleſiam primo *panem & vinum*, de- §. II. §. III.

§. IV. V. inde corpus & ſanguinem Domini, denique ſe ipſam. Probare autem
VI. VII. dum conatur, Spiritum Sanctum æque vere in euchariſtia convertere ſymbola benedicta in corpus & ſanguinem Domini, ac olim in utero Mariæ vere produxit corpus Servatoris, non tantum ad Græcorum atque Latinorum conſenſum provocat, ſed & explicat, qua ratione Miſſa *holocauſtum* vocitetur, ac antiqua *Sacramentaria* Feria II. in octava *Pentecoſtes*, orare jubeant, ut Dominus ſacrificia oblata coram facie ejus, divino illo igni conſumat, quo Apoſtolorum corda ſuccenſa fuere. Nimirum, quemadmodum ignis cœlo delapſus in Veteri Teſtamento conſumebat holocauſta; ita Spiritum Sanctum, ignem illum pentecoſtalem, conſumere cenſet ſubſtantiam oblatorum, non ſimpliciter deſtruendo, (quod ignis materialis faciat,)
§. VIII. ſed mutando in melius, in corpus ſcilicet ac ſanguinem Domini. Verum igitur objectum oblationis, (ait,) eſt corpus & ſanguis Domini, & oblatio hæc eſt continuatio illius, qua Chriſtus ſeipſum obtuliſſe & ſanctificaſſe dicitur Joh. XVII. 19, & imitatio illius, qua ſe patri ſiſtit in cœlis, quando pro nobis intercedit, Hebr. VII, 25. IX, 24. Et quemadmodum *Apoc. V, 6.* Agnus in cœlis comparet, ut *vivus*, (ſtat enim ante thronum,) & tamen ut *mortuus* inſimul, oſtentans nempe in corpore cicatrices lethalium vulnerum: ita fere ſeſe habet in menſa euchariſtica, dum, conſecratione mediante, revera *vivus* illic ſiſtitur, una tamen cum ſignis *mortis*, dum ſanguis ejus a corpore
IX. X. myſtice *ſeparatus* ſive *extravaſatus* exiſtit. Explicat & firmat hæc ex liturgiis tam veteribus quam hodiernis, & propitiatorium ſacrificium hoc eſſe contendit, rejecta interpretatione, quod tantum ſit
XIII. commemoratorium. Ex illa propitiatione neceſſario ſequi dicit
XIV. realem præſentiam, cum nemo patrem propitiare poſſit, quam Chri-
XV. ſtus: nec obſtare, quod dicatur *ſacrificium panis*, quia ſub figura panis lateat corpus. Tuetur phraſin *Canonis*, qua ante conſecrationem, panis & vinum jam dicuntur *dona, munera & ſancta ſacrificia*
XVI. *illibata*; quæ enim mox conſecranda ſunt, pro conſecratis haberi & reſpici; oblationem autem ipſam fieri in verbis, quibus mutatio fit
XVII. panis & vini in corpus & ſanguinem: neque tamen reliquas ſacrificii actiones ab oblatione penitus excludit, v. g. cum Græci lanceola perfodiunt panem, & deſignant factum militis, Joh. XIX, 34. Oſtendit differentiam aliarum conſecrationum in Eccleſia Romana uſitatarum,

Digitized by Google

tarum, v. g. aquæ in Baptiſmo, chriſmatis in confirmatione; has myſticas eſſe concedit, ſed realem eſſe, quæ fit in Miſſa. Alias enim, ait, non offerretur Chriſtus, ſed figura ejus more Judaico. Ex antiquitate *Canonis* & liturgicarum formularum refutat eos, qui dicunt, §. XVIII.
a *Paſchaſio Ratberto*, ſeculo demum nono, introductam fuiſſe opinionem de præſentia reali. Sciri dicit, quæ formulæ ſucceſſu temporis ritui & *Canoni Miſſatico* adjectæ fuerint, antiquiorum vero originem ignorari, unde præſumi debeat, primævas plane eſſe. XIX.

Ex his quæ pro præſentia reali afferuntur, multa probabunt Evangelici, qui Lutherani vocantur; ſed admiſſa licet, ob verbi divini in Sacræ cœnæ inſtitutione autoritatem, vera & reali præſentia, nondum tamen concedent, ut ſacrificium fiat ex Miſſa ſive ſacra cœna, neq; ut adoratio Sacramenti, præſertim extra uſum ejus, locum habeat. Curæ itaque fuit Epiſcopo, ut hæc quoque adſtrueret. Et ſacrificium quidem non ſolum ex Liturgiis illis deducit, verum etiam ex Scriptura & verbis inſtitutionis. Dum enim in *his* legitur, Chriſtum *accepiſſe panem eique benedixiſſe*, illorum teſtimonio confirmat, id factum eſſe, XX.
monſtrando ſymbola benedicenda Patri cœleſti, *oculis in cœlum elevatis*, prout benedictiones Chriſti fieri ſolebant. Patrem hæc approbaſſe. Atque ſic Jeſum perrexiſſe, & antequam porrigeret ea diſcipulis, convertiſſe in corpus & ſanguinem ſuum, ut dicere dehinc potuerit: *Hoc eſt Corpus meum*; *Hic eſt Sanguis meus*. Non autem ſeſe conſpiciendum præbuiſſe Chriſtum diſcipulis fidelibus, quatenus in corpus & ſanguinem ſuum converterat panem & vinum, eo quod majorem illos fidem adhibituros ſciret verbis inſtitutionis, quam propriis oculis. Ac ex apparitionibus Servatoris, præſertim Emaunthina, liquere, poſſe eum apparere ſub *aliena* æque ac *propria* forma, ac viciſſim diſparere, prout ei collibitum fuerit. Utut vero hominibus inviſibilis fuerit, viſibilem tamen ac aſpectu quidem gratiſſimum fuiſſe Patri in cœlis. Negat Boſſuetus, ſecuta manducatio- XXI.
ne & bibitione Apoſtolorum deſtructum fuiſſe ſacrificium; compatibile enim eſſe ait, ut offeratur aliquid ut ſacrificium, neq; minus tamen poſtea ut ſacrificium comedatur. Verbis itaque *Hoc eſt* (ſi Epiſcopo credas) Chriſtus ſacrificavit; reliquis, *accipite & edite*, ſacramentum diſtribuit. Oſtendit porro, Chriſtum ſelegiſſe verba ejus- XXII.
modi, (dum corpus ſuum *dari* & *frangi* pro nobis, & ſanguinem *ef-*

 fundi

Digitized by Google

effundi dixit,) quæ corpori & ſanguini ſuo in *cœna* æque, ac in *cruce* convenirent. *Fractum* enim eſſe corpus ejus in *cruce*, dum lancea perforabatur, & in *cœna*, dum diſtribuebatur. *Frangere* quip-
§. XXIII. pe *panem* idem eſſe ac *diſtribuere*, dicto Eſai. LVIII. 7. probari. Urget, Paſcha ſimul ſacrificium & cibum fuiſſe: reſpondere ergo debere typo
XXIV. antitypum. Expendit vim verborum, *Hoc facite*, iisque contineri ſtatuit & ſacrificii continuationem, & fruitionem ſacramentalem. Vidit Autor, hæc non tam ex verbis Scripturæ ipſius, quam ex inter-
XXV. pretatione deduci: ſufficere eam tamen putat, neque exigendum eſſe locum, ubi Chriſtus dixerit, ſe in S. Cœna offerre vel ſacrificare; eo quod nec in cruce ita ſit locutus. Ad Pauli dictum *Hebr. IX*, 28. quod *Chriſtus ſemel ſe obtulerit*, reſpondet, ex duabus oblationis ſpeciebus unam tantum ibi a Paulo memorari, quæ facta eſt morte actuali; non excluſam tamen fuiſſe alteram oblationem, utut ibi non tractatam, quæ fiat exhibitione Chriſti coram Deo & in altari. In ſubſidium advocat celebrem (quem ſemper adducunt) *Malachiæ* locum I, 11. & dictum Pauli *Hebr. XIII*, 10: *Habemus altare &c.*
XXVII. Poſthæc ſequitur diſputatio de adoratione Euchariſtiæ. Hanc
XXVIII. probare nititur ex Liturgia Græca, & ſpeciatim ex ſacrificio quod vo-
XXX. cant *præſanctificatorum*. Allegat commendatque cumprimis *Cabaſilam*, Græcum ſchiſmaticum aliosque, & Liturgiam *Chryſoſtomi*, ac
XXXI. *Larroquano* reſpondet. Argumentum inde vulgatiſſimum proponit, quod præſentiam realem neceſſario comitetur adoratio, & quædam de elevatione commentatur, quam tamen fere pro indifferenti
XXXII. habet, quia de initio illius ritus nihil certi afferri poteſt. Diſputat etiam de modo adorationis interno & externo, ejusque gradu inferiori & ſuperiori, contra *Albertinum*; & veteres non negat ſtetiſſe, nec
XXXIII. in genua procubuiſſe. Addit *Ambroſii* & *Auguſtini* de adoratione
XXXIV. Chriſti in Euchariſtia teſtimonia. Demonſtrat eandem ex *Ordine*, quem vocant, *Romano*; ſunt enim qui negent, in illo expreſſe præcipi adorationem. Idem adſtruit ex Liturgiis, quæ in Gallicanis & Hiſpanicis eccleſiis vigebant olim, antequã Ordo Romanus illis a Pontificibus obtruſus fuit. Hac de re citat *Mabillonii* librum de Litur-
XXXV. gia Gallicana, A. 1685 editum, dignum ſane qui legatur. In rationes elevationis inquiri non vult, agnoſcens, ex ſolo illo ritu adoratio-
XXXVI. nem non probari, ſed ſatis firmari ex praxi Eccleſiæ. Scripturæ te-
ſtimoni-

Digitized by Google

ſtimonium requirentibus reſpondet, ſufficere, quod ex illa certum ſit, Chriſto deberi adorationem ſupremi gradus; adeoque etiam latenti ſub Euchariſtia, & adducit locum Hieronymi *epiſt. ad Theoph. Alexandr. Tom. III. Bibl. P P.* p. 80. Progreditur ad de- §. XXXVII.
fendendas formulas precum miſſalium, quæ indignum in modum de oblatione loqui videntur. Excuſat, quæ eo trahuntur, phraſes, dicens, quicquid humilitatis in precibus iſtis deprehenditur, XXXVIII.
referendum eſſe ad oblationem ſui ipſius & Eccleſiæ, quam Sacerdos facit. Rationem reddit, cur Angelorum miniſterii mentio fiat in perferendo ad Deum ſacrificio, putatque id ſatis ſtabiliri viſione *Apoc.* VIII, 3. ubi Angelus dicitur preces in altari Deo obtuliſſe. Monſtrat etiam, cur interceſſio ſanctorum adhibeatur, nempe ut ſignificetur, quod cum Eccleſia militante preces etiam ſuas & oblationes jungant, qui in cœlis ſunt. Adducit orationem ex antiquo Miſſali a *Mabillonio* in itinere Italico obſervato, qua Deus rogatur, ut ſancto cuidã inſpiret, quo pro precantibus intercedat, & hoc ab irriſione vindicat, quia plurima a Deo precari ſoleamus & debeamus, quæ ſcimus illum etiam non rogantibus nobis facturum eſſe. Cum XLI.
etiam offendantur Proteſtantes, quod Miſſæ fiant in honorem ſanctorum, id hoc modo defendit, quod commemoratio meritorum & martyrii eorum, in ſacrificio hoc laudis, ad gloriam Dei tendat. Benedictionem ſive figuram crucis, quæ elementis ſacramentalibus ante & poſt conſecrationem impertiri ſolet, ad ſalutarem percipientium uſum pertinere dicit, non quod per ſe Sacerdotis benedictione egeant. De voce ſacramenti & myſterii reſpondet illis, qui ſolum ſigna XLIII.
in illis quærunt, quod ſigna illa rem ipſam non excludant. Refellit XLIV.
etiam, qui ex formula *ſurſum corda* abſentiam Chriſti eliciunt. In reliquis paragraphis ad penultimum usque pro oſtendenda conformi- XLV. L.
tate Græci & Latini ritus laborat, & licet Græci hodierni *transſubſtantiationem* non in verbis inſtitutionis Chriſti, ſed in oratione ad Spiritum Sanctum ponant, damnare tamen eos ob hanc diſſenſionem non vult, notatq; Græcos, qui ad Latinos tranſeunt, non adigi ad illius ſententiæ revocationem. Paragrapho ultimo redit ad ea, quæ LI.
§. XLI. tractaverat. Indicat Miſſas pro *B. Virgine & ſanctis* nil aliud eſſe, quam ſacrificium laudis pro beneficiis in illam illosve a Deo collatis, & per preces eorum in Eccleſiæ commodum redundantibus.

Hæc

Digitized by Google

Hæc eſt Miſſæ & Canonis aliarumque formularum defenſio & expoſitio, ſingulari ſtudio & induſtria Autoris doctiſſimi & celeberrimi ſuſcepta. De hac etſi multa nobis in mentem veniant, epicriſin tamen, inſtituti memores, omittimus. Sufficiat nobis credere, quæ ex clariſſimis verbis Domini noſtri Jeſu Chriſti, a tribus Evangeliſtis & Apoſtolo gentium Paulo relatis, ſcimus, & ut certa atque indubitata veneramur. Ex illis vero non niſi unum actum, unamque inſtitutionem percipimus & ſequimur, illamque ad ejus commemorationem, quam exegit, & ad fidei noſtræ confirmationem, celebramus. Non dividimus verba & præcepta, quam quatenus ipſe divinus Autor diviſit. Non agnoſcimus duas & oppoſitas actiones: accipimus Dominum in hoc Sacramento, non offerimus. Non præſumimus, poſt ſublata omnia Veteris Teſtamenti ſacrificia, & magnum illud atque ultimum quod in cruce peractum eſt, ceſſante præcepto, novos ſacrificandi ritus pompasque operoſiſſimas, in regnum Chriſti reducere, quod ſpirituale eſt, & *cum* ejusmodi *obſervatione non venit*. Adoramus Chriſtum, eo quo voluit modo: ſacrificium ſumus (quia ita locuti ſunt ſancti Dei homines,) nos ipſi, noſterque cultus, noſtræ preces, opera charitatis, & quas pro Chriſto toleramus afflictiones; & hæc non dubitamus illud eſſe ſacrificium, cujus oblationem per totum orbem factum iri, Malachias Propheta prædixit. Ejus vaticinium malumus ex clariſſimis Apoſtolorum dictis explicare, quam ex illo aut ex veterum quorundam phraſibus alio ſenſu fortaſſe prolatis, novum cultum ſtabilire, qui divina caret inſtitutione, & innumerabiles abuſus peperit, quos pio & juſto zelo a majoribus noſtris abrogatos eſſe certi ſumus; neque nos magis movent, quam illos moverunt jam tum quæſitæ ex detortis Scripturæ locis argutiæ, quibus incruſtari ſolebant errores absque ulla Scripturæ autoritate introducti, & ſola temporis antiquitate & patientia hominum ſpecioſi.

PETRI DANIELIS HUETII, EPISCOPI SUESſionenſis deſignati, Cenſura Philoſophiæ Carteſianæ.

Lut. Pariſ. apud Daniel Horthemels, *1689*. in 8. Plag. 19.

CUm illuſtriſſimus & excellentiſſimus Dux Montauſerius ſæpenumero ex doctiſſimo Præſule Huetio, quid de Carteſiana Phi-

na Philoſophia ſentiret, quæſiviſſet, atque illam intellexiſſet parum eidem probari, autor ipſi fuit ad ea argumenta, quæ ſubinde propoſuerat, colligenda ſcriptisque tradenda. Qua in re etſi non unam ob cauſam tergiverſaretur ille primum, pervicit tamen tandem Patroni ſummi autoritas, ut quæ olim apud eum diſputata fuerant, in hunc librum concluderet, in quo non alium ordinem tenet, quam Carteſius ipſe ſecutus eſt. Is enim cum conſertam doctrinæ ſeriem & ex ſe aptam ſibique connexam texere ſtuduerit, & quædam jecerit fundamenta, quibus univerſa Philoſophiæ ſuæ moles niteretur, doctiſſimus Præſul ea præcipue ſcrutanda & ad perpendiculum & normam exigenda cenſuit. *Primo* ergo *capite* Carteſii ſententiam de *dubitatione* & argumentatione, *ego cogito, ergo ſum*, expendit, in qua multa ſunt, quæ reprehenſione digna exiſtimat. Parum ſcilicet Carteſium ſibi conſtare, qui, poſtquam ad percipiendam veritatem dubitare de omnibus inſtituerat, ut melius dubitet, res non modo pro incertis, ſed pro omnino falſis habendas eſſe decernat. Præterea dum primam veritatis notitiam in eo ſtatuit, *ego cogito, ergo ſum*, ponere illum conceſſum id, quod quæritur; quippe cum ſumat tanquam certum & conceſſum, non ſolum ſe eſſe, ſed etiam ſe eſſe rem agentem. Nam, *ego cogito, ergo ſum*, idem eſſe ac *ego* (res aliqua *quæ eſt*) *ſum cogitans, ergo ſum.* Huc accedere, quod contra negantem, ex cogitatione exiſtentiam colligi, hoc argumentum plane fruſtra afferatur. Quod ſi enim quis negaverit, legitime hoc ex illo concludi, Carteſium ad regulas Dialecticæ provocare non poſſe, quum omnia pro falſis haberi juſſerit, atque hæc argumentatio prima ſit veritatis ſcintilla, quam reperit: aut ſi quis dicat, etiamſi verum eſſe detur, eum eſſe qui cogitat, tamen eſſe quoque poſſe verum, eum non eſſe qui cogitat, (quum Carteſii ſententia ſit, efficere Deum poſſe, ut contraria & repugnantia enunciata vera ſimul ſint) nihil illum certi ſua poſſe argumentatione efficere. Inſuper notionem hanc non eſſe primam omnium, ſed præſupponere plures, v. g: *quicquid cogitat eſt*, & *quicquid agit eſt* &c. Quod ſi vero Carteſius contendat, quæcunque ita antecedunt notioni huic, lumine naturali eſſe cognita, miratur inconſtantiam Carteſii, qui cum dubitandum ſtatuat de rebus omnibus, etiam de iis, quæ nobis per ſe lumine naturali nota ſunt, ne exceptis quidem theorematibus Ma-

Digitized by Google

thematicis, & iis quoque principiis, quibus illa innituntur, mox tamen multa paſſim admitti jubeat, idcirco tantum, quod lumine naturali nota ſint. Rurſum in hoc lemmate, *ego cogito*, ambiguitas ineſſe dicitur, atque aliud plane ſignificari, quam quod intelligi vult Carteſius, ideoque nullam eſſe conſecutionem hanc: *ego ſum*, utpote ductam ex ſignificatione, quam enunciato ſuo affingat Carteſius, non quæ eo reipſa continetur. Ita enim debere intelligi: *ego cogito me cogitaſſe*. Qui autem cogitat ſe cogitaſſe, illum memoria uti debere, ut meminerit ſe cogitaſſe. Ubicunque autem adhibetur memoria, illic ineſſe poſſe errorem, adeoque actum eſſe de certitudine hujus enunciati: *ego cogito, ergo ſum*. Cum vero Carteſiani excipere ſoleant, cum quis cogitat, eo ipſo tempore, quo cogitat, conſcium eſſe ſuæ cogitationis, eamque ſentire ac cognoſcere, adeoque eandem eſſe ideam rei hujus, de qua cogitat, ac ideam ipſius cogitationis; deinde vero illud, *cogito, ergo ſum*, non cognoſci per ratiocinationem, ſed per *ſimplicem viſionem*: utrique huic aſſerto ſolicite occurritur, tandemque ex ipſius Carteſii argumento, quod propoſuit, neſcire nos, annon ita comparati ſimus a Deo, vel malo aliquo genio, ut ſemper fallamur, contra Carteſium diſputatur. Hinc autem cum extricare ſe conentur recentiores quidam Carteſianæ doctrinæ patroni, dicentes, Deum etiamſi fingatur fallax, non tamen fallere nos poſſe in iis rebus, quas cognoſcimus per ſimplicem, ut vocant, viſionem; quid de hoc aſſerto ſentiendum ſit, disquiritur, ultimoque loco Carteſius Scepticiſmi reus peragitur.

In *ſecundo capite* norma exploratur, quam ad veritatem indagandam adhiberi juſſit Carteſius. Objicitur ergo eidem primum, quod perverſam *Criterii* quærendi viam inſtiterit, in magnam primum de rebus omnibus dubitationem nos adducens, deinde multa ſtatim jubens admittere, tanquam nulli dubitationi obnoxia, v. g: nos cogitare, ergo eſſe; mentem a corpore eſſe diſtinctam &c. & tandem demum veritatis normam in clara & diſtinctiore perceptione ponens, quum tamen aſſenſioni omni præverti debuiſſet hujus normæ inquiſitio. Porro in ea quærenda & aſſignanda parum ſibi conſtare dicitur, cum modo lumen naturale, modo perſpicuitatem & notitiam rei ex ipſa re hauſtam pro criterio aſſumat, & multa ex lumine naturali colligat, antequam decreverat & probaverat, pro veris ea

eſſe

eſſe habenda, quæ clare & diſtincte percipimus. Quibus ita propoſitis, ſigillatim omnia expenduntur, decerniturque, neque lumen naturale Carteſii eſſe rectum criterium, neque claram & diſtinctam perceptionem (contra quam argumenta quinque in medium afferuntur,) neque tandem perſpicuitatem aut notitiam rerum a rebus ipſis hauſtam. Refelluntur quoque præcepta veri cognoſcendi a Carteſio in Diſſertatione de methodo tradita, in quibus aliquid utilitatis & commodi ad communem ſtudiorum & vitæ uſum ineſſe non inficiatur Huetius, ea tamen ad certam veri notitiam deducere pernegat; miraturque exſtitiſſe Philoſophum, qui ad vitandos errores & attingendam veritatem tam hæſitans fuerit, tam circumſpectus tamque dubitans in exorſu, & tamen tam confidens tamque audax in progreſſu, ut ſententias a communi hominum opinione abhorrentes pro imperio & nullo argumento allato admitti jubeat, tantæque levitatis & inconſtantiæ, ut qui principiis Mathematicis detraxerit fidem, ſtatim pluribus argumentis probabilibus vim certiſſimi argumenti ineſſe pronuntiet: quo factum deinde, ut Carteſiani in tam effrenem ac præcipitem temeritatem fuerint impulſi, ut nonnulli ex hoc grege grandiloqui ſcribere non erubuerint, quicquid cognoſcunt, veriſſimum id eſſe, & quidquid habent in mente, id omne extare extra mentem.

Capite tertio ſententiam Carteſii *de mente humana* excutit. Qua in re, etſi ob veritatis aſſerendæ ſtudium laudandum Carteſium judicet, eum tamen ſatis infeliciter verſatum fuiſſe contendit, dum certiſſima dogmata incertis rationibus confirmare conatus eſt, quæ ab illis, qui animas eſſe corpora & cum corporibus interire falſo cenſent, facile poſſint eludi. Dum enim Carteſius inprimis hoc nititur præſidio: *ſi vel maxime fingat, nullum plane eſſe corpus, hoc ipſo ſe tamen cogitare, adeoque cogitationem & corpus diverſa eſſe*; excipere poſſe Epicureum: ſi nullum extaret corpus, neque ullam fore cogitationem, & licet Carteſius dum fingit, cogitet, id ex eo fieri, quia etiamſi fingat nullum extare corpus, extet tamen revera corpus, quo cogitet, & abſque quo cogitare non poſſit. Deinde quamvis diverſæ haberi poſſint ideæ rei cogitantis & rei corporeæ, non hinc tamen effici, res eſſe plane diverſas. Cum enim diſtinctas habere poſſim ideas & rei loquentis, quatenus loquens eſt, & corporis, per

Digitized by Google

quod ſit locutio, quatenus corpus eſt, non effici tamen, rem loquentem aliud eſſe quam corpus. Ex quo jam facile cognoſci poſſit, quam caſſa ſit & inanis hæc Carteſii opinio, prius, certius & clarius cognoſci mentem, quam corpus. Porro non leve doctrinæ ipſius vitium eſſe perhibetur, quod totum hominem mente ſola conſtare decernit, corpus vero ad ejusdem naturã minime pertinere, ſolo inductus hoc argumento, quia fingere poſſum, me eſſe ſine corpore, non poſſum fingere, me eſſe ſine cogitatione. Hoc enim licet detur Carteſio, erit quidem, etſi non habeat corpus, ſed non erit id, quod nunc eſt, homo videlicet corpore concretus & animo: atque adeo, licet Carteſius habeat diſtinctas, quantum volet, & diverſas mentis ſuæ ac corporis ideas, efficiatque mentem eſſe poſſe ſine corpore, corpus ſine mente; nunquam tamen efficiet, mentem ſine corpore eſſe hominem. Præterea cum doctrinam ſuam de animorum noſtrorum natura hoc quoque Paradoxo cumularit Carteſius, ſentire animum res externas, non corpus; illud hoc ipſo everti putat Huetius, quod abſtractus animus ſenſu corporis revocatur: ſentire ergo corpus neceſſe eſſe, priusquam id animus intelligat. Imo vero, dum incogitantibus nobis res videmus, corpus ſentire eſſe manifeſtum, animum vero non ſentire. Cum vero liber & vacuus animus exceptam in ſenſus inſtrumento impreſſionem percipit, tunc ſentire quidem illam partem corporis, animum vero cognoſcere ſentire partem hanc, deque hac impreſſione & ſenſus affectione facere arbitrium. Porro quid Carteſius de Ideis ſenſerit, disquiritur, falſumque eſſe oſtenditur, eſſe aliquid in intellectu, quod non fuerit in ſenſu, tandemque ſententia de ſede præcipua animi in Conario recenſetur atque refutatur.

Sequitur *capite quarto* examen argumentationis Carteſii *de exiſtentia Dei*, quam ex idea rei infinitæ & ſumme perfectæ, quæ in nobis ſit, quæque proinde a ſumme perfecta & infinita cauſa dependeat, probare ſatagit. Eo autem fere redeunt, quæ contra illam dicuntur: Ideam rei infinitæ & ſumme perfectæ, quæ in nobis eſt, alterius non eſſe naturæ, ac reliquæ ſunt ideæ, quæ in nobis exiſtunt, ſed finitam & imperfectam, & neque claram neque diſtinctam, ac proinde fruſtra ad ſumme perfectam & infinitam cauſam recurri, eamq;
revera

revera aliunde proficiſci, & ex confuſa noſtri aliarumque rerum cognitione κτ' μετάβασιν, h. e. per tranſitionem, ut loquitur Tullius, & ſimilitudinem informari in nobis & exprimi. *Realitatem objectivam*, quæ eſt in idea rei infinitæ & ſumme perfectæ, totam eſſe in mente noſtra. Ex idea rei infinitæ & ſumme perfectæ, quæ in nobis eſt, non neceſſario ſequi, rem illam infinitam & ſumme perfectam extra mentem noſtram extare. Nam ut ſcholæ locutionibus id explicetur: rem infinitam & ſumme perfectam, cujus ideam in mente habeo, ſeu quæ eſt *à parte intellectus*, neceſſario comitari exiſtentiam *a parte intellectus*, minime vero neceſſe eſſe, ut adſit exiſtentia *a parte rei*. Inſignem denique & plane jocularem in argumentationis hujus Carteſianæ commiſſura διαλληλισμὸν, ſeu petitionem principii & circulum ineſſe. Decernere enim Carteſium, nullam habere nos poſſe rei cujuslibet certam ſcientiam, priusquam Deum noverimus; quo efficiatur, notitiam omnem quæ prævertit in nobis notitiam Dei, eſſe incertam. Quod ſi ſit, ideas omnes, notiones omnes, item propoſitiones, aſſumptiones, concluſiones, quibus ad comparandam Dei notitiam uſus eſt Carteſius, incertas eſſe, atque hinc incertum quoque eſſe id, quod exinde colligitur, nempe exiſtentiam Dei. Attamen ex hac cognitione Dei tanquam certiſſima illum colligere, ſuperiora omnia eſſe certa, & quaſcunq; prolixe prius habuerit cauſas dubitandi, poſito hoc principio penitus eſſe ſublatas, atque ſic illum manifeſto in ſe recurrere.

Hiſce prolixius ita diſputatis, quæſtiones *de corpore* & *vacuo*, *de ortu mundi* hujus aſpectabilis, nec non *de cauſa gravitatis corporum* terreſtrium *capite quinto*, *ſexto* & *ſeptimo* perſtringuntur breviter. Nimirum dum Carteſius corporis naturam in extenſione conſtituit, vacui poſſibilitatem negat, mundum nullos amplitudinis ſuæ fines habere dicit, neque unquam deſiturum, niſi eo deſinente novum illico mundum condat Deus, ne minima quidem interpoſita mora; pronunciata hæc plerisque fidei decretis repugnare oſtenditur, atq; tot monſtra peperiſſe dicitur non falſa modo & abſurda, ſed plane puerilis Carteſii hallucinatio, quum colligit, illic neceſſario ineſſe corpus, ubicunq; eſt longitudo, latitudo, & altitudo, quum nihili nullæ ſint proprietates; ignorans nimirũ duplicẽ eſſe *extenſionem*, quarum alia, quæ corporum eſt, *poſitiva*; alia, quæ eſt nihili, *negativa* eſt.

Frivola quoq; habetur argumentatio Carteſii, qua probare conatus eſt, naturam corporis non eſſe in duritie poſitam, quippe cum ſimili argumento probari poſſet, mala Tantalo impendentia ſuavia non fuiſſe, quod cum recederent ſimul atque ea hic ore captaret, ſuavitatem eorum deguſtare non poſſet. Deinde vero parum candide egiſſe cenſet Carteſium ejusdem Cenſor, cum mundum non infinitum, ſed *indefinitum* dixit, atque latebram ſibi paravit in dictionis hujus obſcuritate, ad quam confugeret, cum urgeretur a Theologis, quos in ſe concitatum iri præſentiebat. Nihil enim indefinitum eſſe ſuapte natura, ſed ſi ad noſtram notitiam referatur. Aut finitum ergo eſſe mundum, aut infinitum. Si finitus, corruere omnem ejus doctrinam de corpore naturali & vacuo; ſi infinitus, fruſtra ipſum effugium quærere in indefinito, & convictum teneri errorum omnium, qui oriuntur ex ipſius principiis. Quod vero *ortum trium elementorum* Carteſii ſpectat, conquieſcit doctisſimus Præſul potisſimum in hoc argumento, quod ſolerter excogitavit acutisſimus Anglus *Henricus Morus*, quem malleũ Carteſianorum appellat: ad quod velut ad fatalem ſcopulum alliſa hæc trium elementorum compages, totiusq; aſpectabilis orbis coagmentatio diſturbetur prorſus & concidat. Oſtendit enim ille in *Enchirid. Metaph.* neceſſe eſſe, ut juxta placita Carteſii, Sol quartam ſui vorticis partem obtineat, eamque ad illum habeat rationem, quam unum ad quatuor, ac propterea Solis diametros major ſit reliqua parte diametri vorticis. Hoc vero ſi ſit, Terram cæterosque adeo planetas Solis globo fore immerſos.

Nihilo feliciorem fuiſſe Carteſium in aſſignanda *cauſa gravitatis* corporum terreſtrium, *capite ſeptimo* oſtenditur, quum ex ea potius ſequatur, corpora terreſtria a globulis materiæ cœleſtis depresſum iri non verſus terræ centrum, ſed verſus centra ſuarum vertiginum, nempe unumquodque verſus centrum vertiginis globulorum a quibus deprimitur, h. e. verſus punctum illud axis terræ, in quo ſecatur axis ab area vertiginis hujus, atque hinc fore, ut ea ſola corpora terreſtria, quæ ſunt ſub æquinoctiali eadant in terram ad perpendiculum ſive angulos rectos; reliqua vero ferantur quidem ad perpendiculum verſus axem terræ, at oblique verſus terræ ſuperficiem, & hoc obliquius, quo obliquior erit illis ſphæra, & ſub Polis denique corpora in terram omnino non cadant.

Ultimo

Digitized by Google

Ultimo capite generatim *Carteſiana Philoſophia* conſideratur, atque in *laude* ejus ponitur, quod præclaros habeat ad veritatem aditus, radices errorum, anteceptas videlicet opiniones evellat, & velut in purgato ad ædificandum ſolo, in conceſſis & omnium aſſenſu comprobatis principijs, fundamenta locet. Quod principia hæc pauca, clara & ſimplicia ſint; depromptus dehinc ex iis ſpecioſus ille doctrinæ contextus; preſſa & compacta rerum inter ſe aptarum & cohærentium commiſſura. Quod ad naturæ leges, ad experientiæ magiſtræ teſtificationem, ad normam machinalis ſcientiæ (ſi factionis hujus patronis credendum) exacta accurate omnia. Quod magna ubique ſimilitudo veri, nihil intricatum, nihil obſcurum, nihil ſuperfluum, dilucida paſſim & plane philoſopha brevitas. Quamobrem etiam Cenſor ejus minime miratur, diſciplinam hanc tantis plauſibus, tanta approbatione, fuiſſe exceptam ab iis, qui ad ſectæ Peripateticæ perplexam doctrinam quaſi nauſeabant. Contra vero eadem Philoſophia Carteſiana arguitur, quod inconſtans ſit, quod figmentis nitatur, quod effectibus cauſas non neceſſarias, & cauſis effectus non neceſſarios aſſignet. Ita facile nunc Carteſianos cauſam ex immenſo ſuo cauſarum penu depromere, cur Saturni orbem annulus ingens orbiculato circumjectu & nusquam cohærente amplectatur; & tamen Carteſium eundem duos Planetas eſſe crediſſe, cauſasque ſe attuliſſe veriſſimas, cur imaginarii hi Planetæ circa Saturnum tardiſſime moverentur. Capitale vero hoc cenſetur, quod a plerisque Chriſtianæ Religionis decretis ſit aliena machinalis hæc Philoſophia, atque mentem ſenſim ad impietatem inclinet. Neque id leve eſſe judicatur, quod fines molitionis rerum Carteſius vetat inquiri, & quod factionis hujus participes, ut fidem quærant ſuis commentis, adverſarias ſibi ſententias præjudiciorum, h. e. anteceptarum temere ac ſine ratione opinionum titulo infamare ſolent, tum præſertim, cum rationibus ipſi carent & argumentis. Ad *Carteſium* quod attinet, de eo ita judicat, ipſum longe modeſtiorem fuiſſe ſequacibus ſuis, ab hisque vitiis haud paulo alieniorem, etſi non plane iis expertem. Cætera fuiſſe magnum & excellentem virum, quod qui negaverit, illum utique vel uſu rerum carere vel pudore. Fuiſſe enim ad penetrandas res a natura reconditas ingenio acri & peracuto, cui adjuncta eximia vis, quæ nec obrueretur multitudine

rerum

Digitized by Google

rerum, nec meditatione continua frangeretur, tum & ingens capacitas & amplitudo, quicquid libuiſſet, facile complectens. His inſtructum præſidiis animum ad Mathematicas primum artes magna cum laude, & ad philoſophiæ deinde ſtudia contuliſſe, cujus animadverſis vitiis cum reſtaurationem ſuſcepiſſet, repudiatis primum præjudicatis opinionibus, a pauciſſimis, & ſimpliciſſimis, & clariſſimis principiis exorſum, univerſam naturam explicare inſtituiſſe, quod fuerit ſummo Philoſopho dignum. Inſuper tenere illum rationis ordinem & connexionem rerum; in maxima copia eſſe brevem, in ſumma brevitate & ſubtilitate dilucidum: quibus poſtremis laudibus eum vel veterum, vel recentiorum Philoſophorum æquet nemo. Quædam ab eo ſcite & eleganter excogitata & inventa præclare, mathematica vero reliquis tractata felicius, in iisq; plane ipſum regnare, atque hinc ſcriptionum omnium, quæ ab eo ſunt profectæ, pluris illas eſſe faciendas, quæ propius pertinent ad has diſciplinas. Primas ergo obtinere Geometriam, Meditationes poſtremo loco eſſe habendas. Hujus tamen egregii viri conatus nimium ſui amorem, nimiam fiduciam eſſe fruſtratam. Deſiderari quoque in eo majorem Dialectices peritiam, nec non candorem, quum ex ejus ſcriptis appareat, illum non ſemper, quod veriſſimum, ſed quod ſibi tutum aut doctrinæ ſuæ aptum conſentaneumq; eſſet, fuiſſe ſecutum; ſæpius vero hanc diſſimulantiam ad oſtentationem fuiſſe compoſitam, eumque præcipue laudem captaſſe ex doctrinæ ſuæ novitate, ac quamvis nihil fere novi attulerit, propterea tamen ſimulate affectaſſe inſcitiam, quam ejuſdē aſſeclæ vere retineant: quorum aliqui nuper auſi ſint, non elegantioribus ſolum, ſed reconditioribus quoque literis, præterquam ſi quas callere ſibi viſi ſunt, bellum palam indicere, noſque in agreſtem illam & feram barbariem, quæ vix tot ſeculorum laboribus & ſtudiis expugnata eſt, retrudere. Sed ne fruſtra jactatum cauſetur quiſpiam, nihil fere Carteſium novi attuliſſe, fontes oſtendit Cenſor eruditisſimus, unde latifundia ſua irrigaverit, magno numero & veteres & recentiores adducens Philoſophos, qui Carteſianis placitis conſona docuerunt, tandemque pronunciat, Ariſtotelem, cui Carteſiani non omnis ſolum eruditionis & ingenii laudem, ſed Philoſophi quoque titulum, & pene hominis nomen invident, tametſi illum a vero ſæpe aberraſſe nemo, qui frontem habeat, negaverit,

plura

Digitized by Google

plura tamen & illuſtriora contuliſſe ad Philoſophiam,& ampliori omnis doctrinæ & elegantiæ ſupellectile locupletaſſe humaniores diſciplinas, planiorique feliciſſimi ingenii face mortalibus præluxiſſe, non ſolum quam Carteſium,hominem ingenii boni,doctrinæ permediocris,ſed quam ullum Philoſophorum omnium, quorum apud nos conſtet memoria.

MICHAELIS BAUMANNI ANALECTORUM Allegoricorum Sacrorum tomus ſingularis,

Ulmæ, ſumptibus G. W. Kuhnii, A. 1689, in 4. Plag. 152.

Quatuor & viginti anni ſunt, ex quo Vir plurimum Reverendus *Michael Baumannus*, Superintendens & Eccleſiaſtes Hohenloicus in illuſtri Comitatu Pfedelbacenſi, Analecta ſua Typica publici juris fecit. Erant jam tum etiam prælo parata Analecta Allegorica, quæ poſt Autoris mortem quaſi ſepulta & tenebris immerſa nunc demum in lucem prodeunt. Collecta ſunt juxta ſeriem Locorum Theologicorum ex variis Scriptoribus,maxime Lutheranis, in uſum Candidatorum Miniſterii, & Concionatorum, qui variis allegoriis e Sacra Scriptura vel etiam e Natura depromptis ſermones ſuos ſacros exornare cupiunt. Quæ ex Germanicis ſcriptis B. Autor excerpſit, Latine reddere noluit, cum Germanica vocabula ſingularem emphaſin nonnunquã habeant, quæ ſine detrimento nativæ gratiæ Latinis vocibus commode exprimi non poteſt, & præterea conciones ipſæ in Germania vernacula lingua haberi ſoleant. Præmiſſa eſt ab Autore his Analectis protheoria quædam de allegoriarum conſtitutione & uſurpatione, & ad majorem operis hujus Baumanniani commendationem acceſſit Theologi celeberrimi *Eliæ Vejelii* Ulmenſis Eccleſiæ Superintendentis de allegoriarum uſu & abuſu diſſertatiuncula, in qua notat, *D. Godofredum Chriſtianum Boſium*, Eccleſiaſten quondam urbis noſtræ Lipſiæ diſertiſſimum, dicere ſolitum, ſe inter Theologos Practicos Baumannum maximi facere.

LA DEFENSE DE L' EGLISE CONTRE LE livre de Mr. Claude intitulé: la Defenſe de la Reformation &c. i. e.

Defen-

Defenſio Eccleſiæ contra librum Johannis Claudii, cui titulus eſt: *Def. nſio reformationis.* Partes duæ.

Coloniæ, 1689, in 12. Plag. 36.

NIſi nos omnia fallunt, operoſi hujus ſcripti alius Autor non eſt, quam *D. Antonius Arnaldus.* Incertum autem eſt, cur latere velit, niſi cenſuram Romanam metuat, cum Pontifici plus una vice infallibilitatem aliaque præcipua axiomata abjudicet, quæ ille ſibi arrogat, & primatum ejus ad jus primæ ſedis reſtringere videatur. Cæterum liber *Claudii*, cui hic opponitur, relatus a nobis eſt in Actis Eruditorum A. 1683 pag. 443. ſeqq. *Claudium* provocaverat Tractatus *de Præjudiciis contra Calviniſtos*, ante annos fere viginti primum editus, deinde A. 1683. recuſus, cujus compendium ibidem p. 438. ſeqq. exhibuimus, & *Arnaldum* pro autore ex rationibus tunc adductis habuimus. In repetita illa editione perſtrictus jam fuit Claudii liber vix prælo egreſſus additionibus quibusdam, de quibus d. l. p. 450. mentionem fecimus. Jam vero prolixam refutationem ſuſcepit Autor, ſive Arnaldus ſive illi ſimillimus, & ideam ordinemque operis in præloquio propoſuit. Cardinem controverſiæ pariter, ac victoriæ, quam ſibi promittit, ſpem conſtituit in articulo de Eccleſia, & qui cum illo connexus eſt, de ſchiſmate. *Quamprimum enim*, ait, *demonſtratur, ſeparatos eſſe Reformatos ab Eccleſia, ilico omnes a ruptura illa abhorrent; diſſipantur fuci & illuſiones, quibus illi ſeſe occultant, dum de interpretatione Scripturæ & de controverſiis particularibus diſputant, & detegitur miſeria, in quam ſe per ſchiſma præcipitarunt.* Itaq; methodũ, quam vocant, *præſcriptionis*, exemplo, ut dicit, Patrum, qui uno hoc ictu hæreticos proſtraverint, eligit; Eccleſiæ Catholicæ ſive Romanæ dignitatem, amplitudinem & poteſtatem effert; & in Autores Reformationis tanta ſpargit convitia, ut ex ipſo frontiſpicio appareat, qualis ſtructura operis expectanda ſit. Motum tamen ſe eſſe dicit ad ſcribendum, non quod Claudius id mereatur, aut non contemni poſſint ejus paralogiſmi, ſed ut jactantiæ & perſuaſioni occurrat, quaſi reſponderi illi non potuiſſet. Addit votum pro converſione errantium; Claudio vero interea mortuo durum interminatur judicium, ex dicto Rom. II, 5. Nos a prolixa expoſitione hujus libri retinuit quidem faſtidium toties dicta & repetita, qui-

ta, quibus repleta ſunt Actorum noſtrorum volumina, iterandi. Difficile præterea fuiſſet omnia perſequi, quæ Autor vehemens & verboſus adverſario ſuo totique Proteſtantium Eccleſiæ denuo objecit, aliis quidem atque aliis phraſibus & argutiis, vulgata tamen, ad quæ quid reſpondendum ſit, ſatis ſciunt docti. Replevimus tamen ſat multas paginas ſummaria hac relatione, inſertis quidem alicubi digreſſiunculis, ubi Autoris manifeſta intemperies id exigere viſa eſt.

Diſtributum eſt opus in partes quatuor. *Prima* continet capita XII. Negatur, Reformatores, cum ſeparationem ab Eccleſia Romana molirentur, examen inſtituiſſe de ſtatu Eccleſiæ, ſed ex ambitione ad exemplum omnium hæreſiarcharum egiſſe. Dici ad hæc poſſet, primos Lutheri aliorumque conatus ad ſeparationem ſive ſchiſma minime tendiſſe, multisque eos annis tot conventibus & colloquiis laboraſſe, ut communio Eccleſiæ retineretur, correctis, quos demonſtraverant, abuſibus: ſed hoc tantum notare hic lubet, aſſumi ab Autore pro certo, quod probari nunquam potuit, Lutherum ſcilicet ex æmulatione adverſus Dominicanos, indulgentias impugnare cœpiſſe. Nec magis verum eſt, quod Friderici Electoris Saxoniæ patrocinio fretus, contra Pontificem inſurrexerit: quam infirmum enim illud fuerit, parvique a Luthero habitum, ex actis publicis ſatis conſtat. Ad eorundem veterum hæreticorum imitationem, exaggerata aut imputata eſſe dicuntur Eccleſiæ Romanæ a Reformatoribus, quæ non niſi privatæ opiniones fuerint, & huc referuntur, quæcunque de ſumma illa Pontificum poteſtate, infallibilitate, ſuperioritate in Concilia, & de nullitate appellationum ab eorum decretis, ſcripta aut dicta ſunt ab adulatoribus & paraſitis, aut poetis, ut Autor loquitur, licet pleraque iſta in ipſorum Pontificum conſtitutionibus aſſerantur. Conceditur, mores Cleri depravatiſſimos fuiſſe, & allegatur Cardinalis Lotharingi ingenua confeſſio ex oratione in Concilio Tridentino habita, ſed ſchiſma propterea fieri non debuiſſe contenditur; quod quidem, niſi dogmatum corruptela diſciplinam ſubvertiſſet, nemo ex Proteſtantibus in dubium vocat. Percurruntur plerique articuli, quos Proteſtantes impugnant, tanta quidem cum eorum contumelia, ut Autor non vereatur dicere, a Dæmone illos inſpiratos fuiſſe. Temeritas illis objicitur, quod Eccleſiam reformare aggreſſi ſint, quæ jus habet, ut dicitur, infallibiliter

P. I. Cap. 1. 2. 3. 5.

de fide decidendi & S. literas interpretandi. Hoc adſtruitur ex ipſorum Reformatorum in Gallia principiis & decretis Synodicis, quibus independentes Anglos condemnarint, allegata ratione, niſi deciſioni Eccleſiæ ſtaretur, fore ut tot futuræ ſint religiones, quot pa-
Cap. 6. rochiæ. Idem arguitur ex actis Synodi Dordracenæ, & D. Burnetus ſuggillatur, qui autoritatem, quam ſibi Synodus illa arrogavit, haud
7. obſcure impugnaverit. Accuſantur Eccleſiæ Gallicæ, quod in Synodo Sanfidiana (S. Foy) arbitrium conſtituendi articulos conven-
8. tionis cum Lutheranis, quatuor Miniſtris commiſerint. Idem eruitur ex ordinatione de diſciplina Eccleſiæ Reformatæ, & juramento, quo Miniſtri obſtricti ſunt ad obſequium Decretis Synodalibus præ-
9. 10. ſtandum. Adſtruitur Eccleſiæ infallibilitas, tum in latitudine ſua, quatenus omnes fideles complectitur, conſideratæ; tum quatenus per Epiſcopos in Conciliis univerſalibus congregatos repræſentatur.
11. 12. Reſpondetur ad objectiones, quod Concilia falli poſſint, & quod ſinguli examen credendorum inſtituere debeant; ſtatuiturque, nullam fidei unitatem conſervari poſſe, niſi autoritate Conciliorum.

P. II. c. 1. Pars *Secunda* itidem XII. habet capita. Rejicit Autor, quæ Claudius de Spiritu & virtute Reformantium adduxerat, & nil niſi prætextus fuiſſe dicitur, quicquid illi de reformatione jactaverint. Non negat tamen, a Catholicis quoque expetitam fuiſſe reformationem, ſed minime in dogmatibus, verum tantummodo in diſciplina
2. & moribus. Poſthæc decurrere libuit Autori campo

Per quem magnus equos Auruncæ flexit alumnus,

nigerrimisque ſalibus reformatores, quos Claudius patres ſuos vocaverat, conſpergit; Lutherum ante omnes. In hunc denuo omnia congeruntur ex petulantiſſimis ejus criminatoribus, Cochleo & ſimilibus, millies licet refutata. Redit iterum figmentum de invidia in Dominicanos. Exagitantur quæ acerbius in Angliæ Regem, aliosque ſcripſit: combuſtio Bullæ & aliorum librorum Pontificis: cenſura Theologorum Pariſienſium Melanchthonis ſtylo compoſita. Maximum vero crimen inde conflatur, quod Lutherus in epilogo adverſus Sylveſtrum Prieriatem *Tomo I. Wittemb. fol. 194.* ad arma, & fundendum ſanguinem Papæ & Cardinalium provocaſſe dicitur, neque penſi habentur quæ Claudius pro excuſatione Lutheri attulerat, oſtendens, quod ex hypotheſi locutus ſit. Autor enim hypotheſin

illam

Digitized by Google

illam fuiſſe dicit, ſi Papa appellationem Lutheri rejecerit; cum igitur id feciſſet, ut notorium eſt, ſublatâ conditionem, & manere crudelem illam in Papam & Cardinales pronunciationem. Sed legentibus Lutheri ſcriptum facile apparebit, reſtrictioni huic locum non eſſe, neque illum ad ſolam appellationis rejectionem reſpicere, ſed ad omnia effata Prieriatis, de abſoluta illa Pontificis monarchia eccleſiaſtica & politica, quæ omnia *Tartarea* vocat *figmenta*, quorum executionem metuit, eaque præſuppoſita, *ſi ſic pergat*, ait, *furor Romaniſtarum*, Imperatorem & Reges invocat, qui vim & tyrannidem ipſi majeſtati Regum, ſi axiomata Curiæ Romanæ a Prierate defenſa locum haberent, exitiabilem, armis & ſanguine vindicent. Fallitur autem aperte Autor, cum hoc tempore, quo Lutherus iſta ſcripſit, ſcilicet A. 1518, plurimos Germaniæ Principes patrocinium ei præſtitiſſe, & hos ab illo inclamatos eſſe putat. Neque enim vel unus, qui palam ejus protectionem tunc ſuſceperit, nominari poteſt. Satis enim conſtat, qua circumſpectione Fridericus Saxoniæ Elector egerit, & ineptiſſimus fuiſſet Lutherus, qui ſub nomine Imperatorum & Regum unicum illum Fridericum invocaſſet. His ſi addantur, quibus Lutherus ipſe eodem loco ſententiam ſuam mitigat, & quæ tunc temporis de poteſtate Pontificia ſentiebat, quæque poſt biennium ipſi Pontifici ſcripſit, & tot alia loca, quibus vim & arma a reformatione abeſſe debere (condemnatus jam licet Romæ & omnium perſecutioni expoſitus) monuit, evidentiſſimum fiet, quam tenui, imo nullo fundamento ex verbis illis dica Luthero ſcribatur. Non meliora ſunt, & referre piget, quæ de matrimonio ejus, aliaque vulgatiſſima & nihil ad rem facientia allata ſunt. Mirati inprimis ſumus, Cap. 3. Autorem hunc, virum gravem & eruditum, putidiſſimam fabulam de colloquio Lutheri cum Diabolo, ex quo Miſſam condemnare & rejicere didicerit, denuo recoquere. Si enim illi non omnino ſatisfecerunt, quæ *Claudius*, & is, quem nominat, *Freiterus*, ad elidendam futiliſſimam cavillationem regeſſerunt, hoc uno argumento convinci potuiſſet, quod Lutherus plus quam biennio ante illud, quod allegant, colloquium publicis ſcriptis Miſſas privatas ſive ſacrificatorias impugnaverit. Demonſtratum hoc eſt a plurimis multos ante annos, & non ita pridem in diſſertatione Abbati *Cordemoyo* oppoſita, cujus contenta in Hiſtoria Lutheraniſmi Seckendorfiana Lib. I. in

Cap. 4. Add. p. 178. & ſeqq. repetuntur. Sed pergimus ad alia. *Capite ſequenti* Caroloſtadius, & Zvinglius vapulant; huic tamen gratia fit, relicto in medio Bolſecci convitio, de inuſto illi ob fœdum crimen ſtigmate; ſed tanto mordacius alia illi exprobrantur. Tribus deinde Diſſertationibus atrociter accuſat Autor Calvinum aliosque, quod Romanæ Eccleſiæ imputent, quæ non doceat, aut quæ doceat diſſimulent.

5. Primarium exemplum ex articulo de juſtificatione proponit, allegato Concilio Tridentino, quod fidem (ſenſu ſcilicet Concilii) a juſtificatione non excludat, adductisque Reformatorum teſtimoniis, qui fidem quam vocant *formatam* requirere videntur, aut bona opera ad ſalutem neceſſario exigunt, eamque his ex merito Chriſti tribuunt. Negat Eccleſiæ Catholicæ dogmata eſſe (licet a non paucis, & Romæ potiſſimum aſſerantur) *infallibilitatem Papæ aut ejus poteſtatem ſupra Concilia, certitudinem canonizationum, immunitatem Cleri ab oneribus perſonalibus aut realibus jure divino.*

6. Cœlibatum dein ſacerdotum prolixe tuetur, & Eccleſiæ ipſi coævum eſſe ſtatuit, rejectis omnibus Claudii & Proteſtantium argumentis contrariis, exemplis etiam de veteris eccleſiæ Epiſcopis, qui conjuges habuerint. Pro certo enim habet (præſuppoſito ſcilicet illorum ſacerdotio) abſtinuiſſe illos ab uxoribus, & contrarii probationē non veretur ab adverſariis poſtulare. Improbat, ut contra regulas Eccle-

7. ſiæ factum, quod Reformati judicium de quæſtionibus religionis Principibus & Magiſtratibus detulerint. Multus itaque eſt in reprehendendis actis colloquii Poſſiaceni, & diſputationis a Zvinglio

8. Tiguri habitæ. Aggreditur denuo & ex profeſſo conſilia & decreta Reformatorum in Gallia, de recipiendis in communionem Lutheranis. ſatisque vehementer diſſidia inter utrosque, maxime in articulo de S. Cœna exaggerat, indeque concludit, concordiam illam non niſi aſtu politico, & humanæ utilitatis reſpectu tentari. Silere hic quoque non poſſumus, quæ de dogmatibus Lutheranis commentatur. Imputat quidem ignorantiam Lutheranæ doctrinæ Claudio, ſed longe majoris ſeipſum reum facit, niſi (quod ſuſpicari nollemus) ſciens falſa proferre voluerit. Interim latere tantæ virum lectionis facile non potuit, Lutherum ea, quæ de purgatorio & de cultu Sanctorum (quanquam neque iſta ſatis recte allegentur) prioribus poſt cœptam diſputationem annis ſcripſit, non multo poſt, ut alia ejus-

modi

modi non pauca, palam retractaſſe. Longe minus articulum *Auguguſtanæ confeſſionis* de Miſſa aliter intelligere debuiſſet, quam de S. Euchariſtia integre celebrata; id quod ſequentia articuli verba, quibus Miſſæ ſacrificatoriæ evidentiſſime rejiciuntur, ſatis oſtendunt, & Lutherus multoties, maxime vero in articulis A. 1537 conſcriptis (qui Smalcaldici vocantur, & repetitæ confeſſionis loco, in Concilio tunc Mantuæ indicto exhibendi erant) omnem vocis illius ambiguitatem ſuſtulit. Non magis ſincerum eſt, quod a Lutheranis rejici ait *Epiſtolas ad Hebræos, ſecundam Petri, tertiam Johannis, totam Jacobi*, itemque *Apocalypſin.* Hic profecto diſtinctio, qua in hoc opere ſuo non ſemel uſus eſt, locum inveniſſet, inter opiniones (nemo enim conſtanter illa ſtatuit) problematicas Doctorum, & conſenſum fidemque Eccleſiæ. Eſſent etiam, quæ ad illa notari poſſent, quæ de imaginibus, & de cantionibus ac precibus Latinis adducit; ſed iſta & alia tranſibimus. De adoratione tamen Chriſti in Sacramento apud Lutheranos, de qua confidenter, ſed non magis perite pronunciat, monendus eſt, illam, ſi neceſſario cum genuflexione aliisque ritibus in Romana Eccleſia uſitatis conjunctā eſſe putat, non inveniri. Notorium enim eſt, & Autor, ſi ut fama fert, in Belgio vivit, facile deprehendere potuiſſet, in multis Lutheranorum cœtibus Sacramentum a ſtantibus percipi. Ubi vero ab accedentibus, vel dum fit conſecratio, in genua procumbitur, illa veneratio actui ſacro accommodata cum latria Romana, quæ hoſtiæ clauſæ, expoſitæ, aut circumgeſtatæ exhibetur, nihil commune habet. Pergit inde Autor ad vexatum illud dogma de *inamiſſibilitate gratiæ*, & ob id acriter inſultat adverſario. Eundem alio argumento oppugnat, ab effectu reformationis deſumto, quem vanum & inutilem fuiſſe cenſet, quia mutationem dogmatum emendatio morum non ſit ſecuta. Probare hoc voluit *Lutheri* & *Jacobi Andreæ*, tum *Calvini* & *Riveti* verbis quibuſdam, qualia quidem omni tempore, etiam optimo Eccleſiæ ſtatu plurimi, ſi non omnes Doctores, adverſus hypocritas, qui maximam fere ſemper cœtuum partem faciunt, detonarunt. Optandum tamen eſſet, ut hæc exprobratio, tum laus egregia qua ſuæ Eccleſiæ ſanctimoniam in moribus mactat, ad fervidius pietatis ſtudium nos omnes excitaret, ut quemadmodum orthodoxiæ, ita & optimæ diſciplinæ gloriam Eccleſiæ noſtræ vindicare poſſemus. Reliqua

Cap. 9. 10. 11. 12.

liqua duo hujus partis capita occupantur maligno labore, ut Sacræ Scripturæ jus dirigendi doctrinam & fidem ablatum, hominibus tribuatur, qui ſibi Eccleſiæ nomen arrogant. Ab his omnes, etiam ſimpliciſſimos, veritatem doceri poſſe, & legitimum & facillimum ei eſſe videtur; ſicut e contrario impoſſibile & inutile, ut id fiat ex Sacra Scriptura absque autoritate Eccleſiæ propoſita, & ſine adminiculo traditionum; minime vero omnium ex ſcrutinio & judicio ſingulorum. Neque illum quicquam movet, quod de operatione & teſtimonio Spiritus Sancti allegari ſolet. Iſthæc omnia nemo non videt inniti aſſerto de Eccleſia viſibili & infallibili.

P. III. Cap. 1. 2. Huic ſtabiliendo *Partem tertiam* magna ex parte Autor deſtinavit. Statuit, quod detur talis Eccleſia, & quod ab ea nulla ex cauſa ſeparatio licita ſit. Conſentire dicit adverſarium, quod ſchiſma fieri non debeat ob corruptam diſciplinam, neque ob rituum diverſitatem, nec ob conſequentias adverſus articulum quendam fundamentalem elicitas. Atqui, ait, articuli, propter quos ſchiſma defendi ſolet, v. g. de merito operum, ſatisfactionibus, indulgentiis, adoratione, Euchariſtia, transſubſtantiatione, ſacrificio Miſſæ, invocatione Sanctorum, cultu imaginum, primatu Papæ, tantum ob conſequentias, quaſi merito Chriſti & honori divino detraherent, a Proteſtantibus rejecti ſunt. Denique etiam neque ob errorem fundamentalem ſeparationi, quam *poſitivam* vocat (cœtuum nempe & rituum novam conſtitutionem) locum concedit, cum fieri nequeat, ut tota Eccleſia viſibilis & univerſalis talem errorem erret; ſi vero id fiat a parte ſaltem quadam, tunc *negativam* ſeparationem a parte errante admittit, ita ut qui ab hac ſeſe ſegregant, reliquis non errantibus adhæreant.

3. 4. Applicat hæc aliaque ſeparationi Reformatorum, & irridet exagitatque, quæ de communione cum fidelibus ſive Eccleſia univerſali inviſibili opponi ſolent. Adſcribit Lutheri loca, quibus fatetur, plurima bona & orthodoxa ipſamque Eccleſiam ſub Papatu manſiſſe, indeque concludit, ſeparationem injuſtam fuiſſe. Verum reſponderi hic debebat ad ea, quæ Lutherus de ſumma & intolerabili corruptione Eccleſiæ demonſtraverat. Quæſtio enim huc tandem redit: an oſtenſis tot erroribus, neque ulla illorum emendatione impetrata, imo rejectis omnibus per multos annos interpoſitis precibus & poſtulationibus, poſt ſævitiam quoque proſcriptionibus, ferro & flammis

flammis exercitam, ſeparatio licita fuerit, accedente Principum, Magiſtratuum & populorum conſenſu? Monſtranda etiam fuiſſet pars magna aut parva Eccleſiæ univerſalis a capitalibus erroribus immunis, cui ſeſe conjungere Proteſtantes potuiſſent. Quanquam enim Autor nihil omittat, ut articulos primarios, propter quos ſeceſſio facta eſt, ad ductum Epiſcopi *Boſſueti*, quam pulcherrimos, puriſſimos & antiquiſſimos depingat, lis tamen adhuc ſub judice manet, nec apparet, ubi ille ex Autoris principiis quæri debeat. Scripturam enim absque autoritate ſive extra tribunal Eccleſiæ non admittit, & iterum diſerte ſtatuit, *infallibilitatem Pontificis non eſſe de fide Eccleſiæ, ſed privatæ opinionis*, ſicut & ſuperioritatem ſupra Concilium aut in Reges. Supereſt igitur unicum remedium a Conciliis univerſalibus, de quorum convocatione, tempore, & forma (negata præſertim Pontificis infallibilitate) inextricabilis eſt difficultas. Sed ad finem progrediendum eſt. Refellit Autor quæ de conſcientia opponi ſolent, qua repugnante decretis Eccleſiaſticis obtemperari non poſſit. Objicit defectum ſucceſſionis Paſtorum, & quæ de conſervata inviſibiliter in corrupta Eccleſia doctrinæ puritate ſtatui ſolent. Abſurdum & inutile habetur, ut ad diſcuſſionem dogmatum procedatur, cum brevisſima & rectisſima via ſit acquieſcendi in definitione Eccleſiæ. Celebratur amplitudo Eccleſiæ Romanæ, & oſtenditur anguſtia illius, quam Reformati & Proteſtantes inſtituerunt. Examinantur denique, quæ Claudius ex Auguſtino regeſſerat, & refutantur.

Cap. 5. 6. | d. c. 6. pag. 99. | Cap. 7. | 8. | 9. | 10. | 11.

Parte quarta diſceptatur de vocatione eorum, qui reformationem ſuſceperunt, & variatio ſententiarum arguitur, dum olim quidam extraordinariam, hodie vero plerique ordinariam fuiſſe ſtatuerint, & rejicitur Claudii conciliatio. Contendit Autor, legitimam vocationem ſive miſſionem & ordinationem a ſolis Epiſcopis, utpote Apoſtolorum ſucceſſoribus, fieri poſſe: ad extraordinariam ſive immediatam vocationem vero miracula requiri, de quibus Reformatores gloriari non posſint. Reſpondetur Claudio neganti, quod Reformati extraordinariam vocationem primis ſuis Doctoribus vindicent, aliumque ſenſum Confesſioni Gallicæ & Synodorũ ſuarum decretis tribuenti. Negatur etiam Reformatoribus illis vocatio ordinaria, cœtibus vero omne jus vocandi & conſtituendi Eccleſiæ mi-

P. IV. Cap. 1. | 2. | 3. | 4.

 niſtros

Cap. 5. niſtros abjudicatur. Rejicitur etiam exceptio, quod quidam ex Reformatoribus in Eccleſia Romana ſacros Ordines acceperint, & pro invalida & nulla habetur ordinatio, quam non Epiſcopi ſed Presbyteri faciunt; denique etiam quæ ab Epiſcopis impetrata fuit, irrita & abolita eſſe dicitur, quia Epiſcopi a Proteſtantibus pro hæreticis & idololatris habiti & veluti excommunicati fuerint. Hæ controverſiæ ex tritisſimis & vexatisſimis ſunt, omnibusque notum eſt, quo fundamento Eccleſiæ Proteſtantium jus vocandi & ordinandi Miniſtros ſibi vindicent.

D. VAL. ALBERTI, P. P. LIPSIENSIS, AUGUſtana Confeſſio, thetice ac apologetice, inprimis contra Jeſuitæ Joannis Déz Redunitionem Argentoratenſium Proteſtantium cum Romana Eccleſia, conſcripta & edita.

Lipſiæ, apud Maurit. Georg. Weidmannum, A. 1690, in 12.
Conſtat plagulis 39.

SEcundus hic eſt e Scriptoribus Pontificiis, quo cum Maxime Reverendus Collega Noſter ſuper Auguſtana Confeſſione calamo publice decernit. Poſtquam enim jam A. LXX & LXXI aliquot ſcriptis Sileſios ſuos, quos ab Auguſtana Confeſſione ingratus Patriæ civis, *Schefflerus*, defeciſſe calumniatus fuerat, maſcule defendiſſet; Auguſtanam etiam Confeſſionem ipſam contra hoſtes ejus, Deo juvante, tutari ſuſtinuit. Ex his primus erat Anonymus ille, qui nomen ac autoritatem Illuſtriſſimi *Comitis a Kollonitſch*, hodie Cardinalis, præferens, Auguſtanam & Anti-Auguſtanam Confeſſionem A. 1681 Viennæ in Auſtria in lucem publicam protrudere auſus fuerat. Huic oppoſuit Noſter A. 1684 ſolidam, ut Titulus habet, Refutationem, vere ſolidam, cum in hunc usque diem nihil ad eam reſponſum fuerit. Conf. Acta noſtra A. 1684 menſ. Nov. pag. 534. ſeqq. Secundus eſt *Joannes Déz*, Theologiæ Doctor e Societate Jeſuitica, qui Redunitionem Argentoratenſium Proteſtantium cum Romana Eccleſia A. 1687 Gallice, mox A. 1688 Germanice, typis publicis Argentorati evulgavit. Vid. Acta noſtra A. 1687 menſ. Jul. pag. 384. ſeqq. Enimvero faciem, aut externa ſi ſpecies, plane ali-

ne hic alius ab Anonymo Viennenſi eſſe videtur. Hic enim cum Auguſtanam Confeſſionem penitus rejiciat, ſeque jugulare ipſam putet; unde Auguſtana & Anti-Auguſtana Confeſſio in titulo Libri monſtroſe ipſi dicitur: Jeſuita contra ſic eam comparatam eſſe cenſet, ut in plerisque cum decretis Concilii Tridentini conciliari poſſit. Hinc Redunitionē Argentoratenſium Proteſtantium cum Romana Eccleſia non tantum animo concepit, ſed & ab ea titulum Libri hujus ſui petiit. Sed quo blandius loquitur, eo magis nocet; inprimis in Eccleſia preſſa, cui tales inſidiæ non ſine periculo ſtruuntur. Hinc Noſter non minus hujus fallacias jam, quam illius criminationes antehac examinare ac refutare voluit; ſic tamen, ut de veritate ſententiæ noſtræ ante omnia ſemper conſtaret. Ex hac cauſa Theſin noſtram ex Aug. Conf. aut aliis etiam Libris Eccleſiæ Noſtræ Symbolicis ſemper præmittit; deinde vero dubia tum aliorum, tum Jeſuitæ Déz inprimis, ſubjicit & refellit. Unde geminus uſus in legentem, alius ex probata Theſi, alius ex refutata Antitheſi, redundabit. Numerus capitum excurrit ad XXXIII, quæ ſingula diſputando prius ſub incudem publice revocata fuerunt. Horum primum agit de ſcriptis Symbolicis in genere; ſecundum de Noſtris Libris Symbolicis in ſpecie; tertium de duabus affectionibus Aug. Conf. quæ maxime in dubiū vocantur. Quæ ſequuntur, Articulos A. C. ſuo ordine pertractatos & vindicatos ſiſtunt; niſi quod ſex ultima ſpeciatim examen eorum continent, quæ Jeſuita, extra ordinem quaſi, adjecit aut inſperſit. Hunc in modum agitur de Indulgentiis in cap. 28, de Eccleſia hodierna Rom. in cap. 29, de hypotheſibus fundamentalibus Jeſuitæ Déz in 30, de principalibus theſibus ejusdem in 31, de Papismo irreconciliabili contra eundem in 32, de iis quæ idem Eccleſiæ Argentoratenſi ſpeciatim imputavit, in 33. Nec inutile forſan eſſet, ea, quæ apologetice contra Jeſuitam Déz per totum librum adducta & deducta ſunt, excerpere ac in idioma Germanicum transfundere, cum & ille noſtra lingua loqui veritus non fuerit. Sed de hoc viderit judicaveritque Graviſſimus Autor ipſe.

THOMÆ BARTHOLINI THOMÆ FILII ANtiquitatum Danicarum de cauſis contemtæ a Danis adhuc Gentilibus mortis Lib. II. & III.

Hafniæ, 1689, in 4.

Lib. II. cap. I. GLoriæ ſtudium veteres Danos ad mortem contemnendam vel maxime inſtimulaſſe, exemplis Heroum quamplurimis libro hujus operis primo, quem menſe Decembri antecedentis anni pag. 625.ſqq. recenſuimus, adductis demonſtravit Clariſſimus *Bartholinus*. Nunc ſecundo in libro oſtendere id ſatagit, eradicandæ mortis formidini non minus inſerviiſſe creditam firmiter animarum immortalitatem, & futuræ poſt temporalem mortem vitæ ſpem indubiam. Nam uti nullum dogma penes cultas æque ac barbaras gentes diffuſum latius eſt, atque hoc de anima poſt ἀνάλυσιν ſuperſtite: ita apud Danos quoque radiis Evangelicæ lucis necdum illuſtratos id opinionis obtinuit, teſte Edda antiqua Sæmundi Frode, cujus in Oda quadam Helgo & Sigruna, qui extincti fuerant, nati fuiſſe dicuntur, quo ipſo credita animarum de corpore in corpus migratio innuitur; quanquam Bartholinus & hoc connotat, Septentrionales pleroſque, non ab alio in aliud corpus migrare animam, ſed in aliam vitam, credidiſſe. Hujusdem de animæ immortalitate perſuaſionis non obſcurum indiciũ eſt exquiſita ſepulturæ cura a Danis adhibita, & ſolennes inferiæ, quæ celebratæ utique haud fuiſſent, niſi Manes eſſe illi credidiſſent. Manes autem ipſis erant defunctorum animæ pro Diis cultæ. Dii Septentrionalium alias præcipui erant Odinus, Thorus, & Freyus; ſed hos fortes olim potentesque fuiſſe homines, Snorro Sturlæſonius dilucide expoſuit. Reges autem inprimis poſt fata in numerum Deorum ſunt relati, & præter Reges illi quoque, qui magicis artibus, quæ divinæ illis viſæ, excelluerant; nam ab his quoque opportuna invocantibus auxilia afferri credebatur. Cæterum non invocati tantum fuerunt, ſed ſacrificiis etiam placati; quale quid factum ab Haquino Norvagiæ Comite, qui ut Thorgerdam Horgatroll familiare ſibi Numen propitiaret, filium ei immolavit, magicisque aliis artibus victoriam ſibi contra pugnaciſſimos Jombsburgenſes comparavit. Iisdem artibus victoriam obtinuiſſe Suerrum Norvegiæ Regem, Guilielmus Petitus, Canonicus regularis Ord. S. Auguſtini in Cœnobio Neuburgenſi, lib. III. de rebus Anglicis c. VI aſſeveravit. Sed id maculæ huic optimo Regi contra jus & fas omne adſpergi, prolixe oſtendit Bartholinus, ubi & alia per calumniam ei attributa refelluntur.

II. Manes autem, qui Danis priſcis credebantur, dicun-

dicuntur alioquin Larvæ, Lemures, Lares, & vulgatiſſima voce ſpectra. Cum his luctari qui non reformidabat, fortiſſimus omnium habebatur. Qui ſpectra videre interdiu poterant, dicti *lyncei*, Danice *Ofresker*, qualem gratiam ſingulari Dei beneficio ob innocentiam nonnullis contingere, arbitrabantur. Spectrorum vero apparitionibus obex ut poneretur, vel caput corpori abſciſſum, partibusq; obſcœnis appoſitum fuit, vel cadaver ſtipite palove magna vi per truncū adacto humi affixum, vel qui communior modus erat, corpus humo effoſſum in minutiſſimos cineres redactum. Crematorū etiam quorundā, ut Hrappi,(qui cum, prout juſſerat, ſtans in culinæ foribus fuiſſet ſepultus, ut eo facilius habitationem ſuam poſſet inſpicere, poſt mortem apparens non operarios tantum ſuos, ſed & viciniam cunctam infeſtarat,) cineres in mare etiam projecti fuere Qua occaſione rationem reddit Autor, cur mortem in undis adeo reformidarint olim gentiles alii, non item Dani. Illi enim Stoicæ Philoſophiæ addicti, cum animam non niſi ignem eſſe putarent, in mari, tanquam elemento contrario extingui eam perſuaſum habebant: hi vero, quod hominē ex ligno creatum crederent, mortē in aqua haud expaverunt; lignum ſiquidem in ſuperficie aquæ natitat, nec ad fundum usq; demergitur. Sed nec alia Autori conjectura deeſt ex Ægyptiorum penetralibus, cur homines nempe formati ex ligno fuerint crediti; quia videlicet navigia nonniſi ex lignis confici ſoleant. Statuiſſe autem Ægyptios, animam primum corpus veluti navigium conſcendere; & hinc navigiū apud eos conſecrationis fuiſſe ſymbolum. Beati autem, ut ad rem redeamus, imprimis illi videbantur, qui in prælio profuderant animā. Hos enim præ ſeneſcentibus atque aliis domi functis in Valhallam, de qua poſt paulo plura, deferri credebant. Valhallæ hujus Dominus qui ſit, expoſiturus Bartholinus, generatim prænotat, unicuiq; Septentrionis regno Deum quendam, durante Ethniciſmo, fuiſſe tutelarem. Suecis autem præcipue cultus fuit Freyus, Rex olim ipſorum, adoratusque in annonæ potiſſimum penuria, imo & victimis humanis propitiatus. Hic Freyus dictus & Fro, ſed minime confundendus cum Frothone Daniæ Rege, quod Vir clariſſimus Olaus Rudbeckius in Atlantica ſua perperam feciſſe dicitur. Idem Freyus non in Suecia tantum, ſed in Norvegia quoque ac Islandia Numinis loco eſt habitus. Islandis autem peculiare Numen erat Thorus, ex Norvegia

Cap. III.

IV.

V.

vegia eo transvectum, cujus ſimulacrum ingens malleum manu tenens repræſentabatur, quanquam & Dani Thorum coluere non ſine libatione humani ſanguinis. Horum autem primarius Deus erat Odinus, qui res bellicas dirigere credebatur, furoremque hominibus, quem *Berſerkicum* vocabant, immittere, quo qui correptus erat, vel decem aliis poterat obſiſtere, utut infirmus extra raptum ac debilis. Belli alias præſes erat & Freya, cum armis idcirco expreſſa, quæ quidem & nuptiis præeſſe credita eſt; nec non præter Freyam Tyr, ſed cum Thoro non confundendus. Diverſitas enim horum patet vel ex nominibus dierum. Nam tertius in hebdomade a Tyro vocatur
VI. *Tyrsdagus* vel *Tysdagus*, quintus a Thoro *Thorsdagus*. Odinus autem inter bellicos Deos erat princeps, qui *Valfaudr*, h. e. *pater cæſorum* dictus, quia dilecti ejus filii audiebant, quicunque in præliis ceciderant; quanquam & Freya participare cum eo cæſorum animos putabatur, matronasque imprimis, a queis culta fuerat, honorifice excipere. Islandi ex Norvegis oriundi apud Thorum, quem impenſius venerabantur, animas ſuas ſedem inventuras credebant; quanquam alii Islandorum montes pro receptaculis animarum ſuarum habebant, eosque ideo Thoro conſecrabant; qualis inprimis fuit *Helgafell* h. e. mons ſacer dictus; quibus & annumerandus eſt Hecla, mons Islandiæ ignivomus. Nam & hunc Papana ſuperſtitio, poſt paganam, receptaculum animarum fecit, ſed impiarum, quæ in eo
VII. poſt exceſſum ex corporibus crucientur. Odino autem inprimis animæ occidendorum ab Heroibus Danis promiſſæ; quemadmodum & ipſe Odinus moriturus omnes vi armorum mortuos ſeu dein morituros ſibi vendicavit, Freyæ nonniſi deteriorem relinquens ſexum. Idem Odinus, telo, quod *Geir* vocatur, cujus & forma æri inciſa h. l. exhibetur, vulnerari ſe fecit, ut tanto majori ſpecie veri Valhallam ſe obtenturum crederetur. Ad Valhallam enim niſi per cædem & ſanguinem non patebat aditus; quod perſuaſiſſimum cum eſſet Danis veteribus, præfracto atque obſtinato adverſus hoſtes animo dimicabant, ſique in bello cadere haud licebat, ſibi ipſis mortem, ob ſpem in Valhallam deveniendi, inferebant, & ex rupibus quidem cum maxime in mare vicinum ſe præcipitabant. Valhalla
VII. autem excludebantur ſervi, ut & homines ſenecta ac morbis oppreſſi. Neque enim ullus hac dignus videbatur, niſi in bello cæſus. Sed quæ-

quænam illa denique Valhalla, cujus deſiderio horrenda mortis a Danis Ethnicis fuerunt ſpreta? Valhalla, ſi originem vocis ſpectes, eſt aula cæſorum. *Valr* enim cæſos in prælio (unde & *Walſtat* locus cæſorum, & *Walſart* peregrinatio ad loca ſanctorum defunctorum) *hall* vero aulam vel palatium ſignificat. Valhalla autem locus fuit in Aſgardia, quæ eadem Bartholino videtur cum *Gladsheimo*, h. e. lætitiæ domo. Hunc locum Septentrionales in Scythia, unde & Odinus ipſorum Numen venerat, collocarunt, qui & *Gundheim* h. e. Dei mundus dictus eſt. Eo cum non niſi equis perveniri poſſe crederetur, factum, ut equi quoque tumulati cum Heroibus defunctis fuerint, ut animæ videlicet illorum non in locum tantum iſtum equitarent, ſed equis etiam in ipſa Valhalla uterentur. Equis autem qui carebant, eorum pedibus letales calcei per corrigias firmiſſime alligabantur, ut tantum viæ ad Valhallam ducentis ſpatium poſſent conficere. Et calceis quidem vel ideo quoque utebantur, quia *Aſas* h. e. deos ſuos calceatos credebant. Hac occaſione diſſeritur de ſoleis ligneis, quarum beneficio Scritofinni feras ipſas curſu prætereunt, quibus ipſis quoque in locis ſaxoſis, cautibusque continuis per habent opus. Equorum autem uſus cum in altera vita vel maxime fuiſſet creditus, equus non cremando tantum corpori adjectus, ut mortuus Valhallam recta peteret, ſed & alius cineribus collectis junctus, ut in Valhalla ipſa eo uti deinceps poſſet. Quanquam non equos duntaxat, ſed canes etiam, qui vivis in pretio fuerant, lupi item & corvi, ut depaſcendo corpora ſepelirent, fuerunt contumulati; (quemadmodum & corvus Odino peculiariter erat ſacer:) quin & alia, quæ viventibus cara ac proficua fuerant, cum defunctis jacta in ignem vel defoſſa; & pecunia quidem potiſſimum ſepulta inſimul ſub mortuorum vel humeris vel genubus. Atque hinc tot Heroum tumuli ſollicitati. Pecunia autem ideo cum extinctis mandata terræ, ut in Valhalla ejus eſſet uſus; quanquam & hoc factum ab aliis creditur, ut piraticam qui exercuerant, hoc ipſo filiis ſuis neceſſitatem paria faciendi imponerent. Exponitur hoc loco ab Autore Lapis Tirſſtedenſis, ab Olao Wormio jam olim in lucem protractus, & notabilia de piratis afferuntur, qui Reges maris dicebantur. cumq; Dani Angliam inprimis infeſtarent, ab illis *Wiccingi* h. e. piratæ, ſed a Saxonibus *Aſcomanni* ab *Askum*, quod navem ſignificat, appel- Cap. IX.

Digitized by Google

appellati fuere. Coacti enim Regum filii, quos primogeniti hæreditarium jus a Regni poſſeſſione excludebat, ex lege patria ſedes ſibi atque opes extra patriam per piraticam acquirere. Sed ſpecioſa hæc cauſa inſatiabili opum cupiditati prætexta eſt. Nam nihil frequentius veteribus Danis piratico fuit exercitio. Id Haraldus equidem Pulchricomus, Norvegiæ Rex, ejusque filius Olaus ſuſtulerunt; ob Slavorum tamen maritimas in Daniam excurſiones, piratica ſub certis legibus reſtaurata eſt. Erant enim piratæ quidam tantæ feritatis, ut crudas carnes comederent; imo & tam immanis crudelitatis, ut tenellos infantulos in altum projectos haſtarum mucronibus exciperent. Hi tales itaque deleti ab illis, qui piraticam ſocietatem ſub certis legibus inierant. Neque vero alius his erat ſcopus, quam ut ingentem auri argentique vim undecunque corraderent. Atque hinc exotici quoque nummi in tumulis Danorum reperti, per piraticam quippe hinc inde acquiſiti; quanquam & nummi in illis inventi literis Runicis inſcripti, quales æri inciſi hoc ipſo cap. IX libri II exhibentur; qui cum verbis quoque & characteribus magicis videantur inſigniti, amuletorum ſeu appendiculorum medicorum loco ad mala averruncanda geſtati in collo fuiſſe videntur. Amuletis hiſce talibus inſculpta erant & idola, Odinus inprimis, & corvus Odino ſacer, qui & tanquam boni ominis ales vexillis intextus conſpiciebatur. Præter corvum & taurus Cimbris fuit in pretio, imo & Diis in victimam datus. Speciatim vero Ogvvaldus Regulus vaccæ, cujus lacte vitam ſuſtentaverat, divinos honores tribuit, quam & proxime a tumulo ſuo tumulari juſſit. Cæterum cur piratæ Daniæ veteris theſauros ſuos ante ingreſſum pugnæ defoderint, ſupra jam indicatum eſt, nempe ob futurum eorum in Valhalla uſum, quem Odinus ipſis promiſerat, qui & divitiarum præſes vel Pluto ab illis credebatur, Præter pecuniam vero, & alia pretioſa mortuis fuerunt appoſita, veſtes nempe optimæ, armillæ, galeæ, clinodiaque alia, non aliam ob cauſam, quam quia rerum harum ferali igni addictarum uſus etiam in altera vita fore putabatur; quæ & ipſa conjugum concrematarum ac conſepultarum fuit ratio. Nam & apud Septentrionales, uti apud Thraces, Herulos, Pruſſos, Winetos & Indos, uxores maritis ſuperſtites aut crematæ fuerunt, aut ſuper corpora eorum interfectæ; quin ipſæ uxores ultro in exequiis maritorum ſe peremerunt, ut

ut non communi tantum cum illis gauderent ſepultura, ſed amorem quoque in Valhalla conjugalem renovarent. Simile quid factum ab iis, qui adamantinam inter ſe amicitiam contraxerant, eandem in Valhalla continuaturi. In bello autem caſuri, vel ab Odino Cap. XI.
ipſo, vel a virginibus ejus miniſtris Valkyriis, per aera & maria equitantibus, in Valhallam, ſed cum delectu invitabantur. Dii etiam ipſi, Hermodus inprimis & Bragus, occurrere illis crediti, qui fortiter in bello ceciderant. Recepti in Valhallam non deliciis tantum omnibus frui, ſed & ſummis honoribus affici exiſtimati. Ita enim perſuaſum ipſis ab Odino fuerat, ut tanto ferventius in arma ruerent. Dicti etiam nomine cum deaſtris communi *Einheriar*, h. e. *Monoheroes* ſeu ſoli Domini, quin & in loco Valhallæ honoratiore, atque in ipſa Odini menſa collocati. Solus autem Odinus in Valhal- XII.
la (ſecundum veterum Danorum perſuaſionem) bibit vinum; Monoheroes cereviſiam tantum ac medonem ſeu potionem melleam. Nam uti heroicum quid in hac vita cenſebatur, evacuare pocula cereviſia vel medone plena, ita Monoheroibus quoque in Valhalla potatio quotidiana tribuebatur. Pocillatores ibi agunt illæ, a quibus invitatæ in beatas ſedes fuerant, Valkyriæ ſcilicet, quarum non paucæ h. l. nominantur. Pocula ipſa ſunt cornea, ſed minime ex communi animalium cornu elaborata; ſacratiora autem ſunt, tam apud Danos quam alias gentes, cæſorum crania, quibus & *Skala* nomen eſt inditum. Nec eſculenti quid deeſt Monoheroibus præter potulenta iſta duo, caro videlicet ſuilla, ſeu lardum apri tanquam maxime nutriens, ſed quod Mahumedanis æque ac Judæis valde eſt abominabile. Prius vero, quam deliciis lautitiisque præmemoratis reficiun- XIII.
tur Monoheroes, quotidianis vacant (loquimur ex opinione veterum Danorum) exercitiis, & illis quidem ipſis, quibus in hac vita vacaverant. Quod cum abſurdum humanæ rationi videretur, per Hildæ magicas artes id fieri, borealibus populis Odinus perſuaſit. Mortuis equidem aliis malorum præteritorum tributa eſt oblivio, ſed non item Monoheroibus, & hinc arma quoque cum mortuis cremata ſimul aut ſepulta. Nam idem, ut jam innuimus, vitæ genus olim, ſi ſurgerent, aggreſſuri credebantur. Gladium autem inprimis ſecum in Valhallam portare veteres Danorum Heroes præoptabant; unde & fragmina gladiorum juxta urnas cineribus repletas in tumulis

Digitized by Google

hodieque Danicis reperiuntur. Neque abrogatus hic mos eſt, poſt Chriſtianam Religionem in Daniam invectam. Etenim a Chriſtianis quoque gladii ſupra feretra mortuorum collocati, poſteaque ad ſepulcralia monumenta ſunt ſuſpenſi, ut & ornamento eſſent, & fortitudinis in vita exertæ documento. Alia autem fini a Gentilibus gladii cum mortuis defodiebantur, ut iis nimirum Heroes in Valhalla quoque uterentur. Nam ibi etiam Odinus & Aſæ in crepuſculo committere armiluſtrium cum Heroibus credebantur, & bipennibus quidem maxime. Præter Valhallam & alia erat ſedes pro morbo & ſenecta extinctis, *Niſlheimum* dicta, eaq; non minus quam Valhalla
C. XIV. ante crepuſculum Deorum, quod *Ragnarøckr* explicatur. Poſt hoc crepuſculum duo alia animarum receptacula fuerunt credita, alterum bonorum præmiis ac voluptatibus afficiendorum, alterum malorum pœnis affligendorum, quorum illud *Gimle*, hoc *Naſtrond* fuit dictum. Scilicet uti aliæ gentes, quæ a Bartholino memorantur, ſic veteres quoque Dani non mundum tantum aliquando deflagraturum, ſed & duplicem manſionem, proborum nempe & improborum, fore crediderunt. Cum Stoicis autem inprimis veteres Septentrionales concinunt. Cum his enim illi & deflagrationem mundi, & fatum inevitabile quoddam ſtatuerunt, quorum & hoc tertia contemtæ a Danis adhuc gentilibus mortis cauſa eſt, de qua III libro jam recenſendo agit Bartholinus.

Lib. III. Fatum iſtiusmodi tribus adſcriptum Virginibus, quas Græci
Cap. I. *Μοίρας*, Latini Parcas dixere. Idem quoq; ſub poteſtate trium *Nornarum* eſſe, veteres Dani ſtatuerunt. Nomina illarum ſunt *Urdr, Verdandi* & *Skuld*. Primus autem fatorum conſtitutor fuit Odinus (ex perſuaſione eorundem) cum uxore Frigga. Præter tres Nornas jam dictas ſeu Parcas, plures aliæ credebantur ad quemlibet mortalium nativitatis tempore venientes, certumque vitæ terminum ei aſſignantes, quæ ſi puerperis ſubveniebant, *Diſa* appellabantur, ſed
II. communi deabus omnibus vocabulo. His ſacella quoque ac templa dedicata, nec ab aliis oracula peti ſueta, quæ edebantur vel voce vel ſigno. Nec Vates deerant vetuſtiſſimis Danis de futuris prædicentes, qui Manes evocabant per carmina, quæ *Valgalldr* dicta. Nam *valdr* mortuum vel cæſum, & *galldr* quodvis magicum carmen denotat. Adhæc literis Runicis ab Odino inventis, iisque certo modo ex-

Digitized by Google

do exaratis mortui ſciſcitari poſſe credebantur. *Runir* alias generatim ſermonem quemvis ſignificat, ſed ſtrictius literas famoſiſſimas Odini, qui ob earum adinventionem *Runhofdi* h. e. repertor Runarum dictus eſt. Idem Odinus in Septentrione Magiæ fuit autor, quæ *Seidr* dicta, adhibitis his ipſis literis Runicis, per quas & amor puellarum fuit conciliatus. Cæterum futura qui prædicebant, hariolari Cap. III.
ſolebant ex hoſtiis humanis, corde inprimis & ſtomacho, ſed frequentiora ab avibus petebantur auſpicia, a corvis maxime, Odino ſacris, cygnisq; & cornicibus; ſumma quoque in reverentia ſortes divinatoriæ erant, per quas Numina prius, quam magni quid inciperetur, conſulebantur; quam in rem virgæ præcipue ſalignæ adhibitæ, ſomnia item, ſternutationes, alia. Plurimum autem tribuebatur præſagitioni mentis, nec non ſignis quibusdam ex faciei, oris ac frontis inſpectione ſumtis. Præter viros divinatores dabantur & fœminæ in Septentrione fatidicæ, *Volæ* appellatæ, quæ infantibus pariter atque adultis futura prædicebant. IV.
Magia autem potentior credebatur ipſa Regis Fortuna; quin & ipſi Reges pro diſpenſatoribus Fortunæ habiti. Hanc qui adjunctam ſibi vel commodatam credebant, imperterriti omnia ſuſcipiebant, plane ut illi, qui fatum immobile ſtatuebant. Tale autem ſtatuebant veteres Dani, uti hodieque Turci, V.
quibus & ipſis fatorum immobilitas mortis timorem omnem, uti Danis olim, ſolet adimere. Juxta hanc tamen de fato immutabili perſuaſionem & hoc perſuaſi erant Septentrionales, produci aliquousq; fata poſſe, ſi alter quiſpiam pro eo, qui longævam vitã expetit, ſubiret mortẽ; quo crudeli remedio vitam ſuam ad incredibilẽ usq; ſenectam extendiſſe Onus Rex Sueciæ traditur, novem filiis Odino oblatis, isq; & decimum eidem immolaturus, niſi Sueci obſtitiſſent. Sed execrabilis eſt mors id genus vicaria; ſalutaris vero mors vicaria CHRISTI, ſola quippe vitæ cauſa, in qua ipſa Autor & deſinit.

FRANCISCI BORDONI PARMENSIS, TERTII Ordinis Regularis S. Franciſci olim Generalis Opera Varia.

Parmæ, typis Joſephi ab Oleo, & Hippolyti Roſati, 1688 & 1689, fol.

Conſtant plagulis 207.

Proſtant Lipſiæ apud Gleditſchium.

POſthumum hoc Opus factum eſt non quidem Autoris conſilio aut juſſu, quippe qui vivus fœtum iſtum tollere deproperabat, ſed Typographorum Lugdunenſium mora, de quorum iniquitate Editores, Fratres Conventus S. Mariæ de Quarterio Parmæ, in præfatione conqueruntur. In tres vero partes quantitate invicem ſibi prope conformes opus ipſum ſic diſtinguitur, ut quælibet pars ſuo numero & indice peculiari gaudeat. Offert ſe primum Tractatus de Legatis in teſtamento aut alia ultima voluntate relictis; ſequuntur deinde centum Conſilia; tertio ſubjicitur Tractatus de Privilegiis Clericorum. De ſingulis jam paulo ſpecialius.

Tractatus de Legatis XX. capitibus abſolvitur, quæ eo ordine pertexuit Autor, ut unicuique definitionem aut axioma quoddam præmittat, cujus ductu deinceps quæſtiones ſpeciales liberiori utut methodo ſubjicit. Sic in Cap. 1. quod de legatis in genere agit, definitionem legati primum ſiſtit, eamque exponit, poſtea 55. quæſtiones format generales hujus materiæ articulos concernentes, (diviſiones puta, objectum, adjuncta, privilegium tacitæ hypothecæ, actiones & ſi quid his aliud ſimile) quas protinus ſecundum Juris Romani fundamenta ſolide ac perſpicue decidit. In Cap. 2. & 3. perſonas luſtrat tum ad relinquenda tum acquirenda legata capaces, & circa alterum momentum ſcenæ ſervit, plenius deducendo Religioſorum habilitatem, & ex his eorum ſeorſim, qui Franciſcanorum ordinibus addicti. Prolixe hac occaſione de Franciſcanorum tribus ordinibus, eorundemq; inſtitutionibus, regulis ac privilegiis agit. Profitetur poſtmodũ Autor, ſe quoq; nomen dediſſe tertio Franciſcanorum ordini, ex quo Tertiarii nuncupari ſoleant. Ex hac deniq; digreſſione iſtius connexionis beneficio in viam redit, dum de ſingulorum ordinũ Franciſcanorum habilitate ad legata acquirenda diſquirere inſtituit. Poſterioribus ordinibus, Tertiariis ſcilicet modo dictis, & Sororibus S. Claræ, quæ ſub regula ſecunda vivunt, acquiſitionem legatorum libere indulget; Fratres vero minores ſub prima regula conſtitutos, propter paupertatis ſolenne votum incapaces eſſe demonſtrat ad acquiſitionem tum mobilium tum immobilium rerum, quocunque demum ex titulo ea procedat; neque enim ulla in re dominium habere debent; qua de re & in Concilio Tridentino rigide cautum. Confeſtim tamen duæ notabiles limitationes adjiciuntur: 1.) Mona-

chis

Digitized by Google

chis iſtis eleemoſynæ titulo aliquid relinqui poſſe ad victum & veſtitum; ne vero in hoc neceſſitatis ultimæ caſu rerum dominio, contra ordinis regulas, ſemet inquinent, fingunt, quod ipſis eo modo relictum eſt, ad Eccleſiam Romanam jure dominii pertinere, cujus nomine Syndicus conſtituatur, qui exactionem & ſolutionem urgeat. 2) Libere poſſe relinqui ipſorum Eccleſiis, Sacriſtiis, lampadibus, fabricis &c. quia nequaquam hæ res, ſed tantum perſonæ paupertatis voto obſtringantur. Generatim de cætero Religioſis addictior eſſe videtur Autor; dum ſæpius illis & contra teſtatorum voluntatem, legatorum acquiſitionem facillimam reddere laborat. Aſſerit, v. g. legatarium ſub nubendi conditione relictum legatum acquirere, ſi Religioſorum ordinem ingrediatur; imo legatum pro maritandis puellis indefinite relictum & his tribui, imo præ cæteris præſtari, quæ vitæ monaſticæ ſemet addicunt; porro legatarium, qui ad nuptias carnales 1000 florenos, 500 vero pro ingreſſu ad vitam monaſticam relictos habet, adhuc tamen obtinere pingue 1000 fl. legatum, ſi ordinem Religioſum ſuſcipiat, & quæ his ſimiles aliæ complures quæſtiones proponuntur. Ut adeo juſta nos ſubeat admiratio, a Religioſis in ſpirituali iſto, quod crepant, matrimonio, dotis adinſtar bona temporalia levi ſub prætextu tam rigoroſe vindicari, ut Laici, qui ſecularia unice curare ipſis cenſentur, ea tam anxie & avide appetere haud quaquam ſuſtineant. In Cap. 4. legata ad pias cauſas ſpecialiter declarat, ſingulasque ſpecies fuſe recenſet. Contra morē in antecedente capite uſurpatum, ſtrictius paulo voluntatem defunctorum ſubinde interpretatur, v. g. circa legatum pauperibus indefinite relictum, dum illud nec hoſpitali, nec monaſterio, nec uni pauperi, quamvis in ſumma egeſtate conſtituto (contra noſtratium quorundam ſententiam) addicere audet. In Quæſt. 26. inter legata pia refert, quod legatario pro obtinendo Doctoratu relictum eſt; ducto argumento a legatis ad ſtudia liberalia, quæ communi voto pro piis habentur.

In Cap. 5. prolixe & diſtincte excutitur, an valeant legata ex teſtamento imperfecto, revocato, irrito, deſtituto. Qua in re illud Autor noſter præcipuum habet, quod juri Cæſareo conſonum reddere laboret jus Canonicū; & tantiſper a plurimis ſui ordinis Doctoribus alienus ſit, qui levi de cauſa nullibi non differentias ad deſtruendā ju-

ris Civilis autoritatem fingunt, easque immoderate extendunt. Rotunde negat, obligari hæredem ex teſtamento imperfecto, aut revocato, ad ſolvenda legata pia licet cum Miſſarum onere relicta. Porro de minus ſolennibus teſtamentis ſecundum diſpoſitionẽ Juris Canonici ad pias cauſas & coram Parocho & duobus teſtibus confectis, ubi diſſerere inſtituit; prius quidem inter Chriſtianos ubiq; valere contendit (prout & Noſtrates Dd. conſentientes habet) poſterioris vero non minus uſum ad graviter decumbentes, quam autoritatem ad provincias Pontifici immediate ſubjectas coarctat; & ſtricte inſuper ſecundum Juris Civilis tenorem requirit teſtes maſculos ac ſpecialiter rogatos; quibus requiſitis obſervatis aut non obſervatis, profana pariter ac pia legata ſubſiſtere aut non ſubſiſtere concludit. Poſtmodũ interſcenii cujusdã inſtar, per VII capita, a VI videlicet usq; ad XII, occaſione legatorum ad Miſſas relictorũ multa de Altaribus defunctorum, de Indulgentiis, de Capellaniis & Capellanis immiſcet. Quæſtiones in capitibꝰ hiſce haud paucæ ad forũ Theologicum ſpectant, imprimis quæ de Indulgentiarum origine, autoritate & effectu conceptæ ſunt. Quo in negotio admodum tenaciter defendit Autor, indulgentias per Miſſas obtentas ad animæ liberationem infallibiliter prodeſſe; & ſimul operoſe refutare contendit complures ſuæ alias religionis Doctores mollius paulo de indulgentiis ferentes judiciũ, eas videlicet neq; ex promiſſione divina, neq; infallibiliter prodeſſe, ſed tantum ex Dei benigna acceptatione. Ex ſaltu tamen iſto ſatis devio ſub initium capitis XIII ad planiora Juris Civilis jugera revertitur Autor, & iter relictum exacte inveſtigat. Subſtiterat in Cap. V. circa declarationem legatorum, quæ ex teſtamento imperfecto, deſtituto, revocato aut irrito pendent; nunc porro proſequitur, quæ ad Diſſentanea legatorum pertinere videntur. Hinc in diſtinctis capitibus de legatis caducis & nullis; de legatorum commutatione, præſcriptione, ceſſatione ob modum, conditionem, cauſamve deficientem; in ſpeciali quoque capite de amiſſione legatorum ob nuptias disquirit. Et in hoc poſtremo capite ex Ordinis ſui inſtituto obtinere contendit, conditionem, ſi non nupſerit, legato annexam pro valida eſſe habendam, contra diſpoſitionem l. 63. & l. 64. ff. de Demonſtr. quas hoc ſub prætextu, quaſi ab infidelibus Imperatoribus originem ducant, reprobat. Quin & circa illam conditionem, *ſi*

legata-

Digitized by Google

legataria honeſte & caſte vixerit, ſingularem prorſus opinionem fovere & ſerio defendere videtur. Putat quippe fœminam, quæ tali ſub conditione legatum relictum habet, illud nequaquam perdere per unum vel alterum fornicationis actum, ſed tum demum, ubi quæſtum corporis fecerit, & more meretricio vixerit; verba, *ſi caſte vixerit*, tractum vivendi ſucceſſivum reſpicere, & cum diuturnitate aliqua accipi; non minus & inhoneſtam vitam continuationem inhoneſtorum actuum cum duratione temporis, quam honeſtam honeſtorum actuum requirere; & concludit denique, unam hirundinem non facere ver, nec unam fornicationem facere vitam de caſta inhoneſtam. Acu rem tetigiſſe videtur Autor, ut ex hoc argumento quis facile ſibi perſuaderet, vitam ſenis plurium annorum ſeriem ac durationem requirere, ergo & mortem ſenis uno momento haud contingere, ſed plurium annorum ſeriem ac durationem requirere.

Reſtant adhuc duo capita, XIX & XX, quæ concepta ſunt de legatis dotalibus & Cautione Mutiana in legatis modalibus & ſub conditione negativa relictis potiſſimum præſtanda. In priori præter morem adverſus ſexum ſequiorem paulo rigidior, legatis dotalibus neutiquam favorem, quem legata ad pias cauſas habere cenſentur, indulget, niſi pauperculis forte relicta ſint. Aſſerit dehinc ſub quæſt. 3 & 4. legatum dotis a patre relictum pro puro eſſe habendum & ad hæredes legatariæ tranſire; ſecus, ſi ab extraneo relinquatur. Sub quæſt. 8. declarat, pro orphanis puellis & eas habendas eſſe, quæ patre tantum orbatæ ſunt, ut legata pro elocandis miſellis iſtis relicta & iſtæ capere valeant. In poſtremo capite contra Sperellum in Deciſ. 159. n. 12. concludit, quod & in legatis piis cautio Mutiana perinde ac in profanis præſtari debeat.

Hæc de parte prima. Sequuntur 100 Conſilia, fortuito quidem ordine invicem diſpoſita, accurato tamen judicio ſigillatim elaborata, quæ magis compendioſa via percurrere licebit. Potior Conſiliorum iſtorum numerus refert ſemet ad Juris Eccleſiaſtici quæſtiones, quæ partim Clericorum ſtatum, ordines ac delicta; partim bona eccleſiaſtica & ritus Eccleſiæ Romanæ concernunt. Sic in Conſ. 2. aſſeritur, novitium in monaſterio probationis annum agentem pro ſeculari adhuc haberi ad effectum conſequendi legati. In Conſ. 9. 10. 59. disquiritur, an Epiſcopus uti poſſit Sacerdote Collegiatæ Eccleſiæ

cleſiæ pro confeſſionario monialium; an Canonici Collegiatæ præferantur Curatæ; an Archi-Presbyter Archi-Diacono præferendus. In Conſ. 75. & 77. deciditur, quod vir uxorem cogere non poſſit, ut determinato Confeſſionario utatur; quod Parochus, qui mulierem ad confeſſionale accedentem publice a confeſſione expulit, cogendus ſit ad reſarciendam injuriã in eodem loco, die feſtivo & coram populo. In Conſſ. 5. 8. & 28 agitur de cuſtodia bonorum Eccleſiæ Epiſcopo debita; de continuatione Proceſſionis tempore peſtis; de ſuspenſione aliarum indulgentiarum in Jubilæorum conceſſione; & quæ hujus generis alia. In Conſ. 72. Juris Juſtinianei emendationem urget Autor quoad inventionem theſauri in loco ſacro inventi, ut inpoſterum non totus inventori cedat, ſed tantum pro parte dimidia, & altera Eccleſiæ ſervetur. Dantur & Conſilia res profanas quæ afficiunt, v. g. in Conſ. 41. hiſtriones adhuc infamibus annumerandos eſſe cenſet, non minus ex Juris Civilis quam Canonici diſpoſitione. In Conſ. 80. aſtrologiam judiciariam reprobat. Merito tamen notamus quæ in Conſ. 57. de procurando abortu vel ſterilitate ad evitandum periculum mortis ex partu proponuntur.

Tertia & poſtrema pars *Privilegia Clericorum* exponit, hoc tamen ſub reſpectu potiſſimum, quatenus ea in controverſiis inter Judices Eccleſiaſticos & Laicos occurrunt. Commentationem iſtam ad methodum primi Tractatus concinnavit Autor, ut inſuper idem prope capitum numerus ſervetur. Hoc præterea generatim de ſcopo Autoris præmonendum duximus, quod de ſpecialiorum Clericalium Privilegiorum plena & exacta recenſione haud adeo ſollicitus deprehendatur; quin potius fontem ipſum quam limpidisſimum reddere allaboravit, aſſerendo ſemper, ſtrenueque vindicando exemtionem Clericorum a Jurisdictione ſeculari. Facile enim perſpexit vir acuti ſatis ingenii, ex hoc aſſerto cæterorum privilegiorum virtutem unice dependere. In *Cap. I.* præmittuntur, quæ in genere ad ſtatum & differentias perſonarum Eccleſiaſticarum ſpectant, prout in Clericos & Monachos abeunt, quamquam in ipſa tractatione Clericorum nomen paſſim in generico ſenſu proferatur. *Cap. 2.* diverſas de origine Privilegiorum Clericalium ſententias complectitur; in qua quæſtione præjudiciali ſatis aperte mentem ſuam declarat Autor, quod videlicet *Privilegium Clericale* (quo in ſenſu generico Exemtio a Jurisdi-

ctione

ctione ſeculari venit) *a Deo conceſſum fuerit immediate, directe & formaliter, ita ut non tantum fundamentum habeat in Jure Divino, nec tantum illi conforme ſit; ſed ex ore ejus originem trahat.* Theſin hanc rotunde poſitam primum Textibus ſacris corroborare præſumit, ex Geneſ. c. 47. v. 20. Lib. 3. Eſdræ c. 8. v. 25. Pſ. 104, v. 15. Zach. 2. v. 8. Luc. 10. v. 16. Subjicit dehinc Conciliorum Canones ac Pontificum ac Imperatorum Conſtitutiones, exemptionis iſtius uſum comprobantes. Quibus argumentis prolixe expoſitis, diſſentientes refutare conatur, qui negant immunitatem Eccleſiaſticam immediate a Deo & ex jure divino in cauſis temporalibus dependere; ſed eam tantum conformem eſſe Juri Divino. Dehinc in quæſt. 3. extantiora privilegia Clericorum commemorantur; quæ tum eorum perſonas, tum bona concernunt. Ad perſonas tria hæc referuntur, quod Perſona Eccleſiaſtica 1) non poſſit puniri corporaliter; 2) non ſit obligata ſervire de perſona (puto perſonaliter, aut in propria perſona) poteſtati ſeculari; 3) non ſit ſubjecta legibus ſecularibus. Antequam vero alterum privilegium, quod bonis cohæret, profert, quatuor eorum genera diſtincte recenſet, & poſtmodum prolixe declarat. Eum quippe in cenſum referuntur 1) quæ ſunt Eccleſiæ propria, ut ſitus in quo fabrica eccleſiæ, monaſterii, hoſpitalis, & quæcunque alia bona donata, aut quovis titulo acquiſita; 2) Patrimonium Clerici aſcendentis ad ordinem Sub-Diaconatus; 3) Bona relicta pro adimplendis legatis Miſſarum & eleemoſynarum; 4) Bona patrimonialia, quorũ Clerici ſunt domini proprietarii, quocunq; titulo ea poſſideant. Et hæc adeo ſingula bonorum genera exemta cenſet Autor de Jure Divino a Poteſtatibus ſecularibus, ut ab iis nullo modo auferri, aut onerari poſſint; quam theſin fuſius in Cap. 19. proſequitur. Admittit tamen limitationem in quæſt. 6. cap. 2. quoad onera realia bonis Eccleſiaſticis ante delationem impoſita. In cap. 4. acquiſitionem Privileg. Cleric. perſonalium demonſtrat, quæ per actum deputationis ad ſpeciale Dei ſervitium perficitur; ubi ſimul de tonſura & habitus collatione ceu ſignis deputationis iſtius diſquiritur. De ſpeciali dehinc Foro, quod Clerici vel beneficiati vel non beneficiati agnoſcere coguntur, in cap. 5. & 6. fuſius agitur. In cap. 7. commemorantur Privilegia Clericorum conjugatorum cum virgine. Succedunt in cap. 8. privilegia Clericorum bigamorum. Scilicet Clerici conjugati in duplici differentia apud Pontificios habentur. *Alii*

cum unica & virgine conjuncti vivunt, qui durante matrimonio ad minores ordines promoveri poſſunt; illis tamen incommodis ſe exponunt, ut neque ad majores ordines aſpirare, nec beneficiorum capaces, nec Epiſcoporum Vicarii eſſe poſſint, inſuper reſpectu bonorum Laico Judici ſubſint, & ſic foro privilegiato ſolum quoad Criminalia gaudeant. *Alii* Clerici Bigami nuncupantur, & in triplici differentia deprehenduntur. Incurrunt enim Bigamiam vel 1) *veram*, duas virgines ſucceſſive ducentes, vel 2) *interpretativam*, viduam, adulteram, aut ſtupratam ducentes, retinentesve in matrimonio, aut 3) *ſimilitudinariam*, quemvis illicitum coitum contra caſtitatis votum exercentes. Et ex his ſingulis Bigamiæ ſpeciebus irregularitatem contrahere cenſentur Clerici, ut neque ad majores neq; minores ordines promoveri poſſint. Saluberrime tamen ipſis ſubvenit diſpenſationis beneficium, quod intuitu duarum priorum bigamiæ ſpecierum a ſolo Papa humiliter expetere tenentur, quoad poſtremam vero uſu fortaſſe quotidianam ab Epiſcopo etiam obtinere poſſunt. Et cum adeo exacte in conjugio Clericorum quadantenus tolerabili requiratur, ut virginem ducant, non potuit non Autor eſſe ſolicitus de indiciis virginitatis. Quin & hunc ſcrupulum in dict. cap. 8. quæſt. 15. movet, cum conſtet Bigamum fieri Clericum & Irregularem, ſi viduam vel ſtupratam ab alio in contubernium aſſumpſerit, an non & Clericus eo in caſu Bigamus evadat, ſi prius ſtupraverit virginem, & aliam poſtea virginem matrimonio ſibi jungat. Negat id ipſum Autor, & majorem adeo caſtitatem in uxore Clerici, quam in ipſo Clerico deſiderans, hac argumentandi ratione, bella ſcilicet & Religioſo digna utitur; *Vir Clericus*, inquit, *ſignificat Chriſtum, qui ſibi Synagogam copulavit & quia noluit ei obedire, dimiſit eam in infidelitate ſua corruptam, & ſibi adjunxit Eccleſiam Gentium, quæ ſervit in fide exiſtens immaculata; ideo major caſtitas requiritur in uxore, quam in viro, quia ad ſimilitudinem Chriſti poteſt dividere carnem ſuam, h. e. habere ſucceſſive plures uxores; ſicut Chriſtus ſucceſſive copulavit Synagogam & Eccleſiam.* Amisſio porro Privilegiorum Clericalium hiſce ſub requiſitis in cap. 9. decernitur, ſi delictum præceſſerit, quod ſecundum Juris Canonici diſpoſitionem, talem privationem importat; & ſubſecuta fuerit Judicis Eccleſiaſtici ſententia condemnatoria. Fuſius deinceps recenſentur delicta, ex quibus quis forum amittit. Circa quæſt. 8. negat; quod

Digitized by Google

quod Clericus Principem alias ſuum occidendo perdat privilegia Clericalia, ſiquidem nec proprie committat crimen læſæ Majeſtatis, nec Curiæ ſeculari tradi, ſed ab Eccleſiaſtico Judice puniri debeat; quam ſententiam repetit Autor in ſubſeq. cap. 14. quæſt. 1. & 17. cum hoc additamento, quod filius Clericus non privetur bonis parentum ex crimine læſæ Majeſtatis condemnatorum. In cap. 10. de mutatione fori & ſtatus occaſione delictorum agit; illamque quadruplici ratione contingere declarat: 1) tranſeundo de uno territorio ad aliud; 2) ſtatum mutando, ſi Laicus poſt delictum promovetur; 3) ſi Clericus poſt delictum relinquat ordinem; 4) ſi is qui reliquit ordinem & ſecularis factus, poſt delictum rurſus ad religionem accedat. Interim tamen ſingulæ quæſtiones his de caſibus prolixiſſime conceptæ eo collimant, ut Judici ſeculari omnis prorſus inquirendi adimatur poteſtas. Circa Clericorum incarcerationem, & carceratorum remiſſionem, in cap. 11. & 12. non modo ſemiplenam probationem, ſed & mandatum Judicis Eccleſiaſtici tam rigoroſe requirit Autor, ut ſi abſque illo Judex ſecularis ad incarcerationem proceſſerit, nullum ea producat effectum, nec præventionem, licet Clericus in flagranti delicto, ſive cum habitu clericali, ſive ſine illo fuerit deprehenſus. Notio præterea, utrum incarceratus Clericus ſit, an Laicus, ſoli Eccleſiaſtico Judici reſervatur, licet incarceratus proteſtetur, ſe privilegio fori renunciaſſe, aut Judex etiam Eccleſiaſticus non urgeat remiſſionem. Plures aliæ hujus generis quæſtiones hic ſeſe offerunt, in quibus Autor ſecundum praxin Curiæ Romanæ, Judici Eccleſiaſtico pro amplianda juriſdictione liberius indulget. Quod ſi vero Clericus privilegiis ſuis ſolenniter eſt privatus, juriſdictioni Judicis ſecularis quatenus ſubjiciatur, *cap. 14.* docet. Iterum tamen iterumq; per ſex diſtinctas quæſtiones inculcatur, quod ante hanc degradationem, Judex ſecularis nec in criminis læſæ Majeſtatis reum, nec monetarium, uſurarium, Sodomitam inquiſitorie procedere, nec arma quæcunque Clericis auferre poſſit; ſeveriſſima mox pœna adjecta in cap. 15, excommunicatione videlicet, quam ex Bulla Cœnæ Dominicæ Magiſtratus ſecularis (quo nomine tamen Reges ac Principes neutiquam venire, in quæſt. 2. declarat) incurrit, contra Clericum qui inquiſitorie procedere præſumſerit. Quo fulmine in cap. 17. indiſtincte illi percutiuntur, qui Clericos ad Civile

Digitized by Google

Judicium quacunq; de cauſa trahunt. Illi etenim in nulla prorſus actione, reali ſive perſonali, reorum vices coram Judice ſeculari ſubire debent, niſi per modum reconventionis in continenti factæ; quæ limitatio in *cap.* intermedio *16.* deducitur. De præventione inter Judices generalia quædam in *cap. 18.* præmittuntur; poſtmodum ſcopo ubi accedit propius Autor, negat, inter eccleſiaſticum & ſecularem Judicem intercedere præventionem poſſe; bene tamen eam ſurgere inter Epiſcopum & Superiorem Regularem, quin & inter Superiores Regulares, nempe Generalem, Provincialem, & Localem. *Caput 19.* de Exemptione bonorum Eccleſiaſticorum ab oneribus, ſupra jam tactum fuit. In *20. cap.* de Statutis Laicorum contra vel pro perſonis Eccleſiaſticis, generalem primum concluſionē more conſueto præmittit: ad obſervantiam LL. Civilium ac Statutorum quoad perſonas ac bona Clericos eſſe obſtrictos, in quantum ab eorum libertate, immunitate ac privilegiis non deflectant. Subſumit exinde, Clericos obligari ex Statutis, queis aut monetæ valor, aut pondera, ac menſuræ rerumque pretia determinantur; aut prohibetur frumenti vel vini exportatio; nec minus eosdem ſtringere, quæ de adeunda hæreditate cum inventarii beneficio & aliis ſimilibus argumentis a Jure Civili diſpoſita. Ultimum ac poſtremum XXI caput *Privilegium Canonis* explanat. Proprio hoc cognomento venit Canon quidam Concilii Lateranenſis, anno 1139 ſub Innocentio III habiti, propterea quod in eo de Clericorum inviolabilitate ſeveriſſime cautum. Recenſet eundem Gratianus in caa. 17. qu. 4. can. 29.

De hoc privilegio Canonis fuſius jam egerat Autor in Conſ. Tom. 2. & 5. Lugdunenſis Edit. Interim tamen denuo Canonem iſtum declarandum ſuſcipit, ut quinque diſtinctas ſectiones in hoc capite cæteris omnibus prolixiore formet; queis ſeorſim exponit 1) quænam perſonæ Eccleſiaſticæ gaudeant hoc privilegio Canonis, quæ minus; 2) quænam perſonæ percutientes incurrant excommunicationem; 3) quænam ſint actiones inducentes hanc cenſuram; 4) quænam cauſæ excuſent ab ejus incurſione; 5) quinam poſſint abſolvere ab excommunicatione ob percuſſionem Clerici.

PHILIPPI CASTALDI JCti ac SER. MUTINÆ ET Regii Ducis a Secretis & Conſiliarii Status Conſultationum Forenſium Volumen Secundum: opus poſthumum a Johanne Galliano luci donatum.

Parmæ

Parmæ, ſumtibus Joſephi de Roſſettis, 1688, in fol. Plag. 159.

Proſtat Lipſiæ apud Gleditſchium.

TAmetſi ſerius nonnihil hicce liber ad nos delatus fuerit, non poſſumus tamen, quin aliqua adhuc de ipſo verba faciamus in eorum gratiam, quibus curæ eſt Autores Juridicos noſſe; utpote quorum alioqui pauci ſatis, licet abſque noſtra fere culpa, aliquo abhinc tempore in Actis hiſce comparuerunt. Nimirum ediderat nobiliſſimus Caſtaldus, cum adhuc in vivis eſſet, volumen Conſultationum a ſemet ſuper variis caſibus, per celebriora Italiæ dicaſteria ſubinde occurrentibus conſcriptarum, numero centum & quinquaginta: cui dein alterum hocce volumen, totidem conſultationibus conſtans ſuperaddere in animo habuerat quidem, aſt non potuerat, morte præventus. Obſtetricantes ergo nunc fœtui huic poſthumo manus adhibuit *Joh. Gallianus de Coccapanis*, JCtus Collegiatus, Patricius Mutinenſis ejusdemque Ducis Secretarius & Conſiliarius Status, eumq; in lucem protraxit & exhibuit publicam. De methodo operis non eſt, cur multa dicamus: habet enim hoc commune cum plerisque hujus generis ſcriptoribus, quod poſt brevem caſus enarrationem, ejusdem merita per adductas rationes, ex numeroſis ſatis Doctorum allegatis probatas, pertractet, & quid ſibi de eo videatur exponat, ſubnexo quoque utplurimum ſententiæ tenore, in hac vel illa Italiæ Rota ſuper iſta cauſa dein latæ: breviorem tamen fere ſemet hac in re geſſit Autor, quam quidem modernis iſtarum terrarum JCtis plerisque, præter neceſſitatem ſubinde prolixis, ſolenne eſt. Nil itaque ſupereſt, quam ut adhuc more nobis familiari, ex Conſultationibus aliquas excerpamus, ac ſpeciminis loco Lectori benevolo hic communicemus. Et mox quidem ſe nobis offert *Conſultatio CLVII*, in qua ſtatuitur, appellationem non dari a ſententia, declarante appellationem eſſe deſertam; itemque Statutum (quale Bononiæ viget,) permittens ſemel appellare in judicio poſſeſſorio, non exaudiendum eſſe de caſu, quando actum fuit ex remedio *L. fin. C. de Ed. div. Hadr. toll. pag. 23.* Porro *Conſ. CLIX* vult, donationem monacho factam ſub conditione, *ne quæratur monaſterio*, valere, atque ſic intelligi, ut Superiores conniveant, quo hic ex fructibus ita, donec vixerit, perceptis, libros, veſtes & ſimilia ſibi comparet, *pag. 30. Conſ. CLXXVII.*

Digitized by Google

pag. 82. deciditur, viduam vilem, ſeu quæ nobilis non ſit, non poſſe juxta *Auth. Præterea C. unde vir & uxor* capere quartam ex bonis viri, ſi hæc poſſit & ſolita hactenus ſit labore quotidiano victum quærere, licet alias nihil plane in bonis habeat. *Conſ. CLXXXVII. p. 116:* Oblationem factam in ſubhaſtatione de dando tanto pluri, quam a majori oblatore fuerit promiſſum, valere. *Conſ. CXCVI. p. 155:* Si mater binuba contra diſpoſitionem *L. Hac edictali C. de ſec. nupt.* plus relinquere voluerit ſecundo viro, quam uni ex filiis prioris matrimonii, non ſolum invalidam eſſe diſpoſitionem, ſed & hoc caſu detrahendam prius eſſe favore filiorum legitimam, & tum demum inter ipſos & vitricum id quod ſupereſt in capita partiendum eſſe. *Conſ. CXCVII. p. 158:* Legitimam filio adſignandam eſſe etiam in vita parentis, ſi ille male ſuis utatur bonis; idque etiam in filio arrogato procedere. *Conſ. CCLX. p. 397:* Contractum, qui ob reſiſtentiam juris ſtatutarii ipſo jure nullus eſt, ex juramento addito non confirmari. *Conſ. CCLXI. p. 405:* Emphyteutæ ob fructuum devaſtationem non remitti canonem, etiamſi hic alias fructuum proportioni correſpondeat. *Conſ. CCLXIV. p. 419:* Dotem & donationem propter nuptias per adulterium uxoris amiſſas non putari, ſi id non a marito, ſed ab ejus heredibus demum opponatur; item, ad adulterium in foro civili probandum non admitti acta Curiæ criminalis. *Conſ. CCLXXIII. p. 451:* Solutionem factam non probari ex literis cambii per ſolum verbum *Valuta* inſertum, niſi ſcriptum fuerit *Valuta havuta. Conſ. CCLXXIX, p. 463:* Caducitatem non incurri ex renovatione non petita tempore convento, ſi emphyteuſis conceſſa fuerit in perpetuum cum pacto, renovationem de 29 annis in 29 annos petendi. *Conſ. CCLXXXVI. p. 486:* Tutorem ſolum abſque pupillis non valide contrahere, ubi hi excedunt ætatem infantilem. *Conſ. CCXCVII. p. 518:* Fidejuſſionem a patre ſub pœna nullitatis prohiberi poſſe in teſtamento, adeo ut ne quidem pars legitima ab hac prohibitione ſit immunis. *Conſ. CCC. pag. 524:* Hypothecam in legato conditionali non oriri ante ejus eventum, neque adeo conditionis eventum retrotrahi ad tempus mortis aut aditæ hæreditatis in præjudicium ejus, cui medio tempore in bonis jus quæſitum eſt. Atque hæ quidem ſunt Conſultationes, quas ex cæterarum numero delibare placuit. Quod reliquum eſt, index rerum

ac

Digitized by Google

ac materiarum locupletiſſimus ad calcem libri ſuperadditus reperitur.

HISTOIRE DE GUILLAUME I. PRINCE D'Orange &c. h. e.

Hiſtoria Guilielmi Primi, Principis Auriaci.

Amſtelodami apud Paulum Marret, 1689, in 12. Plag. 16.

SCriptus eſt hic Libellus gloriæ cumprimis *Guilielmi* III, Principis Auriaci, Magnæ Britanniæ hodie Monarchæ. Quanquam enim titulus Hiſtoriam præ ſe fert *Guilielmi I*, ea tamen vix quintam partem Operis conficit, & compendio res ab Illuſtriſſimo hoc Principe geſtas recenſet; filo narrationis pari brevitate per filiorum, *Philippi Guilielmi*, *Mauritii*, *Henrici Friderici*, nepotisque *Guilielmi II* facta memorabilia, ad *Guilielmum III* ex *Henrico Friderico* pronepotem deducto: cujus expeditiones nupero bello Gallo-Batavico ab A. 1672 ſuſceptas, præcipue vero Britannicam recentiſſimam, & quæ eandem inſecuta eſt, miram rerum Anglicarum converſionem ſtudioſius, nec prolixe tamen, perſequitur.

E *Guilielmi I* majoribus patruum *Henricum* Naſſoviæ Comitem *Autor* validis machinationibus ſuis effeciſſe contendit, ut *Carolus V*, excluſo *Franciſco I* Galliarum Rege, dignitate Imperatoria potiretur. Nec tamen repulſam hanc obſtitiſſe *Franciſco*, quo minus *Henrico*, Cæſaris nomine homagium de Flandriæ Arteſiæque Comitatibus præſtanti, *Claudiæ Chalonia*, Principatus Arauſionenſis unicæ hæredis, nuptias conciliaret. pag. 3.

Henrici porro fratrem *Guilielmum*, profligata ex univerſis ditionibus ſuis religione Pontificia, Reformatam amplexum, *Autor* memorat *Carolo V*, in domum Naſſovienſem propenſiſſimo, anſam dediſſe, ut primogenitum ejus filium *Guilielmum* (teſtamento patruelis *Renati*, ſine prole decedentis, Orangii Principatum poſt adeptum) Laribus paternis, utcunque repugnante patre, abduxerit, ſacris Romanenſibus imbuendum. Inde Principem, quamprimum ætas ejus ferebat, familiæ ſororis *Mariæ*, Reginæ Hungariæ viduæ, inter Nobiles Cubiculi Ephebos adſcriptum, Cæſari cui toto novennio 4.

pene

pene indivulſus adhæſerit, genii ſui magnitudine ita ſe probaviſſe, ut ſecretiorum etiam negotiorum participem facere non dubitaverit; cumque Principibus aut Legatis Principum aures præbiturus eſſet, Principi, cum cæteris aulæ obſequiis ſeceſſuro, diſertis verbis in conclavi ſubſiſtere, concilioque intereſſe, non ſemel præceperit. Eo-
pag. 8. usq; autem hanc gratiam Imperatoris adoleviſſe, ut viginti annis non multo majori, coronæ Imperialis fratri Ferdinando apportandæ negotium commiſerit; quam tamen provinciam amoliri non inconcinna modeſtia ſtuduerit, indecorum eſſe cauſatus, ut ipſe coronam alteri traderet, quam patruus *Henricus* Imperatoris capiti impoſuiſſet. Nec minori in Principem fiducia *Carolum* rei militaris in Belgio ſummam, circa hæc tempora, per abſentiam *Philiberti Emanuelis* Sabaudiæ Ducis, ſupremi copiarum Cæſarearum Præfecti, ſpreto ſuorum conſilio, virisque militari ſcientia præſtantiſſimis, & inter hos *Egmondano* Comite poſthabitis, Eidem detuliſſe: provinciam hanc vero a Principe ea circumſpectione geſtam, ut quamvis ſummis ejus ætatis belli Ducibus, *Nivernia* Comiti & *Caſtilionæo* Galliæ Archithalaſſo opponeretur, non tantum nihil ab hoſte probri acceperit, ſed inſpectante Gallorum exercitu munitiſſima caſtra, *Carolomontium* & *Philippovillam*, coercendis adverſæ partis excurſionibus, excitaverit.

Tantum *Caroli* in *Guilielmum* favorem excepit filii *Philippi* per-
9. tinax averſio, frequentibus æmulorum Hiſpaniæ procerum, fortunæ Principis infeſtorum, ejusque facta quæque criminantium, accuſationibus concitata. Unde Regi ſuſpicio, Principem deſtinatis ſuis præcipue obniti; tam alte Regis animo infixa, ut ex portu Fliſſingenſi in Hiſpaniam ſoluturus, Principi plenus indignationis exprobraverit, clandeſtinis ejus machinis conſilia ſua in Belgio interverſa: cumque Princeps invidiam hujus obnixe deprecaretur, inq; Status Provinciarum reclinaret, Rex prehenſa concuſſaq; Principis manu, non Status, ſed ipſum (*vous*, *vous*, *vous*) autorem eſſe, tergemina repetitione repoſuerit. Quæ inde fata Principem hunc ſub hoc Rege, ad indignam usque illius cædem, nefarii hominis manu patratam, exercuerunt, quæque ab exceſſu ejus, a filiis natu minoribus, *Mauritio* & *Henrico Friderico*, in Belgio contra Hiſpanos præclare geſta ſunt, tanquam hiſtoriam ſcriptoribus noſtrorum proximeque lapſorum temporum clariſſimis celebratam, ex *Autore* noſtro repetere ſuperſedemus.

Natu

Natu majorem filium *Philippum Guilielmum*, Hiſpanorum violentia, cum parens ſub Ducis *Albani* adventum Belgio excederet, Lovanio, ubi ſtudiis operabatur, in Hiſpaniam abductum, inibique in cuſtodia detentum, ab excelſa animi indole commendat *Autor*; pag. 71.
probæ tamen educationis commodis privatum tædia ultratricennalis carceris frequenti latrunculorum luſu ſolari coactum, queritur. Pietatem porro ejus laudat, quod arcis Capitaneum in Principis parentem contumelioſum, medium arreptum de feneſtra præcipitem egerit; diu ancipiti ſuper hoc facto aulæ Hiſpanicæ judicio. Libertati tandem redditum cum Archiduce *Alberto* Belgium intraſſe memorat; ab hoc deinde deducendæ ſponſæ ſuæ regiæ *Iſabellæ* cauſa in Hiſpaniam ablegatum: reducem patrimonium ſuum in utroque Belgio, ultro concedente fratre *Mauritio*, ductaq; *Eleonora Borbonia*, Principis *Condei* ſorore, Principatum etiam Arauſionenſem obtinuiſſe. Liberorum vero exſortem Bruxellis A. 1618 hæmorrhoidibus extinctum, opimam hæreditatem fratri Mauritio reliquiſſe.

Guilielmus Henricus, Angliæ nunc Rex, reſtaurandæ reipubli- 97.
cæ Fœderati Belgii jamjam agonizanti, judicio Autoris, natus, quomodo gubernationi provinciarum confœderatarum admotus ſit, *Idem* deſcribit, non ſine acri in infelices fratres *de Witt* ſtylo, quos juratos domus Auriacæ hoſtes pronunciat. Totus autem inde eſt in exornando hoc Principe, evehendisque ejus virtutibus, quarum egregia toto bello Batavico ediderit ſpecimina: adverſis ejus belli
caſibus (improſpero puta obſidionum *Aldenardæ*, *Trajecti* & *Caroloregiæ* 168.
regiæ exitu, cladeq; *Moncaſſellana*) ſic recenſitis, ut culpam eorum pe- 205. 220.
nes Principem minime fuiſſe conſtet. Seriem actorum luctuoſi hujus 226.
ſeptennii præter *Autorem* contexuere plures, ut eandem hic retexere ſupervacuum fuerit.

Expeditionis Britannicæ ſumma momenta, B. L. *menſe Oct.* proximo pag. 547 meminerit recenſa: quo eundem remittimus, eorum hic tantum mentionem ex *Autore* noſtro facturi, quæ ibi vel omiſſa ſunt, vel paulo aliter expoſita habentur. Claſſem Principis 635 omnis
generis navigiis conſtitiſſe *Autor* refert, in eaque exercitum ſubve- 286.
ctum militum omnino 14352, præter voluntarios; exſcenſum in li- 284.
toralibus Comitatus *Devoniæ*, Sinuq; præcipue *Torrenſi*, factum. Inde Principem *Exoniam* profectum, coacto ibi concilio, expeditio-

nis ſuæ rationes, juſtasque ſuper Principis *Walliæ* natalibus ſuſpicio-
nes, publica Declaratione expoſuiſſe, quorum veritatem Rex *Jaco-*
pag. 291. *bus* plus 40 teſtimoniis ſub juramenti religione exactis aſſerere,
293. conſilioque optimatum perſuadere fuerit anniſus. Copiis acceſſu
frequenti procerum Angliæ invaleſcentibus, Regioque exercitu, qui
Sarisberiæ tum caſtra metabatur, validis ejusdem copiis & præcipua
regni Nobilitate ad Principem transgreſſis, attenuato, Comite inſu-
per *Devoniæ* & *Danbii* in Anglia ſeptentrionali adverſus regias partes
inſurgentibus, Regem veniam ſeceſſionis motuumque edixiſſe, ſi qui
intra viginti dies arma ponerent. Nihil tamen eo profectum, capto
interim a *Bathie* Comite *Plymuthio*, & gubernatore ejus in cuſtodiam
miſſo, mox altero Regis genero, *Daniæ* Principe, cum Ducibus *Or-
mondia* & *Graftono*, aliisque, in conſpectu Regis *Sarisberia* ad caſtra
295. Principis tranſeuntibus, ancipitique claſſis fide, Regem cum copiis
Londinum retroceſſiſſe, nunciisque de *Eboraco* & arce *Hullenſi* inter-
ceptis, & Romano-Catholicis ibidem vel exarmatis vel loco pulſis,
298. Procerum præſentium conſilio tres hujus ordinis cum mandatis ad
Principem ablegaſſe; ſed propoſitis paciſcendi conditionibus con-
veniri non potuiſſe. Inſecutam inde Cleri Romanenſis, Conſilia-
300. riorum Judicumque regiorum, & poſt pulſos *Redinga* (*Bercheriæ* Co-
302. mitatus oppido) regias cohortes, Reginæ ipſiusque Regis fugam. Sus-
ceptam hinc ab optimatibus regni, Londini commorantibus,
tranquillitatis publicæ curam, ſolennique eorum declaratione Prin-
cipis inſtitutum de obtinendo libero Parlamento, reſtabiliendisque
306. legibus & libertate, religionisque ſecuritate approbatum; miſſas
etiam ad Principem euchariſticas a Senatu & militiæ præfectis Lon-
309. dinenſibus, eumque *Londinum* invitatum. Mox *Feverſhamii* Co-
mitem, copiarum regiarum præfectum, a Rege diſceſſus ſui admoni-
tum, easdem ſoluto ſacramento dimiſiſſe; unde a diſperſis hinc inde
militibus turbæ, & adverſus eas Principis edictum. Interim promi-
311. ſcuæ multitudinis *Londini*, & paſſim per totam *Angliam*, furore deje-
cta ſacella Pontificiorum, domiciliaq; fugitivorum; ipſis etiam Le-
gati *Hiſpanici* & Reſidentis *Florentini* ædibus *Londini* vim factam,
easque expilatas; nec niſi fama adventus Principis, promulgatisque
313. ſeveriſſimis Edictis, tumultus hos ſiſti potuiſſe. Inquiſitum deinde
in fugitivos, eorumque aliquos in cuſtodiam miſſos, interque hos
Jeffrey.

Digitized by Google

Jeffreyum, Magnum Angliæ Cancellarium. Ad Regem *Feverſhamii* detentum, miſſos a Proceribus *Londino*, reditum in urbem eidem perſuaſiſſe; cum Princeps conſultius habens Regem abeſſe, *Windeſorio* per Suyleſteinium in diverſum trahere ſocerum anniteretur. Sed hoc a via Regi inſtita aberrante, Regem *Londinum* reverſum, eoque per *Feverſhamii* Comitem, Principem, oblata in diverſorium *S. Jacobi* regia, invitaſſe. Principem vero, prioris ſui conſilii tenacem, per deputatos ex primoribus Anglicanis, regem oraſſe, ut ſecuritati ſuæ conſulens, extra urbem tantiſper commorari vellet; in quam ſententiam Rex conceſſerit, *Durobriva* in manſionem electa. Rege ergo d. 18 Dec. mane *Londino* iterum digreſſo, Principem a meridie incredibili civium lætitia & congratulatione exceptum. Eodem deinde publicis negotiis admoto, per omnes regni provincias Ordinum *Aſſociationem*, qua ſecuritati Principis caveretur, tempeſtive factam, Romanenſibus paſſim contra præſentem regiminis ſtatum ſiniſtros rumores ſpargentibus; quos iteratis mandatis Princeps in ordinem cogere ſuſceperit. Poſthæc vacuo ærario publico, inſtante Principe, ſubventum, grandi pecunia mutuo accepta, prolixa promtitudinis inter Londinenſes contentione. In Conventione porro Ordinum diſceptatum ſuper vocibus *abdicationis* & *deſertionis* (utra earum *regifugium* appellandum) *vacantia* item *throni*; tandemque poſt concertationes aliquot dierum in electionem *Guilielmi* Principis & Conjugis *Mariæ* conſenſum, auſpiciis & ſumma rerum penes Principem conſtituta, ſub utriusque tamen nomine. Ordinibus regni in hunc modum de regimine decernentibus, eodem die, qui duodecimus erat Februarii, commodum e Batavis ſuperveniſſe Principiſſam, alteroque die, a Sereniſſimo huic conjugum pari dignitatem Regiam a Procerum concilio oblatam, inſecuta ſtatim *Londini* publica ſolennique diverſis in locis proclamatione. Cætera, quæ huc ſpectant, & nos conſulto omiſimus, B. L. vel ex ſupra allegato recenſu *hiſtoriæ mutationum Anglicarum*, vel ex ſequenti, ejusdem plane cum Libello iſthoc argumenti, non difficulter hauriet.

315. 332. 317. 322. 335. 337. 338. 352. 364.

ENGELANDS GODS-DIENST EN VRYHEID herſteldt, door ſyn Hoogheit den Heere Prince van Oranje.

hoc

Digitized by Google

hoc eſt,

Religio & libertas Angliæ per Principem Orangii reſtituta &c.

Amſtelodami, apud Marcum Doornik, 1689, in 4. Conſtat plagulis 42, & Iconiſmis 12.

TRactatus præſens hiſtoriam complectitur rerum Anglicarum, ab expeditione Principis *Auriaci*, usque ad ejusdem coronationem in Regem Britanniæ. Eaque non continua narratione contexta eſt, ſed congerie conſtat literarum, quarum maxima pars a Domino *Citters*, *Ordinum Hollandiæ* negotia in aula Regis Angliæ curante, ad laudatos Ordines, cæteræ a paucis aliis perſcriptæ ſunt; inſertis monumentis publicis, literis, edictis, declarationibus Regum, Principis, Statuum Fœderati Belgii, Angliæque, ad hoc argumentum ſpectantibus: quæ omnia *Editor* mandato Ordinum Fœderatarum Provinciarum typis expoſita eſſe teſtatur. Cæterum cum recenſu eorum, quæ libro hoc continentur, repetito jam perfuncti ſimus, tanto nobis hic brevioribus eſſe licebit, ſuppletis maxime iis de quibus aut prædicti libri, aut excerpta noſtra ſilent.

Exordium Libro a factis *Jacobi II* Regis Angliæ, quibus viſus eſt regno jugum accire Pontificium, ſibi vero illimitatam poteſtatem comparare velle. Hujus obtinendi cauſa ſolicite tentatum Principem Auriacum, *Autor* affirmat, ut abolitioni Teſti & pœnalium legū in Romanenſes conſentiret: ſed hunc obfirmato contra omnes Soceri illecebras animo induci eo non potuiſſe. Hanc Principis conſtantiā ſtatim inſecutū rumorem de Reginæ Angliæ graviditate, & interjecto ju-
pag. 3. ſto temporis intervallo, partum Principis Walliæ: ad quem perſonæ advocatæ ſint, quas huic negotio præſentes eſſe, per leges non conveniebat; filia regis natu minore interim, curandæ ſcilicet valetudini, longius amota, & Archiepiſcopo *Cantuarienſi* cum ſex Præſulibus aliis in cuſtodiam miſſo. Sub hæc apparatū bellicum, terra mariq; in Hollandia factum, ſuſpici vicinis cœpiſſe, Angliæ Galliæque regibus per legatos ſuos Ordines Belgii, quibus arma intentarent, ſolicite percontan-
6. tibus; illo etiam ſubditis commercia cum hoſtibus (ſibi enim hanc ſcenam adornari non amplius dubitabat) ſuis interdicente. Exponun-
9. tur inde tum ſupplices Procerum Anglorum literæ, quibus Ordinum

Angliæ

Angliæ ſubditorumque gravamina contra regimen Jacobi, & natales Principis *Walliæ* referuntur, & Principis *Auriaci* auxilium imploratur: tum hujus gemina declaratio, qua expeditionem in Angliam Scotiamque a ſe ſuſcipi edicit, promovendo libero Parlamento, abrogandisque iis, quæ contra libertatem, leges & ſecuritatem publicam in utroque hactenus regno tentata ſint. His interſerta eſt Principis apologia, diluendis calumniis, contra inſtitutum ſuum ſparſis, vulgata; ſubjunctæque invitatoriæ Principis, de conjungendis ſecum viribus, militiæ Anglicæ navali terreſtrique propoſitæ; & memorabilis ejusdem oratio valedictoria ad Ordines Fœderatos habita. P.77. 92. 90. 97. 105.

Qui porro expeditionis ſucceſſus, & ut magno ubique in Anglia applauſu Princeps exceptus ſit, plurimis regni Optimatibus, præcipuis militiæ regiæ Præfectis & cohortibus, integrisque provinciis ad partes Principis, accedentibus; quæ ex adverſo, & quam varia Regis & regiorum conſilia, quæque hinc inde eo tempore per Angliam geſta, per vices referuntur: quæ tandem, tantum non omnibus ad Principem inclinantibus, poſt iteratam hujus declarationem, qua ad legitimum Parlamentum, hujus & ſubditorum libertatem, exarmationem pontificiorum, eorumque ab officiis publicis remotionem provocat, eo rediere, ut Proceres Regi præſentes conſilium cum Principe paciſcendi dederint. Rex animi diu anceps, audito exercitus tumultuario e caſtris diſceſſu, filiæ natu minoris fuga, generi Danici & primorum defectione perculſus, in Parlamenti convocationem deniq; conſentit, & per legatos, *Georgium Savilium Halifaxii* Marchionem, *Danielem Finchium Nottinghamiæ* Comitem, & *Sidneium Godolphini* Dominum, Principem inſtituti ſui certiorem reddit, & qua commodiſſime ratione ſecuritati Parlamenti proſpici poſſe Principi videatur, ab eo contendit. Re deliberata Princeps ſequentes conditiones renunciare jubet: Pontificii omnes, iique qui Teſti ſacramento ſe obligare olim recuſarunt, exarmentur, muneribusq; regni, quibus admoti ſunt, exuantur; edicta Regis adverſus Principem, & qui partium ſunt Principis, revocentur; *Londinenſe* & *Tilburii* (prope *Graveſendam*) caſtra, cum aliquot, tenus Tameſin infraque pontem Londinenſem, firmis ſtationibus, præſidiis Principis teneantur: ſi durante Ordinum conventu Regi libeat *Londini* commorari, idem etiam Principi integrum ſit, pari utrinque cuſtodiæ corporis & comitatus numero; ſin aliter viſum Regi, æquali uterque ab urbe intervallo manſionem habe- 130. 136. 187. 135. 142. 145.

at: exercitus ad trigeſimum ab urbe lapidem recedant; nec externæ amplius copiæ intra regnum recipiantur, Gallici præcipue militis excenſus caveatur: *Portus magni* (*Portsmout*) Gubernator de Regis & Principis voluntate conſtituatur; Principis copiis, tempore conventus publici, de regni obventibus ſtipendia exſolvantur. Pugna
pag. 143. interim *Redingi* inter utriusque partis cohortes commiſſa, pulſi regii adeo *Londini* omnia terrore compleverunt, ut Nuncius Pontificius, Clerus Romanenſis, mox Regina cum *Walliæ* Principe, ipſeque Rex, non expectato legatorum ſuorum reditu, præcipiti fuga urbe exceſſe-
169. rint. Præter cætera inde negotia ſupra jam relata, memoratur etiam, legatum Gallicum regno excedere juſſum; & Principem Gallicas criminationes, quibus expeditionem ejus inſectabantur, apud Le-
188. gatos Cæſaris & Hiſpani diluiſſe. Recenſentur præterea membra
228. Conventionis Ordinum a 15 Jan. ſuperioris anni celebratæ, eorumque edictum, quo cauſæ abdicationis Jacobi II, & quibus rationibus leges regni violaverit, aliaque notatu digna plura, in libello modo
233. recenſo omiſſa, continentur; & formula actusq; Proclamationis, qui-
237. bus Princeps & Conjux Reges Britanniæ ſolenniter *Weſtmonaſterii* & *Londini* declarati ſunt. Subnectitur etiam apologia ad Magnates Europæ, qua depoſitio regis Jacobi ab hinc inde objectis vindicatur. Quomodo porro officia domus auguſtæ conſtituta, Senatusque ſan-
244. ctioris conſilii lectus ſit, exponitur; narratione ad acta Parlamenti
254. 311. novi, in quod Conventio confirmatis illius decretis commutata eſt, &
346. ipſam coronationem regiam, cujus ſeries & negotia luculenter deſcribuntur, deducta.

Merentur etiam hic legi geminæ, *Sunderlandiæ* Comitis & Epiſcopi *Roffenſis* (quorum ille Secretarius Status, Regi inter primos, inclinantibus *Jacobi II* rebus, gratia ejus excidit; hic inter Commiſſarios eccleſiaſticarum cauſarum adſcitus, perſpectis aulæ conſiliis, mature ante hos motus munere ſe abdicavit) literæ apologeticæ: quibus, quod ſuſpecti vulgo haberentur ſuggeſtorum promotorumve conſiliorum actionumq;, in perniciem libertatis & religionis Anglicæ a *Jacobo* Rege adornatorum, uterque innocentiam ſuam Amicis, ad quos ſcriptæ ſunt, prolixe demonſtrare laborant; prior etiam calamitatum, quibus tum inundabatur, fontem e ſolutæ vitæ anteactæ licentia, digna homine Chriſtiano confeſſione, derivat.

Quæ

at: exercitus ad trigeſimum ab urbe lapidem recedant; nec exter-
næ amplius copiæ intra regnum recipiantur, Gallici præcipue militis
excenſus caveatur: *Portus magni* (*Portsmout*) Gubernator de Re-
gis & Principis voluntate conſtituatur; Principis copiis, tempore
conventus publici, de regni obventibus ſtipendia exſolvantur. Pugna
pag. 143. interim *Redingi* inter utriusque partis cohortes commiſſa, pulſi regii
adeo *Londini* omnia terrore compleverunt, ut Nuncius Pontificius,
Clerus Romanenſis, mox Regina cum *Walliæ* Principe, ipſeque Rex,
non expectato legatorum ſuorum reditu, præcipiti fuga urbe exceſſe-
169. rint. Præter cætera inde negotia ſupra jam relata, memoratur et-
iam, legatum Gallicum regno excedere juſſum; & Principem Galli-
cas criminationes, quibus expeditionem ejus inſectabantur, apud Le-
188. gatos Cæſaris & Hiſpani diluiſſe. Recenſentur præterea membra
228. Conventionis Ordinum a 15 Jan. ſuperioris anni celebratæ, eorum-
que edictum, quo cauſæ abdicationis Jacobi II, & quibus rationibus
leges regni violaverit, aliaque notatu digna plura, in libello modo
233. recenſo omiſſa, continentur; & formula actusq; Proclamationis, qui-
237. bus Princeps & Conjux Reges Britanniæ ſolenniter *Weſtmonaſterii*
& *Londini* declarati ſunt. Subnectitur etiam apologia ad Magnates
Europæ, qua depoſitio regis Jacobi ab hinc inde objectis vindicatur.
Quomodo porro officia domus auguſtæ conſtituta, Senatusque ſan-
244. ctioris conſilii lectus ſit, exponitur; narratione ad acta Parlamenti
254. 311. novi, in quod Conventio confirmatis illius decretis commutata eſt, &
346. ipſam coronationem regiam, cujus ſeries & negotia luculenter
deſcribuntur, deducta.

Merentur etiam hic legi geminæ, *Sunderlandiæ* Comitis & Epi-
ſcopi *Roffenſis* (quorum ille Secretarius Status, Regi inter primos,
inclinantibus *Jacobi II* rebus, gratia ejus excidit; hic inter Com-
miſſarios eccleſiaſticarum cauſarum adſcitus, perſpectis aulæ conſi-
liis, mature ante hos motus munere ſe abdicavit) literæ apologeticæ:
quibus, quod ſuſpecti vulgo haberentur ſuggeſtorum promotorumve
conſiliorum actionumq;, in perniciem libertatis & religionis An-
glicæ a *Jacobo* Rege adornatorum, uterque innocentiam ſuam Ami-
cis, ad quos ſcriptæ ſunt, prolixe demonſtrare laborant; prior etiam
calamitatum, quibus tum inundabatur, fontem e ſolutæ vitæ anteactæ
licentia, digna homine Chriſtiano confeſſione, derivat.

Quæ

Digitized by Google

Digitized by Google

hoc eſt,

Religio & libertas Angliæ per Principem Orangii reſtituta &c.

Amſtelodami, apud Marcum Doornik, 1689, in 4. Conſtat plagulis 42, & Iconiſmis 12.

TRactatus præſens hiſtoriam complectitur rerum Anglicarum, ab expeditione Principis *Auriaci*, usque ad ejusdem coronationem in Regem Britanniæ. Eaque non continua narratione contexta eſt, ſed congerie conſtat literarum, quarum maxima pars a Domino *Citters*, *Ordinum Hollandiæ* negotia in aula Regis Angliæ curante, ad laudatos Ordines, cæteræ a paucis aliis perſcriptæ ſunt; inſertis monumentis publicis, literis, edictis, declarationibus Regum, Principis, Statuum Fœderati Belgii, Angliæque, ad hoc argumentum ſpectantibus: quæ omnia *Editor* mandato Ordinum Fœderatarum Provinciarum typis expoſita eſſe teſtatur. Cæterum cum recenſu eorum, quæ libro hoc continentur, repetito jam perfuncti ſimus, tanto nobis hic brevioribus eſſe licebit, ſuppletis maxime iis de quibus aut prædicti libri, aut excerpta noſtra ſilent.

Exordium Libro a factis *Jacobi II* Regis Angliæ, quibus viſus eſt regno jugum accire Pontificium, ſibi vero illimitatam poteſtatem comparare velle. Hujus obtinendi cauſa ſolicite tentatum Principem Auriacum, *Autor* aſſirmat, ut abolitioni Teſti & pœnalium legũ in Romanenſes conſentiret: ſed hunc obfirmato contra omnes Soceri illecebras animo induci eo non potuiſſe. Hanc Principis conſtantiã ſtatim inſecutũ rumorem de Reginæ Angliæ graviditate, & interjecto juſto temporis intervallo, partum Principis Walliæ: ad quem perſonæ
pag. 3. advocatæ ſint, quas huic negotio præſentes eſſe, per leges non conveniebat; filia regis natu minore interim, curandæ ſcilicet valetudini, longius amota, & Archiepiſcopo *Cantuarienſi* cum ſex Præſulibus aliis in cuſtodiam miſſo. Sub hæc apparatũ bellicum, terra mariq; in Hollandia factum, ſuſpici vicinis cœpiſſe, Angliæ Galliæque regibus per legatos ſuos Ordines Belgii, quibus arma intentarent, ſolicite percontan-
6. tibus; illo etiam ſubditis commercia cum hoſtibus (ſibi enim hanc ſcenam adornari non amplius dubitabat) ſuis interdicente. Exponuntur inde tum ſupplices Procerum Angl[illegible]æ, quibus Ordinum

Angliæ

Angliæ ſubditorumque gravamina contra regimen Jacobi, & nata-
les Principis *Walliæ* referuntur, & Principis *Auriaci* auxilium implo-
ratur: tum hujus gemina declaratio, qua expeditionem in Angliam P. 77. 92.
Scotiamque a ſe ſuſcipi edicit, promovendo libero Parlamento, ab-
rogandisque iis, quæ contra libertatem, leges & ſecuritatem publicam
in utroque hactenus regno tentata ſint. His interſerta eſt Principis 90.
apologia, diluendis calumniis, contra inſtitutum ſuum ſparſis, vul-
gata; ſubjunctæque invitatoriæ Principis, de conjungendis ſecum vi- 97.
ribus, militiæ Anglicæ navali terreſtrique propoſitæ; & memorabilis
ejusdem oratio valedictoria ad Ordines Fœderatos habita. 105.

Qui porro expeditionis ſucceſſus, & ut magno ubique in Anglia
applauſu Princeps exceptus ſit, plurimis regni Optimatibus, præcipuis
militiæ regiæ Præfectis & cohortibus, integrisque provinciis ad par-
tes Principis, accedentibus; quæ ex adverſo, & quam varia Regis &
regiorum conſilia, quæque hinc inde eo tempore per Angliam geſta,
per vices referuntur: quæ tandem, tantum non omnibus ad Princi- 130. 136.
pem inclinantibus, poſt iteratam hujus declarationem, qua ad legiti-
mum Parlamentum, hujus & ſubditorum libertatem, exarmationem 187.
pontificiorum, eorumque ab officiis publicis remotionem provocat,
eo rediere, ut Proceres Regi præſentes conſilium cum Principe paci-
ſcendi dederint. Rex animi diu anceps, audito exercitus tumultuario
e caſtris diſceſſu, filiæ natu minoris fuga, generi Danici & primo- 135.
rum defectione perculſus, in Parlamenti convocationem deniq; con-
ſentit, & per legatos, *Georgium Savilium Halifaxii* Marchionem, *Da-
nielem Finchium Nottinghamiæ* Comitem, & *Sidneium Godolphini* Do-
minum, Principem inſtituti ſui certiorem reddit, & qua commodiſ- 142.
ſime ratione ſecuritati Parlamenti proſpici poſſe Principi videatur, ab
eo contendit. Re deliberata Princeps ſequentes conditiones renun- 145.
ciare jubet: Pontificii omnes, iique qui Teſti ſacramento ſe ob-
ligare olim recuſarunt, exarmentur, muneribusq; regni, quibus admoti
ſunt, exuantur; edicta Regis adverſus Principem, & qui partium ſunt
Principis, revocentur; *Londinenſe* & *Tilburii* (prope *Graveſendam*)
caſtra, cum aliquot, tenus Tameſin infraque pontem Londinenſem,
firmis ſtationibus, præſidiis Principis teneantur: ſi durante Ordinum
conventu Regi libeat *Londini* commorari, idem etiam Principi inte-
grum ſit, pari utrinque cuſtodiæ corporis & comitatus numero; ſin a-
liter viſum Regi, æquali uterque ab urbe intervallo manſionem habe-

Digitized by Google

nis ſuæ rationes, juſtasque ſuper Principis *Walliæ* natalibus ſuſpicio-
nes, publica Declaratione expoſuiſſe, quorum veritatem Rex *Jaco-*
pag. 291. *bus* plus 40 teſtimoniis ſub juramenti religione exactis aſſerere,
293. conſilioque optimatum perſuadere fuerit anniſus. Copiis acceſſu
frequenti procerum Angliæ invaleſcentibus, Regioque exercitu, qui
Sarisberiæ tum caſtra metabatur, validis ejusdem copiis & præcipua
regni Nobilitate ad Principem transgreſſis, attenuato, Comite inſu-
per *Devoniæ* & *Danbii* in Anglia ſeptentrionali adverſus regias partes
inſurgentibus, Regem veniam ſeceſſionis motuumque edixiſſe, ſi qui
intra viginti dies arma ponerent. Nihil tamen eo profectum, capto
interim a *Bathiæ* Comite *Plymutho*, & gubernatore ejus in cuſtodiam
miſſo, mox altero Regis genero, *Daniæ* Principe, cum Ducibus *Or-
mondiæ* & *Graftono*, aliisque, in conſpectu Regis *Sarisberiæ* ad caſtra
295. Principis tranſeuntibus, ancipitique claſſis fide, Regem cum copiis
Londinum retroceſſiſſe, nunciisque de *Eboraco* & arce *Hullenſi* inter-
ceptis, & Romano-Catholicis ibidem vel exarmatis vel loco pulſis,
298. Procerum præſentium conſilio tres hujus ordinis cum mandatis ad
Principem ablegaſſe; ſed propoſitis paciſcendi conditionibus con-
veniri non potuiſſe. Inſecutam inde Cleri Romanenſis, Conſilia-
300. riorum Judicumque regiorum, & poſt pulſos *Redinga* (*Bercheriæ* Co-
302. mitatus oppido) regias cohortes, Reginæ ipſiusque Regis fugam. Sus-
ceptam hinc ab optimatibus regni, Londini commorantibus,
tranquillitatis publicæ curam, ſolennique eorum declaratione Prin-
cipis inſtitutum de obtinendo libero Parlamento, reſtabiliendisque
306. legibus & libertate, religionisque ſecuritate approbatum; miſſas
etiam ad Principem euchariſticas a Senatu & militiæ præfectis Lon-
309. dinenſibus, eumque *Londinum* invitatum. Mox *Feversbamii* Co-
mitem, copiarum regiarum præfectum, a Rege diſceſſus ſui admoni-
tum, easdem ſoluto ſacramento dimiſiſſe; unde a diſperſis hinc inde
militibus turbæ, & adverſus eas Principis edictum. Interim promi-
311. ſcuæ multitudinis *Londini*, & paſſim per totam *Angliam*, furore deje-
cta ſacella Pontificiorum, domiciliaq; fugitivorum; ipſis etiam Le-
gati *Hiſpanici* & Reſidentis *Florentini* ædibus *Londini* vim factam,
easque expilatas; nec niſi fama adventus Principis, promulgatisque
313. ſeveriſſimis Edictis, tumultus hos ſiſti potuiſſe. Inquiſitum deinde
in fugitivos, eorumque aliquos in cuſtodiam miſſos, interque hos

Jeffrey.

Digitized by Google

Jeffreyum, Magnum Angliæ Cancellarium. Ad Regem *Feverſha-* 315. 332.
mii detentum, miſſos a Proceribus *Londino*, reditum in urbem eidem
perſuaſiſſe; cum Princeps conſultius habens Regem abeſſe, *Windeſo-*
rio per Suyleſteinium in diverſum trahere ſocerum anniteretur.
Sed hoc a via Regi inſtita aberrante, Regem *Londinum* reverſum, eo-
que per *Feverſhamii* Comitem, Principem, oblata in diverſorium *S.*
Jacobi regia, invitaſſe. Principem vero, prioris ſui conſilii tenacem, per 317.
deputatos ex primoribus Anglicanis, regem oraſſe, ut ſecuritati ſuæ
conſulens, extra urbem tantiſper commorari vellet; in quam ſen-
tentiam Rex conceſſerit, *Durobriva* in manſionem electa. Rege
ergo d. 18 Dec. mane *Londino* iterum digreſſo, Principem a meri- 321.
die incredibili civium lætitia & congratulatione exceptum. Eodem 335.
deinde publicis negotiis admoto, per omnes regni provincias Ordi-
num *Aſſociationem*, qua ſecuritati Principis caveretur, tempeſtive fa-
ctam, Romanenſibus paſſim contra præſentem regiminis ſtatum ſini- 337.
ſtros rumores ſpargentibus; quos iteratis mandatis Princeps in ordi-
nem cogere ſuſceperit. Poſthæc vacuo ærario publico, inſtante 338.
Principe, ſubventum, grandi pecunia mutuo accepta, prolixa prom-
titudinis inter Londinenſes contentione. In Conventione porro 352.
Ordinum diſceptatum ſuper vocibus *abdicationis* & *deſertionis* (utra
earum *regifugium* appellandum) *vacantia* item *throni*; tandemque
poſt concertationes aliquot dierum in electionem *Guilielmi* Princi-
pis & Conjugis *Mariæ* conſenſum, auſpiciis & ſumma rerum penes
Principem conſtituta, ſub utriusque tamen nomine. Ordinibus re- 364.
gni in hunc modum de regimine decernentibus, eodem die, qui duo-
decimus erat Februarii, commodum e Batavis ſuperveniſſe Princi-
piſſam, alteroque die, a Sereniſſimo huic conjugum pari digni-
tatem Regiam a Procerum concilio oblatam, inſecuta ſtatim
Londini publica ſolennique diverſis in locis proclamatione. Cæte-
ra, quæ huc ſpectant, & nos conſulto omiſimus, B. L. vel ex ſupra
allegato recenſu *hiſtoriæ mutationum Anglicarum*, vel ex ſequenti,
ejusdem plane cum Libello iſthoc argumenti, non difficulter hau-
riet.

ENGELANDS GODS-DIENST EN VRYHEID herſteldt, door ſyn Hoogheit den Heere Prince van Oranje.

hoc

hoc eſt,

Religio & libertas Angliæ per Principem Orangii reſtituta &c.

Amſtelodami, apud Marcum Doornik, 1689, in 4. Conſtat plagulis 42, & Iconiſmis 12.

TRactatus præſens hiſtoriam complectitur rerum Anglicarum, ab expeditione Principis *Auriaci*, usque ad ejusdem coronationem in Regem Britanniæ. Eaque non continua narratione contexta eſt, ſed congerie conſtat literarum, quarum maxima pars a Domino *Citters*, *Ordinum Hollandiæ* negotia in aula Regis Angliæ curante, ad laudatos Ordines, cæteræ a paucis aliis perſcriptæ ſunt; inſertis monumentis publicis, literis, edictis, declarationibus Regum, Principis, Statuum Fœderati Belgii, Angliæque, ad hoc argumentum ſpectantibus: quæ omnia *Editor* mandato Ordinum Fœderatarum Provinciarum typis expoſita eſſe teſtatur. Cæterum cum recenſu eorum, quæ libro hoc continentur, repetito jam perfuncti ſimus, tanto nobis hic brevioribus eſſe licebit, ſuppletis maxime iis de quibus aut prædicti libri, aut excerpta noſtra ſilent.

Exordium Libro a factis *Jacobi II* Regis Angliæ, quibus viſus eſt regno jugum accire Pontificium, ſibi vero illimitatam poteſtatem comparare velle. Hujus obtinendi cauſa ſolicite tentatum Principem Auriacum, *Autor* aſſirmat, ut abolitioni Teſti & pœnalium legũ in Romanenſes conſentiret: ſed hunc obfirmato contra omnes Soceri illecebras animo induci eo non potuiſſe. Hanc Principis conſtantiã ſtatim inſecutũ rumorem de Reginæ Angliæ graviditate, & interjecto ju-
pag. 3. ſto temporis intervallo, partum Principis Walliæ: ad quem perſonæ advocatæ ſint, quas huic negotio præſentes eſſe, per leges non conveniebat; filia regis natu minore interim, curandæ ſcilicet valetudini, longius amota, & Archiepiſcopo *Cantuarienſi* cum ſex Præſulibus aliis in cuſtodiam miſſo. Sub hæc apparatũ bellicum, terra mariq; in Hollandia factum, ſuſpici vicinis cœpiſſe, Angliæ Galliæque regibus per legatos ſuos Ordines Belgii, quibus arma intentarent, ſolicite percontan-
6. tibus; illo etiam ſubditis commercia cum hoſtibus (ſibi enim hanc ſcenam adornari non amplius dubitabat) ſuis interdicente. Exponun-
9. tur inde tum ſupplices Procerum Anglorum literæ, quibus Ordinum Angliæ

Angliæ ſubditorumque gravamina contra regimen Jacobi, & natales Principis *Walliæ* referuntur, & Principis *Auriaci* auxilium imploratur: tum hujus gemina declaratio, qua expeditionem in Angliam Scotiamque a ſe ſuſcipi edicit, promovendo libero Parlamento, abrogandisque iis, quæ contra libertatem, leges & ſecuritatem publicam in utroque hactenus regno tentata ſint. His interſerta eſt Principis apologia, diluendis calumniis, contra inſtitutum ſuum ſparſis, vulgata; ſubjunctæque invitatoriæ Principis, de conjungendis ſecum viribus, militiæ Anglicæ navali terreſtrique propoſitæ; & memorabilis ejusdem oratio valedictoria ad Ordines Fœderatos habita. P. 77. 92. 90. 97. 105.

Qui porro expeditionis ſucceſſus, & ut magno ubique in Anglia applauſu Princeps exceptus ſit, plurimis regni Optimatibus, præcipuis militiæ regiæ Præfectis & cohortibus, integrisque provinciis ad partes Principis, accedentibus; quæ ex adverſo, & quam varia Regis & regiorum conſilia, quæque hinc inde eo tempore per Angliam geſta, per vices referuntur: quæ tandem, tantum non omnibus ad Principem inclinantibus, poſt iteratam hujus declarationem, qua ad legitimum Parlamentum, hujus & ſubditorum libertatem, exarmationem pontificiorum, eorumque ab officiis publicis remotionem provocat, eo rediere, ut Proceres Regi præſentes conſilium cum Principe paciſcendi dederint. Rex animi diu anceps, audito exercitus tumultuario e caſtris diſceſſu, filiæ natu minoris fuga, generi Danici & primorum defectione perculſus, in Parlamenti convocationem deniq; conſentit, & per legatos, *Georgium Savilum Halifaxii* Marchionem, *Danielem Finchium Nottinghamiæ* Comitem, & *Sidneium Godolphini* Dominum, Principem inſtituti ſui certiorem reddit, & qua commodiſſime ratione ſecuritati Parlamenti proſpici poſſe Principi videatur, ab eo contendit. Re deliberata Princeps ſequentes conditiones renunciare jubet: Pontificii omnes, iique qui Teſti ſacramento ſe obligare olim recuſarunt, exarmentur, muneribusq; regni, quibus admoti ſunt, exuantur; edicta Regis adverſus Principem, & qui partium ſunt Principis, revocentur; *Londinenſe* & *Tilburii* (prope *Graveſendam*) caſtra, cum aliquot, tenus Tameſin infraque pontem Londinenſem, firmis ſtationibus, præſidiis Principis teneantur: ſi durante Ordinum conventu Regi libeat *Londini* commorari, idem etiam Principi integrum ſit, pari utrinque cuſtodiæ corporis & comitatus numero; ſin aliter viſum Regi, æquali uterque ab urbe intervallo manſionem habe- 130. 136. 187. 135. 142. 145.

at: exercitus ad trigeſimum ab urbe lapidem recedant; nec exter-
næ amplius copiæ intra regnum recipiantur, Gallici præcipue militis exceſſus caveatur: *Portus magni* (*Portsmout*) Gubernator de Regis & Principis voluntate conſtituatur; Principis copiis, tempore conventus publici, de regni obventibus ſtipendia exſolvantur. Pugna
pag. 143. interim *Redingi* inter utriusque partis cohortes commiſſa, pulſi regii adeo *Londini* omnia terrore compleverunt, ut Nuncius Pontificius, Clerus Romanenſis, mox Regina cum *Walliæ* Principe, ipſeque Rex, non expectato legatorum ſuorum reditu, præcipiti fuga urbe exceſſe-
169. rint. Præter cætera inde negotia ſupra jam relata, memoratur etiam, legatum Gallicum regno excedere juſſum; & Principem Gallicas criminationes, quibus expeditionem ejus inſectabantur, apud Le-
188. gatos Cæſaris & Hiſpani diluiſſe. Recenſentur præterea membra
228. Conventionis Ordinum a 15 Jan. ſuperioris anni celebratæ, eorumque edictum, quo cauſæ abdicationis Jacobi II, & quibus rationibus leges regni violaverit, aliaque notatu digna plura, in libello modo
233. recenſo omiſſa, continentur; & formula actusq; Proclamationis, qui-
237. bus Princeps & Conjux Reges Britanniæ ſolenniter *Weſtmonaſterii* & *Londini* declarati ſunt. Subnectitur etiam apologia ad Magnates Europæ, qua depoſitio regis Jacobi ab hinc inde objectis vindicatur. Quomodo porro officia domus auguſtæ conſtituta, Senatusque ſan-
244. ctioris conſilii lectus ſit, exponitur; narratione ad acta Parlamenti
254. 311. novi, in quod Conventio confirmatis illius decretis commutata eſt, &
346. ipſam coronationem regiam, cujus ſeries & negotia luculenter deſcribuntur, deducta.

Merentur etiam hic legi geminæ, *Sunderlandiæ* Comitis & Epiſcopi *Roffenſis* (quorum ille Secretarius Status, Regi inter primos, inclinantibus *Jacobi II* rebus, gratia ejus excidit; hic inter Commiſſarios eccleſiaſticarum cauſarum adſcitus, perſpectis aulæ conſiliis, mature ante hos motus munere ſe abdicavit) literæ apologeticæ: quibus, quod ſuſpecti vulgo haberentur ſuggeſtorum promotorumve conſiliorum actionumq;, in perniciem libertatis & religionis Anglicæ a *Jacobo* Rege adornatorum, uterque innocentiam ſuam Amicis, ad quos ſcriptæ ſunt, prolixe demonſtrare laborant; prior etiam calamitatum, quibus tum inundabatur, fontem e ſolutæ vitæ anteactæ licentia, digna homine Chriſtiano confeſſione, derivat.

Quæ

eſt

TAB. I. ad A. 1690. pag. 55.



Quæ

Quæ paſſim ſupra narratis de *Scotiæ* (p. 205 ſeqq. 207, 210, 212, 257, 298 ſeq. 300 ſeq. 302.) & Irlandiæ (pag. 173, 208 ſeq. 220, 228, 242 ſeqq. 256, 296) rebus, parallela geſtis Anglicis, intermiſcentur, quod vel exactam hiſtoriam non conficiant, vel rumoribus illo tempore ſparſis tantum nitantur, conſulto prætermimus.

SCHOUBURG DER RUPSEN, VVORMEN, maden en vliegende dierkens &c. i. e.

Theatrum erucarum, vermium, termitum, & quæ ex his oriuntur beſtiolarum volatilium, propria experientia collectum a Steph. Blancardo.

Amſtelod. apud Jan ten Hoorn. 1688, in 8. Plag. 15.

QUamvis beſtiolis, quæ ab inciſuris, quibus corpuſcula ipſarum notantur, inſecta vocari ſolent, nihil abjectius vulgo habeatur, accuratius tamen inſpectæ tantum artificii, tantum pulchritudinis oſtentant, ut mirum haud ſit, homines ingenioſiſſimos multum temporis & operæ collocaſſe in illis exactius cognoſcendis, magno philoſophiæ naturalis emolumento. Nata enim hinc nobis elegantiſſima Mouffetti, Gœdartii, Svvammerdammii, Redi, Malpighii, Liſteri, & ex ſequiori ſexu, Grafiæ &c. ſcripta, quibus nunc accedit Theatrum hoc Inſectorum Blancardianum, cujus anno 1688 primam ſolum partem Clariſſimus ejusdem Auctor in lucem emiſit. Conſtat illa *quadraginta novem capitibus*, quæ omnia obſervationibus propriis referta ſunt, & ſchematibus nitidiſſimis illuſtrata. Multa inibi leguntur gemina illis & conſentanea, quæ tum apud Dn. Redi de ortu inſectorum, tum apud Gœdartium & Svvammerdammium de illorũ metamorphoſi habentur; nonnunquã tamen in eorundem deſcriptione ab utroque receditur, prout vel ex ſola delineatione pediculi aquatici, ſi cum Svvammerdammiana conferatur, elucet. Reperias quoque nonnulla aliis nondum obſervata, v. g. quod Auctor ſpumam plantis nonnullis adhæreſcentem a ſuctione inſecti cujusdam originem ducere comperit, cujus eſt domicilium, nec non quod araneas absque prævio maris congreſſu ova fœcunda ponere ſibi exploratum affirmat. Exhibentur etiam exotica quædam, in quibus

eſt

eſt papilio Surinamenſis reliquos & magnitudine & ſpecie pulcherri-
TAB. I. ma vincens, cujus iconem harum rerum curioſis damus in Tab. I. Tandem *capite ultimo* methodus traditur inſecta venandi & conſervandi; ubi tamen id etiam inculcatur, quod tanquam errorem in Gœdartio notaverat Swammerdammius, erucas nimirum, ſi ad mutationem abeant, pabuli convenientis defectu laborantes, imperfectos fieri papiliones, & proinde cibum ipſis eſſe ſuppeditandum, donec ſua ſponte a pabulis deſiſtant. *Appendix* literas quasdam notasque complectitur ad rem præſentem facientes.

LIBRI NOVI.

D. Leonhardi Hutteri Concordia Concors, de Origine & Progreſſu Formulæ Concordiæ; cum Præfatione D. Valentini Alberti P. P. Francof. & Lipſiæ, apud J. C. Föllginer, 1690. in 4.

Muſei Italici Tomus II, complectens antiquos libros rituales ſanctæ Romanæ Eccleſiæ: cum Commentario prævio in Ordinem Romanum. Pariſiis, apud J. Boudot &c. 1689. in 4.

Jacobi Wolf Scrutinium Amuletorum Medicum. Lipſiæ & Jenæ, apud Viduam R. Wæchteri, 1690. in 4.

Jobi Ludolfi Tetragonometria Tabularia. Lipſiæ, apud L. S. Cörnerum, 1690. in 4.

Les Loix Civiles dans leur ordre naturelle. A Paris, chez J. B. Coignard, 1689. in 4.

Hiſtoire Critique des Verſions du Nouveau Teſtament par Richard Simon. A Rotterdam, chez Reinier Leers, 1690, in 4.

Hiſtoire d' Auguſte. A Rotterdam, chez le méme. 1690. in 12.

Hiſtoire de l' Egliſe du Japon, par M. l' Abbé de T. A Paris, chez E. Michallet, 1689, in 4.

La Theorie de la Manoeuvre des Vaiſſeaux. A Paris, chez le méme, 1689, in 8.

Dictionaire Pharmaceutique, ou Apparat de Medecine, Pharmacie & Chymie, par M. de Meuve. A Paris, chez Laurent d' Houry, 1689, in 4.

Nouvelle Oſteologie, ou l' on explique mécaniquement la formation & la nourriture des os. A Paris, chez le méme. 1690, in 12.

Hiſtoire de l' Imprimerie & de la Librairie. A Paris, chez Jean de la Caille. 1689, in 4.

L' Eloquence de la Chaire & du Barreau, par M. de Bretteville. A Paris, chez D. Thierry, 1689, in 12.

La Philoſophie du Prince; ou la veritable Idee de la nouvelle & de l' ancienne Philoſophie. A Paris, chez P. Eclaſſan, 1689, in 12.

Journal du Siege de Londonderry ecrit par le Sr. Walker. A Amſterdam 1689, in 12.

Digitized by Google

ACTA ERUDITORUM

publicata Lipſiæ
Calendis Februarii Anno M DC LXXXX.

LIC. JOBI LUDOLFFI, MATH. PROF. ET Senatoris Erffurtenſis, Tetragonometria Tabularia &c.

Lipſiæ, apud L. S. Cœrnerum A. 1690, in 4. Plag. 72.

Cum radicum quadratarum & quadratorum numerorum in mathematicis uſus longe ſit frequentiſſimus; idem tamen, ob calculi prolixitatem, magnam identidem moleſtiam conjunctam habeat: jam olim eximii mathematici, *Clavius*, *Heniſius*, *Maginus*, & poſt eos *Guldinus*, conſtructis Tabulis tetragonicis, e quibus citra ſupputationis laborem, vel propoſitorum numerorum radices quadratæ, vel radicum datarum quadrati excerperentur, difficultati huic mederi ſtuduerunt.

At cum operationes, circa ejus generis numeros obviæ, intra anguſtos præmemoratarum Tabularum cancellos ſæpenumero non coerceantur, (maxima enim radix quadrata in Tabula *Heniſiana* eſt 360; *Claviana* 1000; *Guldiniana* 10000; Maginiana 10100) Clariſſimus Autor noſter, publico Φιλομαθῶν commodo, ulterius perficiendis Tabulis tetragonicis laudabilem operam collocare non dubitavit. Has ergo decuplo auctiores in præſenti opere exhibet; ut radicum ſingularum intra 100000 numerum quadrati, & viciſſim quadratorum intra 10000000000 ſingulorum radices quærentibus in promptu ſint, & juxta ſeriem Tabularum inveniri queant: idque nullo erroris periculo, & commodius atque per Tabulas hactenus extantes. His autem propediem ſucceſſuras ſpondet Autor *Tabulas Cubicas*, quas *Guldinianis* ampliores fore nulli dubitamus. Præmittitur Tabulis Introductio, in qua cum ratio conſtructionis,

tum uſus Tabularum oſtenditur; ſimul etiam quomodo radices quadratorum, aut illarum quadrati, metas harum Tabularum excedentes, compendioſe inveſtigari poſſint, exponitur: præterea Tabularum harum ope multiplicationis & diviſionis negotium, citra abacum Pythagoricum, ſola dimidiatione, additione & ſubtractione confici docetur; quantumq; eæ in evolutione numerorum figuratorum, trigoniorum, pentagoniorum, hexagoniorum &c. tum præcipue circa progreſſionum arithmeticarum, geometricarum & harmonicarum terminos terminorumque ſummas, radices &c. præſtent, luculenter demonſtratur. Epilogi vice ex *Euclide* & *Apollonio* index ſubnectitur propoſitionum, quæ tetragonicam doctrinam vel illuſtrant, vel ab eadem viciſſim illuſtrantur.

PARALLELA SACRA ET PROFANA, SIVE Notæ in Geneſin, Autore Johanne Bompartio Genabenſi Gallo, in Eccleſ. Campenſi Gallo-Belgica Paſtore.

Amſtælod. ex offic. Johann. Wolters, 1689. in 4. Plag: 39.

INexhauſtum prope immenſumque pelagus Scriptura eſt, quod non divinæ modo fidei myſteria arcanosque æternæ ſapientiæ receſſus, ſed & Antiquitatem pene omnem, & literaturæ omnis fundamenta complectitur. Quis enim eſt, qui neſciat, vel ex Moſe ſolo deſumpta eſſe omnia, quæcunque apud profanos & τȣς ἔξω ſcriptores primævam ſapiunt antiquitatem, Moſenque adeo Antiquitatis Principatu ſupra cæteros excellere? Unde Clemens quoque Alexandrinus Græcorum in univerſum Philoſophos tanquam fures & plagii reos diffamavit, παρὰ Μωϋσέως καὶ τῶν προφητῶν τὰ κυριώτατα τῶν δογμάτων ȣκ εὐχαρίστως εἰληφότας, a Moſe illos atque Prophetis ſua accepiſſe dogmata beneficii immemores, aſſerens. Quod ipſum cum in animo ſuo reputaret Autor, miratum ſæpius ſe fuiſſe ait, ex tanto interpretum Scripturæ numero paucos adeo eſſe repertos, qui tantæ molis expoſitioni incubuerint, face ab Ethnicorum monumentis illata. Perſuaſum enim indubiumque omnino eſſe ſtatuit, Scripturarum divinam originem non poſſe melius demonſtrari,

Digitized by Google

ſtrari, *quam ſi allatis ex Gentilium religione, & cultu, & moribus, & dictis, & politia, & geſtis*, argumentis confirmatum eamus. Se ergo jam a quindecim annis non diſſimile quid agitaſſe animo, & progreſſu quidem non exiguo, quando *Geneſin* ipſam *Parallelis* illuſtratam ferme ad finem perduxiſſet. Sed evanidam deletamque penitus memoriâ ſui illius inſtituti tum fuiſſe, cum integro fere anno, perſecutionis in Reformatos ſævientis tempore, apud Gallos tetro teneretur carcere: donec liberatum vinculis, taleque ſperantem nihil, ſchedæ illæ jam prope comploratæ ſequerentur, ipſeque adeo admovere denuo manum operi poſſet. Cæterum, ſi Hebræi olim ſanctuarium ſuum tentoriumque conventus, opus ſane eximium & per cunctas ætatum ſeculorumque vices celebrandum, de ſpoliis Ægyptiorum opimis, quibus onuſti patriam repetebant, concinnaviſſe dicantur; ægre neminem laturum ſperat Parallelorum Concinnator, quod egregia quæque Gentilium & Philoſophorum dicta ad Domus Dei, h. e. Eccleſiæ ſtructuram conferre laboret. Sic enim ex ipſo mendacii & impietatis veluti fonte ſurgere veri aliquid, quod tantæ gentilium caligini luminis quasdam ſcintillas affulſiſſe & admixtas fuiſſe doceat, ſibi compertiſſimum fieri. Sic quod Gen. I, 1. Elohim ſub pluralitatis effertur imagine, deteſtando πολυθεότητος errori anſam dediſſe credit. Ita Ethnicos ex Hebræo nomine El pag. 4.
Eloah feciſſe El-eloe Eleleus in Bacchanalibus ſuis & inanibus bacchantium vociferationibus, itemque & ex יהוה Jobacchus, & ex 224.
Adonai Adoneus derivaſſe. Pariter Gen. XLVIII, 3. notat, ex Hebræo עזז factum eſſe Marti nomen apud Phœnices primo, deinde ex propagine quadam apud Gallos, quibus Heſus, (qui Mars apud eos proprie fuit) fortem robuſtumque ſonet, ſicut & Phœnicibus; quod adducto Juliani teſtimonio comprobat. Fruſtra ſimiliter in 262. 263.
cauſas a Plutarcho inquiſitum eſſe putat, quare veteres Bacchum ſuum quaſi ταυρόμορφον finxerint. Ex ſacro potius Codice, cujus myſteria Sapiens iſte non inveſtigarit, veram nomenclaturæ originem deſumendam eſſe, cum & Deus in Scripturis אביר *Abbir*, potens, quod & Taurum notat, appelletur; unde Bacchus deteſtanda quadam κακοζηλία ταυρόμορφος fuerit dictus. Occaſione Genes. I. 29. 12. 13.
de carnium eſu diſſerit, autumatq; ex prava ejus loci interpretatione Philoſophis Ethnicis, inprimis vero Pythagoræ, anſam fuiſſe datam

 cuden-

Digitized by Google

pag. 13. cudendi commentum de Abſtinentia Carnium, quas occiſæ animantes mortalibus ſuppeditant. Cum enim Deus ſolarum herbarum fructuumque uſum eis conceſſiſſe videretur, carnesque adeo penitus vetitas fuiſſe exiſtimaret Philoſophus, harum manducationem

16. a diſcipulorum grege in totum eliminaſſe. Bedolach illud Gen. II, 12. pro unione habet, & elegantem Latii cum Hebraiſmo convenientiam obſervat. Hebræam enim vocem a בדל quod ſeparare ſignificat, deſcendere: unionis autem nomen nihil niſi ſegregationem quandam ſonare, cum unicum proprie ſit, quod a cæteris ſeparatum. Hinc Cæſarem Catullo Imperatorem *unicum* h. e. ſummum, uniones autem Cleopatræ, ſingulare atque unicum Naturæ opus, Plinio dici.

Ad Gen. III, 7. ubi Protoplaſti perizomata ex ficulneis foliis feciſſe dicuntur, annotat, ideo in fragilitatis proverbium abiiſſe ficus nomen apud veteres, mollemque eos atque inutilem virum *ἄνδρα*

23. *σύκινον* nuncupaſſe. Ad v. 9. ex Adamo Saturnum facit, quia ne Ethnicorum quidem ſcriptores negare unquam auſi fuerint, Saturnum primum hominem fuiſſe. Quod ſi ergo omnes illorum Dii fuerint homines, nec ante Saturnum his fuiſſe Deus deprehendatur, quis Saturnus niſi Adamus fuerit, ante quem homo nunquam extiterit? Quanquam in ſequentibus pro Saturno Noachum fuiſſe habitum oſtendere conetur, atque unum adeo eundemque Saturnum modo Adamum prioris orbis parentem, & ſeculi aurei civem, modo Noachum orbis illuvie exhauſti reparatorem meliorisq; ſatorem proge-

58. niei, diverſo reſpectu ſignificare. Et in Saturnum quidem apprime illud quadrare exiſtimat, quod Gen. IX, 22. in Hebræo textu legitur ויגר, quæ certe vox vocalibus deſtituta tanquam a נגר eſſet, atque abſcindere excidereque ſignificaret, legi potuit: unde deſumtum eſſe videtur, quod de Jove ſomniant, ipſum patrem Saturnum exſecuiſſe.

Ad Gen. III, 15. dicit, ex quo edictum illud Divino ore prola-

25. tum ſit, ad ſerpentis occurſum viſos eſſe homines contremiſcere totos, eo quod Deus *naturalem quandam*, poſt peccati labem, *ἀντιπάθειαν adverſus eum indiderit:* a quo veteri certe & inolito odio natum eſſe ſuſpicatur adagium, *odit cane pejus & angue.* Sic ex c. IV, 7. enatam quoque antiquiſſimam phraſin illam *περὶ τὰς θύ-*

ρας

ρας colligit. Poſteaquam ad hiſtoriam de Noacho & diluvio devenit, maximam Deucalionem inter & Noachum harmoniam prolixe demonſtrat, luculento admodum exemplo, quam turpiter divinis oraculis ad inanes luſus fabulasque profana Gentilitas abuſa ſit. Cæterum non minus ab hiſtoria corvi diluviani, quam ab Ovidii fabella, originem duxiſſe credit adagium Græcum in deſides & cunctatores, Κόραξ ὑδρεύει; cum corvus Noachi, aquis continuo ſupervo- pag. 50.
litans, nec regreſſus in arcam memor, vere ὑδρεύειν, i. e. circa aquas morari dici potuerit. Ex olivæ folio, quod in ore columbæ fuiſſe dicitur Gen. VIII, 11. tanquam ſigno pacis in genere adductas fuiſſe Gentes credit, ut pacem ea ſub imagine ſignificarent; quod memorabili e Livio l. 29. loco aliisq; illuſtrat. Jus divinum quod in bruta Gen. IX, 5. decernitur, agnoviſſe ei videntur Romani, quotannis crucifigentes canes in illorum memoriam, qui nocturnam Gallorum in Capitolium irruptionem latratu non indicaverant, unde promiſcua cædes ſequuta. Quæ Gen. IX, 27. de Japheto dicitur *La-* 61.
titudo, optime Autori quadrare videtur Neptuno, qui propterea εὐρύστερνος dictus. Ad c. X, 12. Xenophontem notat, quod *Rezen* ſeu Siſaræ urbis verum interpolaverit nomen, & pro Rezen Lariſſam ſubſtituerit, ut ad Græcam elegantiam accommodaret. Et veriſimile ipſi eſt, Græcis rogitantibus, cujus urbis eſſent rudera, Aſſyrios reſpondiſſe לרסן *Leresen*, addendo *Le* ad Genitivi notam, atque illud Le-
reſen mutatum eſſe in Lariſſam. Cap. XII, 13. in Ciceronem inve- 74.
hitur, quod crude nimis dixerit, ex omni vita ſimulationem diſſimulationemque tollendam. Potius ille dolum hunc Abrahami fuiſſe aſſerit, ſed qui in actu, ceu loquitur, negativo conſtiterit, ubi nempe, Labeone autore, aliquis per diſſimulationem vel ſua vel aliena tueri conatur. Quo ſimul illud Auguſtini in Gratiani Canones relatum pertinere ait: veritatem voluit celari, non mendacium dici. Gen. XV, 9. parallelum ex Luciano adducit, quod Ganymedes a Jove raptus & dimitti petens, pro λύτρῳ ſuo promittat ſe *arietem* Jovi immo- 90.
laturum, τὸν τριετῆ τὸν μέγαν. C. XIX, 2. imitationem eſſe auguratur Moſaicæ hiſtoriæ illam, qua apud Ovidium Philemon & Baucis Deorum hoſpites, renuentibus aliis, eſſe amarunt. Ad c. XXII, 2. pertinere ei videtur narratio Sanchuniathonis de Saturno, (quo veroſimiliter Abraham deſignetur) qui ex Nympha indigena 101.

Ἀνοβρετ, Hebraice העוברת (quod ipſiſſimum Saræ epitheton ſit) filium habuerit unigenitum, *ὃν διὰ τȣ̃το Ἰεȣ̃δ ἐκάλȣν*: Jeud quippe Hebræis eſſe יחיד Iſaaci in h. l. epitheton, de quo agere Sanchuniathonem appareat. Addere Porphyrium, unigenitum a Patre fuiſſe immolatum. Ex c. XXII, 11. egregium illud Græcorum Θεὸς *ἀπὸ μηχανῆς ἐπιφανεὶς*, illuſtrat. C. XXXV, 8. ex Antiquitate obſervat, illuſtres olim fœminas *Apis* nomine appellari non eſſe dedignatas, unde de Jovis nutrice Meliſſa, Meliſſa Epidamni filia aliisque, quin & ipſa Debora, quod nomen Hebræis apem ſonat, legatur. C. XXXIX, 13. ſeqq. conjungere Lectorem jubet Phædræ Theſei uxoris in Hyppolitum, conjugis Prœti in Bellerophontē, & uxoris Potipharis in Joſephum ſævientis ſimul & deamantis libidinem, & dolorem, & inſaniam, vindictæ denique propoſitum infandasque calumnias; unde non pauca apud Autores τȣ̀ς ἔξωθεν cum Moſe con-
pag. 194. ſentanea notari queant. C. XLI, 49. utut rationes illorum, qui Api-
195. da & Serapidem idem fuiſſe numen, & ſub utriusque nomine cultum ab Ægyptiis Joſephum exiſtimant, acute excogitatas agnoſcat; exinde tamen refutari eas facile autumat, quod, ſi Joſephus ab Ægyptiis cultus poſt fata fuiſſet, Rex poſteros Joſephi Iſraeliſque tanta tyrannide non preſſiſſet, nec internecinum inter utramque gentem odium fuiſſet, ſicut acciderit, hinc inde in ſecula fere denunciatum. C. XLV, 5. eadem in cauſa idem pronunciat, moresque gentis e diametro pu-
219. gnantes pro ſe allegat. C. XLIX, 10. aſſerit, ab illa de Chriſto prophetia: *usque dum venerit Silo &c.* horrendo & diabolico modo
253. detorta, originem fuiſſe fabulæ de Sileno; quemadmodum & verba v. 12. *dentes ex lacte albeſcent*, ad Silenum ſuum applicuerint, cum ei, teſte Euripide, pro cibo caſeum & lac bovis aſſignaverunt. Cæterum longum nimis foret Paralleliſmos omnes paraphraſesque ex profanis allegare, quas in Autore ubivis obvias deprehendet Lector. Controverſias quoque nonnullas, quas v. g. de exhæredatione, p. 246. Jure Dei p. 61. &c. tetigit, brevitatis ſtudio mittimus.

ΣΙΒΥΛΛΙΑΚΟΙ ΧΡΗΣΜΟΙ,
hoc eſt,

Sibylli-

Sibyllina Oracula, ex veteribus codicibus emendata ac reſtituta, & Commentariis diverſorum illuſtrata, opera & ſtudio Servatii Gallæi.

Amſtelodami, apud Boomios, 1689, in 4. Plag. 98.

QUæ hodie extant, a multis retro ſæculis inſcripta, *Sibyllina carmina* octo libris comprehenſa, non furoris fatidici oracula, ſed ingenii otioſi commenta eſſe; nec obſcuras, perplexas & ambiguas (quales furibundis vatibus conveniunt) prædictiones exhibere, ſed ſimplices & perſpicuas & quaſi in ſchola per ſummum otium elaboratas narrationes de creatione mundi, lapſu Adami & Evæ, diluvio, arca Noæ, inſtauratione orbis poſt diluvium, & hiſtoriam omnem de adventu Chriſti in carnem, ejusque paſſione ac morte, & mox ſubſecuta Hieroſolymorum everſione, Judæorum diſperſione, Evangelii prædicatione, Antichriſto, Græciæ interitu, mundi fine & extremo judicio complecti; ac ex Heſiodo, Orpheo, aliisq; Græcis poetis conſarcinata eſſe, ac proinde ſpuria & ſuppoſititia; verſusque, ſi qui e veris Sibyllinis ſuperſunt, adeo interpolatos & transformatos eſſe, ut ab adulterinis diſcerni nequeant, plerorumq; eruditorum ſententia eſt. Nimirum alia plane & diverſa hæc carmina ab iis, quæ Tarquinio oblata Gellius memorat, alia etiam veteres Græci ac Latini ſcriptores ante Chriſtianæ per orbem religionis notitiam conſueta fuiſſe produnt: ſiquidem gentilem iſta idololatriam confirmarunt, ut cum Æſculapium ab Epidauro, matrem Idæam a Peſſinunte Romam eſſe accerſendam, ad ædem Saturni eſſe immolandum, ac lectiſternium habendum, Jovi ludos magnos, ac Veneri Erycinæ ædes vovendas, hoſtias humanas eſſe mactandas, & hujusmodi impia ac ſcelerata ſuaſerunt; tantum abeſt, ut veræ Chriſtianæ religionis dogmata tradiderint, quæ octo Carminum libri continent, qui ſub Sibyllinorum nomine circumferuntur. Ac in ipſis priſcis apud gentiles Sibyllinis carminibus multas jam fraudes interveniſſe, multaque ab nebulonibus ſub hoc nomine ficta ac veris inſerta fuiſſe, vel ſollicita Romanorum principum cura, *ut diſcernerent vera a falſis*, oſtendit, qua Tiberius tactus Senatum commonefecit, *ut ſacerdotibus daretur negotium*, quod jam antea etiam Auguſtus ſanxerat & majores decreverant, *quantum humana ope poſſent, vera oracula a falſis*

diſcer-

diſcernere, ut Tacitus Annal. lib. 6. cap. 12. tradit. Quæ tamen ſollicitudo non obſtitit, quominus de vaticiniis plerisque, quæ e libris Sibyllinis depromebantur, ambigeretur: ut de iſto, quod Tiberii principatu vulgatum fuiſſe inter prodigia, quibus prænunciabatur mors Germanici, refert Dio lib. 57. Ex Luciani etiam *Pſeudomante*, & libro *de morte Peregrini* intelligi poteſt, quantum Sibyllæ nomine impoſtores & agyrtæ inter gentiles fuerint abuſi. Quo minus dubitari poteſt, multum fraudis (ſed quam piam vocant) iis interveniſſe carminibus, quæ pro veris Sibyllinis ab eccleſiæ priſcæ Patribus habita, & ad convincendos refutandosque gentilium errores in partes vocata, talia etiam a Marco Antonio Antimacho, Sebaſtiano Caſtalione & nonnullis aliis agnita fuerunt. Quos verioribus rationibus oppugnarunt Voſſius, Blondellus, Lambecius; præter hos autem & complures alios hoc argumentum fuſe executus eſt, & adverſus *Craſſetum* Jeſuitam potiſſimum, veritatem Sibyllinorum oraculorum deſtruxit Servatius Gallæus in *Diſſertationibus de Sibyllis earumque oraculis*, quas in ſuperioris anni Actis menſe Januario p. 15. ſeqq. enarravimus. Ipſa autem quæ circumferuntur *Sibyllina carmina*, octo libris incluſa, (quorum manuſcriptum codicem, qui Johannis Sambuci fuerat, in Bibliotheca Cæſarea Vindobonenſi ſupereſſe, Lambecius in Commentariis de ea lib. 8. p. 44. indicat) a *Xyſto Betulejo* ex Auguſtana bibliotheca depromta & ab Oporino primum *A. 1545 Baſileæ* evulgata, a *Caſtalione anno ſequenti* carmine heroico Latine reddita, *A. 1555 Baſileæ* græce & latine recuſa, magna ex parte etiam in Syllogen apocryphorum a Michaele Neandro *A. 1567* relata, tandem *A. 1599* a *Joanne Opſopœo* Pariſiis græco-latina cum notis nitidiſſime edita, & *A. 1607.* recuſa, anno proxime elapſo idem Gallæus Batavis typis, Opſopœi editionem imitantibus, exſcribi fecit, & prolixos commentarios addidit. In quibus non ſolum integræ Caſtalionis & Opſopœi annotationes, & nonnullæ e MSC. codice, quem Cl. vir Edu. Bernardus ex Anglia ſuppeditaverat, emendationes exhibentur; verum etiam e doctorum virorum ſcriptis excerptæ ad Sibyllinorum carminum illuſtrationem facientes notæ, interdum quoq; prolixiores digreſſiones, ab Editore proponuntur, ſuis quævis verſibus, ad quos pertinent, ſubſtratæ; inſignem ſacræ & profanæ philologiæ apparatum ex *Bochar-*

ti,

Digitized by Google

ti, *Buxtorffii*, *Cerdæ*, *Duporti*, *Ferrarii*, *Grotii*, *Heideggeri*, *Hottingeri*, *Hoffmanni*, *Blondelli*, *Barthii*, *Salmaſii*, *Spenceri*, *Poli*, *Petiti*, *Marſhami*, *Ravanelli*, *Schedii*, *Suiceri*, *Spanhemii*, *Parckeri*, *Martyris*, *Peraldi*, *Ouzelii*, aliorumque monumentis ſuppeditantes.

Sub finem adjecit eadem quæ Joannes Opſopœus ſuæ Pariſinæ editioni appendicis loco junxerat, *Oracula metrica Jovis*, *Apollinis*, *Hecates*, *Serapidis*, aliorumque falſorum Numinum, ex Græcis ſcriptoribus collecta, ſubſtratis Opſopœi annotationibus, e quibus intelligere licet, e quibus autoribus quodvis eorum depromtum ſit; *Aſtrampſychi onirocriticon*, ſicut Jos. Scaliger iſtud digeſſit; nec non *Oracula magica Zoroaſtris* cum *Plethonis* & *Pſelli* ſcholiis, quæ dogmata continent (ne quis artis portentoſæ & præſtigiatoriæ præcepta in iis tradi putet) de pietate & cultu divino, quem qui apud Ægyptios, Chaldæos, Perſas & Medos profitebantur, *Magi* dicti ſunt, ut e Platone, Strabone, Plutarcho, Luciano, Apuleio & aliis diſcimus. Cæterum de his æque Zoroaſtris ac illis Numinum oraculis merito pronunciare poſſumus, quod Magicorum Zoroaſtris editioni Pariſinæ A. 1597. Fed. Morellus præfixit:

Oracla hæc fateor poſſunt Ænigmata dici:
Sunt oracla Dei clara minus Clarii.

EXCERPTA EX LITERIS Dn. JOHANNIS Chriſtophori Sturmii, Profeſſoris Altorfini, die 22. Dec. 1689. Lipſiam ſcriptis, de Helio- & Seleno-Cometis Altorfi obſervatis.

ACcidit ante hos dies, $\frac{8}{18}$ menſis hujus, ut invitante cœli ſerenitate, cum intenſo tamen frigore conjuncta, ſub veſperam extra oppidum noſtrum exſpatiatus, in plagam occidentalem gradum oculosq; converterem, paucis ante minutis quam Sol, horizonti jam proximus, in conſuetas ſe latebras reconderet, ejus ellipticam figuram, ceu frequenter ſoleo, ſic ferente occaſione, intentis oculis contemplaturus. Omnia vero alia dum expecto, inſolitum mihi, nec ante hac unquam viſum, nec, præterquam Actorum anni 1682 p. 262, lectum etiam unquã, ſeſe offert, columna ſcilicet ſive cauda perpendiculariter ſupra Solem jamjam occidentem erecta, Solis lucida ruben-


tique facie obſcurior quidem, at ambiente aere multum vaporoſo multo ſplendidior, latitudine ſua Solis ſemidiametrum quam proxime exæquans, longitudine vero duodecies excedens & amplius, poſt Solis etiam occaſum adhuc durans, longitudine magis magisque decreſcens, & poſt pauca tandem horæ minuta opinione mea citius evaneſcens. Hæc cum in oppidum reverſus curioſioribus quibusdam obviis narraſſem, ac domi meæ cauſam phænomeni phyſicam ſubinde meditarer; finita cœna & cubitum eundi tempore jam impendente, inopinatum accipio nuncium ex alumneo Collegii noſtri, neſcio quod circa Lunam occaſui appropinquantem ſpectari prodigium, de quo certiorem me reddendum eſſe utique judicaverint. Ego vero, cum accepto hoc nuncio in ſupremam Collegii contignationem ſine mora me recepiſſem, non ſine magna admiratione idem plane in Luna conſpicio phænomenon, quod veſpere proxime antecedente in Sole videram, hoc ſolo diſcrimine, quod cauda iſta ſive columna ſplendida, ibi ſupra Solem exporrecta, hic infra Lunam ad horizontem usque protenſa ſpectaretur, tantiſper tamen etiam ultra ejus cornutam faciem elongata; prout in *Schem. adjecto lit.* C deſignat. Ex eo tempore (audita vero jam erat decima nocturna) ad horam undecimam usque, columna iſta ſive ſpatium reſplendeſcens infra Lunam, cum ejus altitudine ſupra horizontem, paulatim decreſcebat, portione tamen ejus ſupra ipſam eminente nequaquam ita augeſcente, ut ego futurum eſſe conjeceram, ſed columna tota magis magisque decurtata; adeo quidem ut poſt merſam penitus Lunam cauda ſurſum erecta (*ut in D*) valde brevis eſſet, & mox penitus exſpiraret. Ex phænomeno interim *lit.* C notato ſuſpicari non ſine cauſa mihi videbar, ſi primæ circa Solem apparitioni maturius ſuperveniſſem, cum Sol notabili adhuc eſſet ſupra horizontem altitudine, ibi quoque deorſum exporrectam ad horizontem columnam viſurum me fuiſſe: ideoque cum ſpes eſſet indubia fere, vaporoſam iſtam aeris conditionem, quæ tum erat, per totam noctem eandem eſſe permanſuram, & qui tum aderant ſpectatores juſſi, & ipſemet conſtitui, ſequenti mane Solem orientem operiri. Quod dum fecimus, opinioni noſtræ plane ſatisfactum eſt, viſa iterum ſupra Solem aſſurgentem columna reſplendente, & quanto altius deinceps elevatus Sol eſſet, tanto longiore tractu eadem verſus horizontem

TAB. II. Fig. A.B.

Fig. C.

Fig. D.

TAB. II. *ad A. 1690. pag. 66.*



Digitized by Google

Digitized by Google

zontem exporrecta, tandemque, cum ad eam circiter altitudinem, quam tota columna prius fere ſemper habuerat, Sol aſſurrexiſſet, intra parvum temporis intervallum prorſus evaneſcente. Fruſtra vero veſpere ſequenti apparentiæ hujus iterationem expectavimus, frigore quippe aeris, ob ventum, qui orientalior ante fuerat, multo jam auſtraliorem, ſenſibiliter remittente. Tametſi vero memorabile cumprimis erat, hæc in utroque Luminari phænomena contigiſſe illa ipſa Dominica, qua mane in Eccleſiis evangelium de ſignis in Sole, Luna &c. expectandis prælectum eſſet; a naturalibus tamen cauſis ea proveniſſe certum erat: tum quod poſtero quoque die iterata vice in Sole ſaltem comparuiſſent; tum quod non niſi prope horizontem vel occiduum vel ortivum ſpectata eſſent; tum denique vel maxime, quod in nocturna obſervatione craſſiorum vaporum altitudo in aere a Luna illuminato circumcirca diſtinctiſſime conſpicua, caudæ vel columnæ prædictæ altitudinem ſatis exacte adæquabat; argumento ſatis manifeſto, per ſpecialem quendam rarefactionis gradum, ex rara quadam vaporoſi aeris conditione pendentem, haut injucundum hoc ſpectaculum productum fuiſſe.

HISTOIRE DE L' IMPRIMERIE ET DE LA librairie. i. e.

Hiſtoria typographiæ & bibliopoliorum a primis originibus ad annum 1689 deducta,

Pariſiis, apud Johannem de la Caille 1689, in 4.

Conſtat plagulis 45.

QUemadmodum ex iis, quorum Acta collegimus, duo cumprimis Typographorum hiſtoriam ex profeſſo illuſtrarunt, Theodorus puta *Janſonius* ab Almeloveen in *de Vitis Stephanorum*, & Adrianus *Bailletus* T. II. P. I. *Judiciorum Eruditorum de primariis Auctorum ſcriptis*; quorum illum A. 1684. p. 202. hunc A. 1686. p. 252. prolixius commemorandum duximus: ita *Johannes de la Caille* ſenior, typographus & bibliopola Pariſienſis, *Wetſteniorum*, *Bulſonum*, aliorumque ſui ordinis eruditorum æmulus, utrique, imo quotquot hoc argumentum pertractarunt, auctoribus univerſis, opere hoc bi-

pertito palmam dubiam reddere ſtuduit; cum, quos illi decadibus aut centuriis numerant, hic chiliadibus fere binis digeſſerit.

Parte priori in origines artis typographicæ inquirit, illasque non *Coſteri*, non *Mentelii*, non aliorum, (quibus ſingulis eruditorum aliqui aſſertum eas iverunt,) ſed *Johannis Guttembergii* Argentoratenſis ingenio acceptas eſſe ferendas arbitratur. Ab hujus dein ævo, medio nempe ſeculi XV, ad ſeculi usque XVI auſpicia, ordine chronologico, antiquiores Typographos, eorumque nomina, patriam, domicilium, opera primaria, ſymbola, epitaphia, quandoque & progeniem ac geſta præcipua, cujuscunque generis illa fuerint, recenſet. Altera vero parte typographos ad unum omnes, quotquot ab A. 1469, ad annum usque 1689, Lutetiam Pariſiorum incoluere, complexus eſt. Accedunt indices tum *Urbium*, tum *Typographorum*, alphabetici.

METHODUS CURVAS DETERMINANDI, quæ formantur a radiis reflexis, quorum incidentes ut paralleli conſiderantur, per D. T.


CUm rogatus fuerim a nonnullis, ut publici juris facerem illam methodum, qua detecta fuere, quæ in *Actis hiſce Anno 1682 menſe Novembri* recenſentur breviter, non patiar illam deſiderari diutius, ſed eandem, quantum per multa, quibus diſtineor, negotia licet, brevibus hic exponam.

Principio autem non poſſum, quin moneam, me in diverſa longe eſſe ſententia ab illa, quam hodie plerique fovent, dum ad problemata, quæ tangentium determinationem, quadraturas ſpatiorum, curvarum rectificationes &c. complectuntur, ſingularem requiri methodum exiſtimant, eamque diſſidentem plane ab illa, per quam alias, una eademque conſtanti ratione, omnia problemata matheſeos reſolvuntur. Facile enim demonſtrare poſſem, ſimilia problemata ſimpliciſſima omnium ſeu primi gradus eſſe in tota analyſi, cum tantum caſus ſpeciales problematum quorundam generalium exiſtant, quæ trita & expedita via a tyronibus ſolent reſolvi. Sed hæc alterius temporis ſunt atque loci, ubi quoque oſtendam, viam hanc, licet genuina maxime ſit, in tantam tamen quandoque


calculi

Digitized by Google

Digitized by Google



ig. 3.



calculi prolixitatem nos deducere, ut inſuperabilis fere ſit, niſi certa ad illam tollendam compendia adhibeantur. Quod vero ad rem præſentem attinet, methodum meam in compendium redactam breviter quidem exponam, ſed ita tamen, ut liquido adpareat, quomodo quis, veſtigiis hiſce inſiſtendo, illam ad eam perfectionem, qua major in hoc negotio non datur, evehere tandem poſſit.

Sit ergo (fig. 1.) curva quæcunque ALM, & ponantur radii paralleli incidentes eſſe BL, CM &c, reflexi vero LI & MK, qui curvam AIK tangant in punctis I & K; quæritur, data curvæ ALM natura, alterius curvæ AIK determinatio. Ut autem quæſtioni huic perquam expedita ratione ſatisfaciamus, notandum eſt: TAB. III. Fig. 1.

(1) Non inquirendum eſſe in relationem, quam curva AIK habet ad rectas AH & HI aut ſimiles indeterminatas, prout Dn. des Cartes ſolet, quia nimia hinc oritur calculi prolixitas, ſed, quod facilius fit, longitudinem ſolum rectarum LI, MK & ſimilium tangentium eſſe determinandam. Ex hac enim cognita conſtructio curvæ deducitur, &, cujus illa gradus ſit, ope communis analyſeos deinde haut difficulter inveſtigatur.

(2) Quia in ſingulis curvis operatio quædam eaque prolixa ſemper repetenda eſt, hanc ſtatim ab initio per generale theorema eſſe abſolvendam, priusquam ad ſpeciales curvas hujus methodi fiat adplicatio. Supponendo enim angulos BLD & DLF, item CME & EMG ob angulorum incidentiæ & reflexionis æqualitatem, ſibi invicem æquari, ſtatim patet, datis lateribus duorum triangulorum rectangulorum LBD & MCE, diſtantiaque eorundem BC, rectam LI determinatæ longitudinis exiſtere. Si enim ponas BL $= y$, BC $= o$, NM $= e$, BD $= b$, CE $= d$, LI $= p$ & procedas juxta nota analyſeos præcepta, ita ut omittantur omnes illi termini, in quibus quantitates o & e, quæ ut indefinite parvæ hic ſpectantur, ad duas aut plures dimenſiones aſcendunt, invenies $p = \frac{oyy + 2dey - ddo \text{ in } yy + bb}{dy - by - be \text{ in } -2yy - 2ey - 2bd}$.

(3) Si ergo detur curvæ alicujus natura, ſolum exhibendam eſſe proportionem, quam o & e inter ſe habent; id quod juxta ſequentem regulam efficitur: Poſitis in æquatione, quæ curvæ datæ naturam exprimit, omnibus terminis, in quibus y adeſt, ad unam partem, & omnibus, ubi x habetur, ad alteram; erit, ut o ad e, ſic omnes

Digitized by Google

termini, ubi y, per numerum ſuæ dimenſionis multiplicati, & per y diviſi, ad omnes terminos ex x compoſitos, per numerum ſuæ dimenſionis multiplicatos & per x diviſos. E. g. Sit $y^3 + axy = a^3 + xxy + x^3 + axx$, erit facta legitima tranſpoſitione: $y^3 + axy - xxy = x^3 + axx - axy$, & multiplicatione per numerum dimenſionum peracta: $3y^3 + axy - xxy = 3x^3 + 2axx - axy$, tandemque diminutione unius dimenſionis (dividendo hic per x, illic per y) facta: $3yy + ax - xx = 3xx + 2ax - ay$. Hinc ergo, ut o ad e, ſic $3yy + ax - xx$ ad $3xx + 2ax - ay$.

(4) Tandem, quia hinc quoque data eſt longitudo rectarum BD & CE (eſt enim ut o ad e, ſic LB ad BD) has reſtituendas eſſe in modo invento theoremate, ut denuo proportio o ad e exprimatur. Hinc enim naſcetur æquatio, in qua o & e plane non comparent, ac proinde longitudo LI $= p$ per ſolas datas determinabitur. Id quod erat inveniendum. Exemplis res fiet clarior.

Si enim (fig. 1.) curva APM ſit parabola Archimedis, & ſupponantur radii ſolares, ita ut paralleli ſint axi, in eandem incidere, ſtatim ex hac methodo patet, reflexos in unicum punctum, quod focus vocatur, concurrere. Verum quia jam in vulgus nota hic exhibere non eſt animus, ponamus radios Solis parallelos in eandem curvam ita incidere, ut axem normaliter ſecent; ſitque latus rectum $= 2r$ & AE $= x$, cæteris ut antea ſuppoſitis, erit $2rx = yy$. Unde juxta regulam datam erit ut o ad e, ſic y ad r. Unde $b = r$ & $d = r$. Jam juxta generale Theorema erit:

$$p = \frac{oyy + 2rey - rro \text{ in } yy + rr}{ry - ry - re \text{ in} - 2yy - 2ey - 2rr} = \frac{oy^4 + 2rey^3 + 2r^3ey - r^4o}{2reyy + 2r^3e}$$

Adeoq; denuo eſt o ad e ut $2rpyy + 2pr^3 - 2ry^3 - 2r^3y$ ad $y^4 - r^4$. hoc eſt ut y ad r. Unde propter extremorum & intermediorum æqualia producta habebis æquationem, quæ reducitur ad hanc $p = \frac{y^3 + rry}{2rr}$. Ex qua facilem quæſitæ Curvæ conſtructionem derivo, quam exhibet *figura ſecunda*. Sit ALKR parabola, producatur linea KO, quæ ad curvam normalis eſt, usque dum concurrat in N cum recta MN parallela ordinatim adplicatæ KE, poſito AE $=$ AM, eritque dimidia MP æqualis ſemper KG, curvam AIGDS tangenti

Fig. 2.

genti in puncto G, & cum recta KO conſtituenti angulum GKO æqualem angulo OKE. Ex hiſce autem porro ſequentia non vulgaria concluduntur:

(1) Curva AIG æquatur ſemper rectis EK & KG, hoc eſt radio incidenti & reflexo.

(2) Si B ſit focus parabolæ, & BC æqualis dimidio lateri recto, erit CI maxima altitudo curvæ itidem æqualis lateri recto dimidio, dupla vero CI, hoc eſt latus rectum erit = curvæ AI.

(3) Curva AIGDS, usque ad punctum D, ubi axem AD interſecat, tripla eſt rectæ CR, quæ per verticem curvæ I tranſit.

(4) Longitudo AD æquatur $\frac{qr}{2}$, & poſito FD = u, & FG = Z, erit natura hujus curvæ AIGDS $qrtt - 2t^3 = 27rzz$, quæ curva jam facile ope parabolæ deſcribitur. Viciſſim vero hujus curvæ ope nova habetur deſcriptio parabolæ, ſi intelligatur huic curvæ filum adplicatum eſſe, & ea ratione evolvi, ut altera pars hujus fili, v. g. KE ſemper ad axem ſit perpendicularis, altera vero KG continuo curvam hanc tangat, ita enim punctum K hoc modo deſignatum ſemper erit in parabola.

Si quis eandem methodum adplicare velit hyperbolæ, ubi latus rectum & transverſum æqualia ſunt, poſita natura ejus $2rx + xx = yy$, invenietur $p = \frac{2y^3 + rry}{2rr}$. Quod autem ad circulum attinet, nuper Dominus *Bernoulli*, Vir in hiſce ſtudiis eximie verſatus & egregiis ſpeciminibus clarus, obſervavit curvam, quæ hic per reflexos radios formatur, ad ſex adſcendere dimenſiones: ego vero ex calculo olim collegeram, illam quatuor tantum eſſe dimenſionum. Quapropter rationes denuo ſubducens, quæ ſatis olim prolixæ erant, cum nondum inſtructus eſſem a neceſſariis compendiis, illico deprehendi errorem qui irrepſerat. Hunc ergo ut emendem, & novo aliquo invento reſarciam, publico jam communico non ſolum rationem, qua hæc curva facili calculo inveniri poteſt, ſed etiam facillimã ejus conſtructionem, quam quis ægre eliceret ex Æquatione ad ſex dimenſiones adſcendente & multis terminis implicita, ſi viam inſiſteret ordinariam.

Sit enim curva circularis (fig. 3.) AKDH & HE radius ſolaris incidens *Fig. 3.*

Digitized by Google

incidens, fiat EG = EH, & FE ſit dimidia ordinatim adplicatæ CE, dico quod F ſit punctum aliquod ex infinitis curvæ IFD, ubi tangit eandem radius reflexus EG. Quod quidem methodo hactenus explicata facile probatu. Sit $CD = x$, $CE = y$ $FE = p$ & radius $BD = r$, erit $2rx - xx = yy$. Unde juxta regulam ſupra indicatam o ad e, ut y ad $r - x$; hinc $b = r - x$ & $d = r - x - o$, adeoque

$$p = \frac{\overline{oyy + 2rey - 2exy - rro + 2rox - oxx} \text{ in } \overline{yy + rr - 2rx + xx}}{\overline{ry - xy - oy - ry + xy - re + ex} \text{ in } \overline{-2yy - 2ey - 2rr + 4rx + 2ro - 2xx - 2ox}}$$

reſtituto autem $2rx - xx = yy$, & abſoluta multiplicatione erit $p = \frac{2oyy + 2rey - 2exy - rro}{2oy + 2re - 2ex}$, & proinde ut o ad e ſic $2ry - 2xy - 2pr + 2px$ ad $2py - 2yy + rr$, hoc eſt ut y ad $r - x$, ſicque tandem adæquatis extremis & intermediis productis, & reſtituto x invenitur $2p = y$. Q. E. D.

Si BC æqualis ponatur x, erit $b = x$ & $d = x - o$, evadetque calculus multo adhuc facilior, quia quantitates b & d ſimpliciorem compoſitionem habent, ad quod in hoc negotio vel maxime eſt attendendum.

Hinc jam juxta generale Theorema, quod olim exhibui, & cujus veritas ea conſideranti, quæ modo tradidi, ſtatim obvia erit, (*quod nimirum radius incidens CE, una cum reflexo FE, ſit æqualis curvæ FD*) ſequitur curvam FD ſemper eſſe triplam radii reflexi FE, h. e. continue æqualē lineæ FG, quod non inelegans meo judicio eſt Theorema.

Perſpicuum quoque inde evadit, cur ſpecula cauſtica ſphærica tantam comburendi vim in loco I, qui radium BK biſecat, obtineant, & facile determinari poteſt, quanta eſſe debeat ſuperficies ſphærica ad hunc effectum conducens, & quænam hemiſphærii pars huic ſcopo plane non inſerviat.

Cæterum quamvis hæc ratio curvas determinandi non adeo difficilis ſit, ſi conferatur cum labore, qui exantlandus eſſet, ſi modo vulgari quis hoc negotium aggrederetur; multo tamen melius eſt rem totam abſolvere generali calculo, qui ſemper omnes cu[illegible] ejusdem gradus complectitur. Sic aſſumendo æquationem

$\frac{+ rxx}{q}$, quæ omnes ſectiones Conicas reſpectu axeos comprehendit, r latus rectum & q transverſum deſignante, invenietur, juxta ea quæ modo docui, $p = \frac{4qy^3 \pm 4ry^3 + qrry}{2qrr}$ in qua unica æquatione omnia illa, quæ ſupra expoſui, denuo nobis offeruntur. E. g. poſita circuli natura, $2rx - xx = yy$, quia hic r & q æquantur & ſignum − habetur, erit $p = \frac{4y^3 - 4y^3 + rry}{2rr}$, h. e. $p = \frac{y}{2}$. Eadem vero ſuperior æquatio ad ellipſin & hyberbolam, ubi r & q inæquales ſunt, facile quoque adplicatur. Quod ſi ergo generali iſthac ratione negotium hoc tractemus, & aliquousque in eo procedamus, donec nimirum aliquam deprehendamus progreſſionem, id ex hoc labore lucri in nos redundabit, ut deinde ex data alicujus curvæ natura, ſtatim absque ullo fere calculo curvam, quæ per reflexos radios formatur, determinare poſſimus, quæ ultima hujus methodi eſt perfectio & immenſæ plane utilitatis, quippe cum hinc problematum magni momenti ſolutio dependeat.

Tandem notandum eſt, nullatenus opus eſſe, ut radii incidentes paralleli ſemper ſupponantur. Licet enim a quolibet puncto ad libitum aſſumto venire concipiantur, aut puncti loco quævis curva aſſumatur, illi tamen qui hæc, quæ modo explicavi, nec non quæ in *Medicina mentis* de curvarum formatione dicta ſunt, bene intellexerit, neque hic aqua hær[illegible] Eadem via, aſſumta refractionum menſura, det[illegible] bu[illegible] væ, quæ a radiis refractis, corpora curva pellu[illegible] enerantur.

Quar[illegible] ticam perfi[illegible] venta, eaque prorſus no[illegible] quamvis [illegible] ingenioſi[illegible] ſculta [illegible] hoc ſeculo [illegible] a adjici [illegible] ſi vel [illegible] a corol[illegible] æque [illegible] va cer[illegible] tifica[illegible]

Digitized by Google

D. JOHANNIS CHRISTOPHORI Herolds *JCti & Potentiſſ. Elect. Brand. Conſiliarii in Ducatu Magdeb. Illuſtres Obſervationes Conſultativo-Deciſivæ Forenſes.*

Lipſiæ, apud Hæredes Friderici Lanckiſii, 1690. in 4.

Conſtat plagulis 97.

POſtquam Jurisprudentia noſtra, ut communis rerum Natura, varietate & mutatione gaudet, ut quæ integras olim habuere vires, ſenſim elangueſcant, ac ſubinde plane deficiant; dum novæ interea formæ prodeunt & anteriorum defectum abunde quidem, ſub hac tamen conditione reſarciunt, ut quo majore amœnitate eædem polleant, eo majorem quoque curam & cognoſcendi ſolertiam expoſcant; hinc debita cum laude illorum JCtorum inſtitutum nunquam non commemorandum, qui viciſſitudines tales probe advertunt, & caſus dubios ex recentioribus LL. aut Statutis aut Conſuetudinibus noviter emergentes congrua deciſione componere ſatagunt. Comprobavit hac in parte induſtriam ſuam *Dn. Herolt JCtus Clariſſimus*, Volumen iſtud Obſervationum Forenſium felici ſucceſſu colligens. Pleræq; enim quæſtiones ex recentiori Jure ſcripto & non ſcripto emergunt pariter ac deciduntur, quanquam quoad argumentum ipſum invicē differant. Potiores ex his concernunt POTENTISSIMI ELECTORIS, (ſub cujus imperio Autor inter Conſiliarios ſplendide floret) Jura tum communia tum ſingularia, ex inſigni Archi-Epiſcopatus Magdeburgenſis transformatione dependentia, quatenus utraque cum privatorum ac ſubditorum intereſſe, inæquali utut certamine committuntur. Dantur inſuper quæſtiones, privatorum res & fortunas unice quæ afficiunt. Hac ſub connexione recenſebimus ſummatim, more apud nos recepto, quæſtiones nonnullas voto deciſivo illuſtratas. Non minus numeri, quam argumenti propinquitate cohærent priores *Obſ. 2, 3, 4, 7, & 8*, quippe in quibus diſtinctim deciditur, quod Feudi Regalis Adminiſtrator vitalitius, cui Lege Publica novæ alienationes interdictæ, in præjudicium Succeſſoris ſingularis feudum inferius ſibi apertum novo Vaſallo in feudum dare, aut ſi quod aperturæ proximum, in irregulare ſeu hæreditariū feudum commu-

commutare, aut plane in prædium emphyteuticum transformare nequeat, quo minus Dominus Succeſſor feuda iſta aut a modernis Poſſeſſoribus revocare, aut ad priſtinum ſtatum reducere valeat. Simili ratione junguntur *Obſ. 14, 15. 16. 17 & 18.* in quibus de Venationis Jure disquiritur, quatenus moribus noſtris pro Regali illud habeatur, ac Principibus vigore ſuperioritatis territorialis competat; ſubditis vero ac Nobilibus aut ſpeciali & expreſſa conceſſione, vel præſcriptione immemoriali acquiratur. Porro de ſpeciebus Venationis, de banno ferino, de Jure convenationis, Koppeljagt/prolixe & diſtinctim diſceptatur.

In *Obſ. 21.* Caſus prorſus ſingularis continetur, quo Domino Territoriali cognitio rerum Eccleſiaſticarum ex ſpeciali ratione denegatur. In *Obſ. 6.* incidenter quidem *n. 35.* ſed argute admodum poteſtas Capitularium Eccleſiæ Cathedralis ſede vacante excutitur. Quatenus venditor qui prædium cum pertinentiis, quæ ipſe a ſuo Anteceſſore obtinuit, alteri vendidit, ad earum evictionem obſtrictus ſit, *Obſ. 27.* exponit. In *Obſ. 28.* adſtruitur dominium pro ſolido in ſuperficie parietis ex ædium fundamento eatenus probari, quatenus recta linea ex fundamento ſecundum ſtateram æqualiter in altum ſurgit. In his & cæteris quæſtionibus dilucidandis, quæ in univerſum ad *XXXI* excurrunt, methodo plana ac perſpicua Autor Nobiliſſimus uſus eſt; nervoſe etenim primū ſtatum quæſtionis Latina junctim & vernacula lingua proponit, recenſet deinceps rationes ad utramque ſententiam ſpectantes, adjectis Collegiorum Juridicorum reſponſis haud raro diſcordantibus; quo in bivio tamen Dominus Autor non modo viam magis tutam, ſed & exitum controverſiæ ſcite demonſtrat.

SCRIPTORUM ECCLESIASTICORUM Hiſtoria Literaria a Chriſto nato usque ad ſeculum XIV. Autore Guilielmo Cave SS. Theol. Prof. Canonico Windeſorienſi. Londini 1688.

Appendix ad hiſtoriam literariam Guilielmi Cave, in qua de Scriptoribus Eccleſiaſticis ab A. 1300. ad 1517. pari methodo agitur. Autore Henrico Wharton A. M. Archiep. Cantuarienſi a ſacris domeſticis.

Londini, typis & impenſis Richardi Chiſvvell ad inſigne roſæ coronatæ in cœmeterio D. Pauli, 1689. fol.

Conſtant plagulis 276.

INter eruditos noſtræ ætatis, qui de antiquitatibus eccleſiaſticis, ac imprimis de notitia Scriptorum eccleſiaſticorum præclare meruerunt, principem facile locum tenet Guilielmus Cave Canonicus Windeſorienſis & S. Theologiæ Profeſſor, cujus ſcripta vernaculo pariter & Latino ſermone compoſita jam pridem in eruditorum manibus verſantur. Vernaculo enim ſermone præter tractatum de Chriſtianiſmo primitivo, & diſſertationem de regimine veteris eccleſiæ, edidit vitas Apoſtolorum, item Apoſtolicos ſeu vitas Patrum primi, ſecundi, tertii & quarti ſeculi, de quibus celeberrimi Viri ſcriptis Acta noſtra menſe Febr. 1685. p. 85, & menſe Martio ejusdem anni p. 117, item menſe Martio 1686 p. 164, & menſe Majo 1687 p. 254. videri poterunt. Nunc illud tantum addimus, Apoſtolicos ſeu vitas Patrum primitivæ eccleſiæ ab *Ab. Sellero* Rectore eccleſiæ Combentynhaedenſis in Devonia vindicatas eſſe. Cum enim quidam ſub literis J. H. deliteſcens, in tractatu, qui inſcribitur: *View of antiquity*, i. e. *conſpectus antiquitatis*, haud raro a Cavii ſententia diſſenſiſſet, huic prædictus Sellerus alium tractatum oppoſuit hoc titulo inſignitum: *Remarks relating* &c. h. e. *obſervationes de ſtatu eccleſiæ priorum ſeculorum, quibus inſperguntur animadverſiones in J. H. conſpectum antiquitatis.* Qui tractatus Londini A. 1680 in 8vo impenſis Richardi Chiſvvell prodiit, & decē vitas complectitur, nempē Ignatii, Juſtini, Irenæi, Clementis Alexandrini, Tertulliani, Origenis, Cypriani, Lactantii, Athanaſii & Hilarii Pictavienſis. Atq; idem Sellerus autor quoque eſt tractatus: *the devout communicant*, h. e. *devotus ſacræ ſynaxeos particeps, inſtructus regulis digne accipiendi ſacram Eucharistiam*, qui liber Londini 1686 in 12 prodiit, & totus prope aſceticus eſt, niſi quod cap. 21. partis primæ ritus veteris eccleſiæ in celebranda ſacra ſynaxi referuntur, & in ſequenti capite ex hiſtoria eccleſiaſtica recenſetur, quanta cum devotione & reverentia S. Euchariſtia in primitiva eccleſia celebrata fuerit. Utrumque librum ex dono Clariſſimi Autoris accepimus, eorundemque mentionem hac occaſione factam lectori non ingratam ſperamus. Sed

Sed jam ad Cavium, unde paulum digreſſi, redeamus, & Latina quoque ejusdem ſcripta referamus, ut propius ad hiſtoriam ejus literariam accedamus. Edidit ergo Latine A. 1674. Londini *Tabulas eccleſiaſticas*, quibus Scriptorum eccleſiaſticorum a Chriſto nato ad annum usque 1517 patria, ordo, ætas & obitus breviter exhibentur, biennio poſt 1676 Hamburgenſibus typis in Germania recuſas. Poſtea A. 1685 *Chartophylacem eccleſiaſticum*, quo prope 1500 Scriptores eccleſiaſtici eorumque monumenta breviter indicantur, prælo mandavit, paulo poſt in Germania prælo iterum ſubjectum, & in Actis noſtris Cal. April. A. 1686 memoratum. Cum vero hiſtoriæ eccleſiaſticæ ſtudioſi de nimia Chartophylacis brevitate quererentur, quin & viri quidam haud vulgares celeberrimum Autorem, ut majori operi manum admoveret, enixe rogarent, hanc Scriptorum eccleſiaſticorum hiſtoriam literariam tandem amicorum precibus ſuccumbens condidit, & publici juris fecit, de quo incomparabili eccleſiaſticæ eruditionis theſauro, univerſo literato orbi gratulamur. Quamvis enim haud ita pridem etiam *L. Ellies du Pin*, Doctor Facultatis Theologicæ Pariſienſis, in nova bibliotheca Scriptorum eccleſiaſticorum Gallice ſcripta & Pariſiis vulgata, cujus recenſionem Supplementis noſtris reſervamus, & *Caſimirus Oudin*, Presbyter Præmonſtratenſis, in ſupplemento ad Bellarminum de Scriptoribus eccleſiaſticis, hoc argumentum poſt alios tractaverint, non ſic tamen hanc materiam exhauſerunt, quin doctiſſimi Cave induſtriæ multa relinquerent.

In Prolegomenis, operis hujus ortum & progreſſum, nec non ejusdem materiam & methodum exponit, & quibus ſubſidiis laborem hunc aggreſſus fuerit. Refert inter alia, *Jacobum Uſſerium*, Archiepiſcopum Armachanum, ab ipſis ſtudii Theologici incunabulis, opus aliquod de Scriptoribus eccleſiaſticis, cui Bibliothecæ Theologicæ titulum dedit, inchoaſſe, ſed inchoatum tantum, imo inſtitutum potius quam inchoatum reliquiſſe, cum gravioribus negotiis & belli civilis tempeſtate interturbatus, ultra rudem indigeſtamque collectaneorum molem procedere haud potuerit, cujus autographum ſibi ab *Eduardo Stillingfleet*, Ædis Paulinæ apud Londinenſes Decano, communicatum grato animo prædicat, quamvis ob ſchedas laceras, male exaratas, nulloque ordine diſpoſitas, pauca inde excerpere potuerit. Addit Uſſerium collectanea bibliothecæ ſuæ Theologicæ,

 ne pe-

ne penitus perirent, *Gerbardo Langbainio*, Collegii Reginalis Oxonienſis Præpoſito, morientem commendaſſe, qui ne Amici votis deeſſet, collectanea illa exſcribi curaverit, in ordinem qualemcunque redegerit, lacunas ſupplerit, & citationes in margine detritas reſtituerit, ſed ipſe quoque operi huic immortuus fuerit, cujus apographum ſe quondam in bibliotheca Bodlejana oculis uſurpaſſe dicit. Inter vivos, qui hiſtoriam hanc literariam conſiliis ſuis auxiliisve promoverunt, commendat *Henricum Dodwellum* Dublinienſem, hiſtoriarum in Academia Oxonienſi Profeſſorem, *Ab. Sellerum* Devonienſem paulo ante memoratum, & *Henricum Whartonum*. Plures in ipſo opere paſſim nominat. Cum vero multum interſit, ut & genuina Patrum ſcripta a ſpuriis diſcernantur, & ſinceriores Patrum editiones corruptis præferantur, operæ ſe pretium facturum cenſuit, ſi & canones quosdam criticos ad dignoſcenda Patrum ſcripta neceſſarios, & regulas generales in ſeligendis Patrum ſcriptis adhibendas delinearet, & exemplis illuſtraret. Septem igitur canones conſtituit, quorum ductu ſuppoſititia Patrum ſcripta haud difficulter deprehendi poſſunt. Quantum autem ad editiones Patrum earumque ſelectum attinet, obſervat, editiones Patrum quo vetuſtiores, eo ut plurimum fideliores, & ob raritatem ſuam dignas eſſe, quæ melioris cuſtodiæ ergo publicis bibliothecis inferantur: opera SS. Patrum, quæ ex *Roberti Stephani* officina Græce prodierunt, cæteras editiones emendationis cura & typorum nitore facile ſuperare: Patrum Latinorum editiones *Frobenianas* jure merito magni æſtimari: Patrum ſcripta, quæ Græce & Latine apud Pariſienſes ſub auſpiciis *Morelli*, *Ducæi*, *Petavii*, *Valeſii*, *Cotelerii* aliorumque his ſimilium in lucem prodierunt, aliis in ſuo genere palmam præripere, nec minus Latinos Scriptores, quos *Rigaltius*, *Sirmondus*, *Garnerius*, *Baluzius*, & noviſſime *Monachi Benedictini* ediderunt, aliis recentioribus editionibus anteferendas eſſe: denique in diſcernendis Patrum editionibus plurimum referre, ut ſciamus, quis editionis curam in ſe ſuſceperit; inprimis autem cavendas eſſe editiones Patrum iis in locis impreſſas, in quibus inquiſitionis officium viget, qua occaſione Cl. Autor indicum expurgatoriorum hiſtoriam breviter recenſet. Poſtea apparatum librorum, qui ad antiquitatis eccleſiaſticæ ſtudium quaſi manu ducunt, exhibet, & qui hiſtoriam eccleſiaſticam concinnaverint,

qui

Digitized by Google

qui concilia ediderint, qui de Symbolis, de Pontificibus Romanis, de perſecutionibus, de hæreſibus, de cerimoniis, de Scriptoribus eccleſiaſticis aliisque ad hanc ſtudiorum partem ſpectantibus ſcripſerint, breviter indicat, ac tandem hæc prolegomena paræneſi ad eccleſiaſticæ antiquitatis ſtudium concludit.

Sequitur ipſa hiſtoria literaria, quam clariſſimus Cave ad quartum decimum usque ſeculum pertexit. Præmittitur brevis cuique ſeculo rerum in eo geſtarum maxime memorabilium conſpectus, & ſingula ſecula peculiaribꝰ titulis deſignantur, quos ex Chartophylace eccleſiaſtico jam alibi notavimus. Comparent autem in Scriptorum, qui in hoc opere referuntur, numero non majores tantum, qui ampla & numeroſa volumina ad poſteros transmiſerunt, ſed minores etiam, qui unam alteramve epiſtolam & alios exiguos tractatus elaborarunt, nec catholici tantum, ſed hæretici quoque, quin & per ſex priora ſecula eccleſiaſticis Scriptoribus gentiles ſubjunguntur, qui religionem Chriſtianam ſcriptis oppugnarunt aut calumniis proſciderunt, cujusmodi ſcriptores ſeptimo & ſequentibus ſeculis nulli amplius extant, cum ab eo tempore eruditi gentiles plane defecerint. Cæterum etſi magnus ſcriptorum numerus in hac hiſtoria literaria occurrat, fatetur tamen Autor, haud paucos, anonymos præſertim & incerti temporis nulliusque pretii Scriptores a ſe omiſſos, cum ob nimiam, quæ ſucceſſu temporis emerſit, Scriptorum multitudinem delectu aliquo omnino opus fuerit. Sic autem in recenſendis Scriptoribus verſatur, ut primum vitas eorum paulo uberius, quam vulgo fieri ſolet, exponat, elogia & judicia de ſtylo ſive aliorum ſive ſuis ipſius verbis ſubjungat, & ſcripta certa a dubiis, genuina a ſpuriis, edita a manuſcriptis, & ſervata a perditis diſtinguat, editiones quoq; varias recenſeat, & alia, quæ ad illuſtrandam Scriptorum eccleſiaſticorum notitiam faciunt, perſpicue exponat.

Nec ſilentio prætermittendum, quod opuſcula quædam & fragmenta Græca pariter & Latina hactenus inedita hiſtoriæ huic literariæ inſerantur. Cum de *Victorino Petavionenſi* Autor agit, non diſſimulat extare penes ſe tractatum Victorini *de fabrica mundi* hactenus ἀνέκδοτον, quem ex vetuſto codice Bibliothecæ Lambethanæ deſcripſit *Henricus Mauricius*, & ſecunda vice ad fidem MSC. codicis recognovit *Johannes Batteleus*. Hunc tractatum Victorini Peta-

Petavionenſis eſſe exinde probat, quod chiliaſmi error in eo aperte defendatur, cui Victorinum hunc addictum fuiſſe ex Hieronymo conſtat. Putat autem hunc libellum eſſe ἀποσπασμάτιον ex Victorini commentario in Geneſin vel Apocalypſin, & qualiscunque eſt, ob venerandam antiquitatem & celeberrimi martyris famam lectorum oculis exhibet p. 103. Porro p. 114. ubi de *Dorotheo* agit, & de Synopſi quæ ſub Dorothei nomine vitas Prophetarum, Apoſtolorum & Diſcipulorum Domini exhibet, incidiſſe ſe refert in Anonymi cujusdam fragmentum Græcum, quod ex duobus codicibus MSC. Baroccianis manu ſua deſcripſit *Henricus Dodvvellus*. Hoc fragmentum multas quidem aniles fabulas nullo antiquitatis ſuffragio nixas, nulloque ordine diſpoſitas continere dicit: quandoquidem tamen etiam nonnulla in hoc fragmento leguntur, quæ neutiquam contemnenda videntur, nec modo ad Synopſin Dorotheanam, ſed etiam ad alia hiſtoriæ eccleſiaſticæ capita apprime conferunt, non indignum illud cenſuit, quod integrum una cum Latina verſione ſubjiceret, & obſervationibus nonnullis illuſtraret. Summa obſervationum hæc eſt, Autorem hujus fragmenti, qui integram Dorothei Synopſin Græce redditam tractatui ſuo inſeruit, ſcripſiſſe Probo & Philoxeno Conſulibus circa A. C. 525, & admodum probabile videri, Anonymum hunc eſſe etiam Synopſeos Dorotheanæ autorem, cum Diocletiani & Juliani ætate, qua Dorotheum floruiſſe tradit, nullus Dorotheus Tyri Epiſcopus in antiquis monumentis memoretur, nec quisquam Scriptorum eccleſiaſticorum, qui primis ſeculis floruerunt, Synopſeos Dorotheanæ meminerit. Cauſam autem, cur Scriptor hic anonymus talem Synopſin ſub Dorothei nomine finxerit, vel ſaltem a Presbytero ſuo Procopio confictam in lucem emiſerit, non aliam eſſe dicit, quam notam illam de ſedis Romanæ & Conſtantinopolitanæ πρωτοκαθεδρία contentionem. Cum enim hæc controverſia eo tempore recruduiſſet, quo Johannes Papa a Theodorico Gothorum Rege Conſtantinopolin miſſus fuerat, Scriptorem hunc ſub Dorothei nomine ejusmodi commentarios edidiſſe ſuſpicatur, ut Conſtantinopolitani eo commodius eccleſiæ ſuæ antiquitatem confirmare, & probare poſſent, eccleſiam ſuam ab Andrea ante fundatam eſſe, quam Petrus Romam veniſſet. Obſervat præterea, quod catalogos Præſulum Byzantinorum ab Andrea Apo-

ſtolo

Digitized by Google

ſtolo usque ad Metrophanem, Nicephorus Patriarcha Conſtantinopolitanus in Chronographia ſua, & Nicephorus Calliſtus lib. 8. c. 6. non aliunde quam ex hoc Autore depromſerint; cui etiam fabulam de Herodiadis filia ſuper glaciem ſaltante, aliasque hujusmodi fabulas in hoc tractatu memoratas, originem ſuam debere ſuſpicatur, cum nullum alium antiquiorem autorem agnoſcant. P. 170. *Eunomii* Hæreſiarchæ ſcripta recenſentur, & inter iſta *Apologeticus*, in quo contra Filii ὁμοȣσίαν argute diſputat, & cujus plura fragmenta apud Baſilium, Gregorium Nyſſenum, & Epiphanium legere licet. Integrum autem opuſculum Græce extare, cum penes alios, tum apud *Thomam Teniſon*, Autor noſter indicat, ejusque operis prologum & epilogum, una cum ſubjuncta confeſſione, Græce & Latine, ex verſione *Whartoni* repræſentat, & hæc quintam fere totius operis Eunomiani partem conficere teſtatur. P. 208. legitur *Macarii*, ut titulus fert, *Alexandrini* ſermo περὶ ἐξόδȣ ψυχῆς δικαίων καὶ ἁμαρτωλῶν, τὸ πῶς χωρίζονται ἐκ τȣ̃ σώματος, καὶ πῶς εἰσιν, i. e. *de exitu animæ juſtorum & peccatorum, quomodo ſeparantur a corpore, & in quo ſtatu manent.* Hunc ſermonem ex MSC. codice bibliothecæ noſtræ Paulinæ expreſſum, una cum Latina interpretatione *Henrici Whartoni*, publici juris facere voluit, non quod genuinum Macarii fœtum eſſe cenſeret, cum ob aniles, quas continet, fabulas recentioris potius Græculi commentum videatur, ſed quod ἀνέκδοτος hactenus fuerit, & ſaltem novitate ſua ſe lectoribus commendare poſſit. P. 273. exhibetur *Henrici Savilii* admonitio de Scriptoribus rerum Chryſoſtomi, quam inter Uſſerianas ſchedas repertam, & hactenus ineditam, publica luce dignam Cave noſter arbitratus eſt. P. 476. dum *Bedæ* ſcripta recenſet, ejusdem prologum ſuper ſeptem epiſtolas Canonicas, qui in editis Bedæ operibus hactenus deſideratus eſt, adjungit. P. 512. *Naucratii*, qui Theodori Studitæ diſcipulus & iconolatriæ eximius fautor fuit, epiſtolam ſeu tractatum memorat, in quo de perſecutionibus, quas iconolatræ paſſi ſunt, conqueritur, & Theodori Studitæ recens defuncti laudes fuſe prædicat. Eam epiſtolam integram quidem ex codice bibliothecæ noſtræ Paulinæ deſcribi curavit, neque tamen dignam cenſuit, quam totam ederet: quocirca initium tantum ejus epiſtolæ Græce & Latine vulgavit, ex quo de integra epiſtola, qualis ſit, lectores haud difficulter judicare poterunt.

Digitized by Google

Inter Scriptores in hac hiſtoria literaria recenſitos, omnium primus eſt Dominus noſter *Jeſus Chriſtus*, propter epiſtolam ad Abgarum. Hanc etſi eruditorum non pauci pro ſuppoſita habeant, Cave tamen noſter inſigne hoc antiquitatis monumentum haud temere abjiciendum eſſe cenſet, cum in toto epiſtolæ illius contextu nullum ſuppoſitionis veſtigium, nec quicquam Chriſti ſapientia & bonitate indignum deprehendere liceat; & contra Euſebii fides, qui hanc epiſtolam ex Edeſſenorum archivis deſcripſit, & e Syriaco ſermone in Græcum convertit, magnum pondus habere videatur; imprimis cum etiam Ephron, qui in Syrorum ſcriptis verſatiſſimus & ipſe Syrus fuit, nec non Darius Comes in epiſtola ad Auguſtinum & alii dicta ab Euſebio confirment. Non obſtare ſententiæ ſuæ putat Evangeliſtarum & aliorum ſcriptorum Euſebio antiquiorum ſilentium, cum ſacri Scriptores non omnia Chriſti geſta conſignaverint, & reliqui eccleſiaſtici Scriptores Syriacæ linguæ ferme ignari fuerint, nec cum Edeſſenis commercium habuerint. Nec obeſſe ſibi cenſet, quod in Chriſti epiſtola ſententia aliqua ex Evangelio Johannis depromi videatur, cum tamen Chriſto in terris verſante Evangelium illud nondum ſcriptum fuerit. Reſpondet enim, ſimilem quidem utrobique ſententiam legi, non tamen plane eandem, & particulam γέγραπται non tam ad locum aliquem particularem reſpicere, quam de communi Prophetarum voce intelligendam eſſe. Ad argumentum a ratione temporis deſumptum ſic reſpondet, ut Edeſſenæ epochæ rationem habendam eſſe dicat. Objecerat etiam quidam ex Amicis D. P. A. in privatis literis, quod in actis Edeſſenis, quibus epiſtolam Chriſti Euſebius inſeruit, Thaddæus Chriſti ad inferos deſcenſum confeſſus fuerit, cum tamen hic articulus tantam antiquitatem ſapere non videatur. Ad hoc argumentum ſub finem hiſtoriæ ſuæ literariæ, ubi nonnulla addenda poſuit, reſpondet, articulum de deſcenſu Chriſti ad inferos antiquiſſimum eſſe, etſi ſerius in Symbolo Apoſtolico locum invenerit, & præterea in ipſa propoſitione, quod Chriſtus ad inferos deſcenderit, omnes conſentire; tantum de ſenſu & modo explicandi litigari; denique epiſtolam Chriſti & acta Edeſſena non eſſe paris autoritatis, cum acta demum poſt Chriſti aſcenſionem confecta, & a Notariis conſignata fuerint, qui forte quæ ab aliis audiverant, non recte intellexerint, ac facile hallu-

Digitized by Google

hallucinari potuerint, & præterea ſumma tantum orationis Thaddæanæ capita exponant, nec quo ſenſu ea tradiderit, referant. Neque tamen in hac controverſia magnopere cum quoquam contendere cupit, ſed ſuo quemlibet frui judicio permittit. Hæc de primo ſeculi Apoſtolici ſcripto, ex ipſo hiſtoriæ hujus literariæ frontiſpicio & addendis excerpere placuit. Nam ut cætera quoque Apoſtolici & ſequentium ſeculorum ſcripta percurramus, & ex ſingulis ſeculis notatu digna referamus, inſtituti noſtri ratio non permittit, cum plura ſint quam ut paucis paginis comprehendi poſſint: quocirca ad Appendicem hiſtoriæ hujus literariæ pergamus.

Cum enim Guilielmus Cave ad quartum & decimum ſeculum perveniſſet, graviſſimo morbo afflictus, & de ipſa pene vita deſperans, *Henricum Whartonum* in partem vocavit, & lampadem ipſi tradidit. Is cum in prioribus quoque ſeculis, autorum loca ſcrutando, editiones conferendo, opuſcula quædam Græca vertendo, aliisque modis clariſſimum Autorem ſublevaſſet, ab A. 1300 usque ad 1517, juxta ordinem & fundamenta in Chartophylace poſita, cætera abſolvit. Ex Scriptoribus in hac Appendice memoratis notamus *Robertum Ullerſtonum* Anglum, Theologiæ apud Oxonienſes Profeſſorem, cui Robertus Cardinalis id operæ dedit, ut de reformatione eccleſiæ opus aliquod concinnaret, & abuſus maxime tollendos in eo notaret. Cujus poſtulatis morem gerens Richardus, circa A. C. 1408. tractatum elucubravit, cujus hic eſt titulus: *petitiones Ricardi quo ad reformationem eccleſiæ militantis.* Opus hoc, quod Cantabrigiæ in Bibliotheca S. Trinitatis MSC. extat, digniſſimum Whartonus judicat, quod lucem aliquando videat, & interim prologum illius operis, & excerpta quædam ex codice iſto in lectorum gratiam deſcribit. Antequam ab hac hiſtoria literaria abeamus, paucis monemus, *Pauli Colomeſii* Paralipomena ad Chartophylacem eccleſiaſticum, in Actis noſtris menſe Nov. 1686 p. 551. recenſita, A. 1688 Londini impenſis J. Adamſon nonnihil auctiora prodiiſſe, ejusdem Obſervationibus ſacris ſecundum auctis & emendatis adjuncta.

JOH. JOACHIMI BECHERI, SPIRENSIS, Medicinæ Doctoris, Tripus Hermeticus Fatidicus, pandens Oracula Chymica &c.

Francofurti ad Mœnum, ſumptibus Joh. Georgii Schiele, 1689, in 4.
Conſtat plagulis 13. & 13. tabulis æneis.


QUæ *tria opuſcula* ſeptennio abhinc in *Cornubia* ad celeberrimos Anglos *Dickinſonum*, *Weildmannum & Boyleum* ſeorſim exarata fuerunt a clariſſimo Autore, poſt hujus demum obitum typis Francofurtenſibus ſub *Hieroglyphico Tripodis Hermetici titulo* appoſite hic ſiſtuntur exſcripta, in quantum *Pythia* ſuper *tripode* ſtans ipſam Matricem mineralem ſive terram, Mercurios arſenicales recipientem & quaſi putrefactione quadam calore fermentativo in corpus minerale ſive metallicum digerentem, in *Prolegomenis* ſignificare videatur; ubique enim naturæ Mineralium evolvendæ inſiſtitur. *Primo* ſcilicet Scripto *Laboratorium Portatile*, inſtar tripodis ſeſe habens, e *tribus* coagmentatum *partibus*, edocetur; quarum *prima* Furni, operationibus quibusvis Chymicis levi ſumtu ac brevi tempore abſolvendis accommodati, tradit & Figuris octo, (e quibus duæ priores huc transſcriptæ proſtant) dilucidat ſtructuram, ab operculo, circulo, corpore ipſo & fundo ſeu pedeſtallo, tanquam partibus quatuor, efformatam. Operculum ſiquidem fornicatum A ſuperius orificio, quod claudi & aperiri poteſt, inſtructum, ac vel furno ipſi, vel circulo ſuperiori imponendum, non igni ſaltem regendo, ſed & ollis ſublimatoriis, in ſublimationum ac deſtillationum perficiendarum gratiam, recipiendis inſervit. Circulus vero ſive coronis B furno adaptandus deprehenditur quintuplex: quorum primus B. 1. cum oſtiolo & operculo lateralibus partim ad amplificandũ furnum, partim ad dandum ignem ſuppreſſionis in deſtillatione & cupellatione, partim in cæmentatione, reverberatione ac calcinatione adhibetur, prout nempe, præter operculum, vel ſolus crater medius, vel primus ac tertius crater, aut cum pede D 1. aut D 2. ſimul admoventur. Secundus autem Circulus B 2. ſine operculo & cratere primo in uſum vocatur propter tria balnea ſicca, quorum ſyſtema e laminis ferreis compoſitum retortulæ capiendæ ergo N°. 1, opercula vero imponenda N° 2. adumbrantur, ut in iisdẽ e retortis vitreis non loricatis vel absque ſcrupuloſo ignis regimine deſtillatio tuto & ſubito adornari poſſit. Circulus tertius Ahenũ cupreũ eſt ſive orichalceum, variis elixationibus, extractionibus ac evaporationibus inſtituendis dicatum; quemadmodum quartus circulus catinum plumbe-

TAB. IV. Fig. 1. 2.

Fig. 2.

TAB. IV.

Fig. 1. ad A. 1690. pag. 84. Fig. 2.



Digitized by Google

Digitized by Google

um lati fundi ſuggerit cum Alembico ſtanneo, veſicis Anglicanis ſimilem, quo in balneo per modum veſicæ omnis generis aquæ valeant deſtillari. Quintum denique circulum, cum tertio & quarto pariter una litera B 1. expreſſum, ſartago fortis ferrea conſtituit, ſi ignis ſuper cratere ſecundo vel tertio incendatur, pesque apertus D 2. admoveatur, ſulphurationi, calcinationi, decrepitationi, ſiccationi, fuſioni aliisque operationibus propter vitrioliſationem, vitrificationem ac mercurificationem metallorum & mineralium exercendis proportionata. Aſt ipſum Furni corpus C conum truncatum referens, oſtio ſuperius laterali ac tribus gaudet crateribus N°. 3. notatis, ita, ut major ipſi furno C ſuperponi, medius paulo infra hujus oſtium, ac tertius ad fundum ejusdem locari debeant. Hujus ſolius ope, modo follis oſtiolo ejusdem, ſupra pedem D 1. conſtituti, inferiori & laterali applicetur, fuſio omnis, & cum crucibulo ac cratere medio, & ſine iisdem, commode peragitur. Etenim pes ſive fundus duplex demum obſervatur: D 1. æque ac reliquæ partes e fortibus laminis ferreis conſtructus, & luto optimo ignem ferente loricatus ac eum in modum repletus, ut ante perfectam hujus exſiccationem non ſolummodo hemiſphærii ligni adminiculo capacitatem ſufficientem, ſed & foramen pollicis magnitudine receperit fundo impresſum, ad latus alterum tendens, ac ſi aperiatur, materiæ fuſæ exitum præbens; & D 2. tripus aerem liberum furno ad operationes diverſas multũ ignis haud requirentes ſuppeditans. Atq; ex hiſce partibus furnus completus, quem Fig. 1. delineat, altitudine tres pedes ac tres pollices, latitudine ſuperiori pollices ſedecim, circa fundum novẽ pollices, ac craſſitie, a ferro non minus ac luto concinnata, pollicem cum dimidio adæquat, qualẽ Autor occaſione ahenorum Sarcitorũ, quos Moguntiæ cum primis operantes vidit, excogitatum non ſibi ſolummodo, ſed & Dickinſonio, Boyleo & Principi quondam Ruperto Palatino in Anglia duodecim librarum pretio curavit efformari. *Secunda* hinc Laboratorii *pars* Materialia ſuppeditat & Inſtrumenta: quorum illa, ſchemate appoſito, in decem diſtribuuntur claſſes, Mineras videlicet, Metalla, Mineralia, Salia, Decompoſita, Terras, Deſtillata, Olea, Limos ac Compoſitiones; hæc vero, v. g. Cupella, Fornax probatoria. Pyxis cæmentatoria, Conus, Infundibulum, &c. & recenſentur, & figuris adnexis depinguntur. *Pars* denique *tertia* partim ipſas

 opera-

operationes, in furno quæ propoſito dexterrime valent peragi, e. g. digerere, præcipitare, deſtillare, elixare, evaporare, calcinare, cæmentare, vitrificare &c. enumerat; partim, quo de cauſis harum conſtet, nec dubio cum ſucceſſu experimenta reiterentur, ſolidam methodum ſpagyricam, Autori hactenus ſemper ſecretam, communicat, reſpiciendo potiſſimum ad *octo*, *Solutionem* nempe & *Coagulationem*, unde Corporum vel *Separatio*, vel *Mixtio*, & exinde *Alteratio* vel *Tranſmutatio*, item accidentium vel ipſius formæ nova *Figura* aut *Species*; ubi Metallorum quoq; Vitrificatio & Calcinatio, nec non Mercurificatio, veluti tres operationes vere ſpagyricæ & philoſophicæ venditantur, præter quas Autor poſt tot labores, ſumptus & annos, nihil fere veri in Alchymia ſe vidiſſe aperte fatetur.

Altero autem *opuſculo*, quod *Centrum Mundi concatenatum* ſive *Duumviratus Hermeticus* inſcribitur, commentarii vice duo capita poſteriora *Supplementi primi Subterraneæ* Autoris *Phyſicæ* illuſtrantur. Ibi namque uti ſanitatem & opes in *aere* ac *mari* deliteſcere ſtatuminatur, ita hic quomodo circa utrumq; theſaurum practice procedendum ſit, quantum philoſophicum permittit ſilentium, oſtenditur. Spiritum ſcilicet conſervatorem in forma cum aerea, tum aquea, cum terrea, tum ſalina latitantem, ex aere quidem vel inſtrumento quodam, vel aliquo magnete poſſe attrahi: illius exemplum Langelotti triturationem, aurum in oleum ſolventem, ſiſtere; de hoc vero, præter Glauberum, nonnulla in *Minera arenaria* ab Autore circa Marcaſitam fuiſſe propalata; liberum quandoquidem aerem multum ad Mercurificationem facere, præſertim in Vitriolo & Antimonio, variis deprehenſum experimentis fuiſſe, prætereaque concretum aliquod vulgare, Cornelio Agrippæ ſubjectum omnis mirabilitatis dictum, innoteſcere omni momento ſpiritum hunc attrahens, omnesque fere morbos ſola irradiatione fugans, pluribus in Alphabeto Autoris Pſychoſophico deſcribendum. In forma autem aquea eundem ſpiritum in rore, pluvia &c. haberi. Sic pluviam quondam Electoris Moguntini juſſu in magna copia collectam, putrefactam, deſtillatam & concentratam, ſpiritum fragrantiſſimum ſuppeditaſſe ardentem, inſtar ſpiritus vini aurum ſine ſtrepitu ſolventem. Porro terram, inprimis limum pinguem & lutum cœruleum, mineralia & metalla, item ſterquilinia & excrementa, neque non margaritas,

ritas, tanquam cœleſtis roris progeniem, ab ejusmodi ſpiritu conſervatore inhabitari aſſeritur. E ſalibus denique ſimili ſpiritu large impregnatum eſſe *Nitrum*, non vulgare, ſed illud, quod in ipſo aere generatur purum, & valde ad ſimplicitatem accedens, aptum eſt, e quo medicina paretur, ſubtilitate ſpiritui vini, colore rubicundo ſanguini, ac dulcedine ſaccharo analoga, ſpiritus vitales vel ſolo odore mire reficiens. Qua deſcriptione communem Nitri ſpiritum minime indigitari docetur, cum pleroſque vera Nitri Analyſis fugiat, i. e. aquam ſeparare neſciant a terra, ſulphur ſive oleum dulciſſimum, veram Solis prolem, recondente; hanc enim terram ſulphuream per aquam elevatam & extenſam corroſivum præbere ſpiritum nitri, quippe qui nil niſi nitrum tota ſua ſubſtantia elevatum, in formam aqueam deductum, & propter rarefactionem corroſivum videatur. Quod de *ſale* pariter communi ejusque ſpiritu ſentiendum eſſe inculcatur; cujus, & nitri, ceu duorum univerſalium, neceſſariorum & utiliſſimorum ſubjectorum in mundo, ſine quibus nulla creatura vivere poſſit, characterem & figuram a Pſychoſophis cognoſci, crucem quo nanciſcantur, viridis æris philoſophici ſignum, maritum ſupra fæminam ponere neceſſe habentibus. Communi vero Chymicorum gregi *Nitrum* & *Sal* anxie tractanti conceſſum equidem haud eſſe, ut ad centrum pertingant, ſive eſſentiam horum a fæcibus diſcernant ac ſeparent; tantam interim effectuum eosdem videre varietatem, magnamque cum metallis, tam ſubſtantia ſolida, quam fluida, tam in ſeparatione, quam ſolutione, ſympathiam & actionem, ut vel hic veritatem & utilitatem Alchymiæ palpare poſſent; nempe latere in Nitro facultatem ſeparatricem, digeſtivam & maturativam, argenti præcipue, in aurum, tingendiq; potentiam vero & conſtanti colore aureo, in Sale autem communi Lunæ purgationem & fixationem recondi; quoniam præter animam Nitri ac dulces cryſtallos Salis nihil omnino ſit, quod vel ſpiritualiter, vel corporaliter metalla eſſentialiter vel ſeparet, vel intret, vel novum ſeparatum corpus, vel magis decompoſitum producat. Productionem enim ejusmodi, transmutationis nomine vulgaribus Chymicis venientem, poſſibilem eſſe, tum *Claudii Berigardii*, *Profeſſoris Itali*, multa a *Domino Boyle* mutuantis, in *Circulo Piſano* expoſitione data demonſtratur, tum tribus proceſſibus particularibus comprobatur, quate-

quatenus primo argentum fixatum aquæ forti haud cedens, ab auro exaltato tingi, deinde flavedinem ſive tincturam auri extractam argento communicari, tertio denique cuprum, poſt frequentem cum Mercurio amalgamationem hujusque ſuper illud cohobationem, aurum ſuggerere adſtruitur.

Tandem *Tractatulo tertio Alphabetum Minerale & Concordantia Mercuriorum Lunæ* pariter atque *Menſtruorum* exhibetur. Alphabetum Minerale viginti quatuor Theſes Chymicas complectitur, Mineralium & Metallorum Geneſin, Principia, Differentias, Mixtionem & Solutionem edocendo, idem *Supplementum primum* ſuperius nominatum uberius explanantes. Nempe Geneſis Mineralium & Metallorum, quemadmodum in *Phyſica Subterranea*, ita & hic, e tribus Terris, quibus non raro Aer & Aqua intertexta ſint, tanquam principiis ſimpliciſſimis & proximis, cum Veterum Corpore, Anima & Spiritu, ſive Sale, Sulphure & Mercurio paria facientibus, deducitur; quarum prima ſalina ſive vitreſcibilis, hypoſtaſin præbens, in Sale alcali, & lapidibus Mineralibus, vulgo Qvartz/ utpote bonæ ſemper Mineræ matrice, deliteſcat; altera vero pinguis ſive ſulphurea ſui generis non modo in Nitro & Terris pinguibus, v. g. Luto, Cadmia, Limo, Asbeſto, Talco, Bolo, Hæmatide &c. varias metallorum decompoſitiones producentibus, occurrat, ſed & e metallis ipſis valeat extrahi; tertia denique ſubtilis, mercurialis & arſenicalis, ſub forma vaporis mineralia & metalla gignens, in Sale communi, Arſenico ſolido & fluido, ſive Mercurio vivo, Tartaro, omnique Terra, Aurum eidem colliquefacta dealbante, abundet. Ex harum trium terrarum, vel numero, vel proportione variantium coalitu diverſo, diverſa quoque quomodo metalla & mineralia reſultent, oſtenditur. In ſpecie ad Mixtionem Metallicam Limus & Arſenicum, ſive Lapis & Mercurius requiruntur; e limo namque cum pinguedine quadam ſeu ſulphureitate mixto *Marcaſitam* enaſci, primum metallorum rudimentum, ſufficienti tamen arſenico deſtitutum; arſenico autem copioſius ad limum accedente, *Glaucam* ſive *Mondyck* fieri, ceu ex arſenico & limo ſtiptico Martiali contextam & copioſiſſime in *Cornubia* circa mineras ſtanni ac ferri provenientem, in hoc tamen a ferro adhuc differentem, quod Mercurius arſenicalis facile ab eadem, reliquo in crocum violaceum reducto, queat ſeparari, in ferro

ferro autem arſenicum, quod itidem cum limo producit, huic firmius ſit intermixtum. Unde ferrum, quoniam acceſſum habet ad limum & arſenicum, utrumque ambit & ex utroque conſtat, primum omnino mixtum metallicum, omnium metallorum & metallicarum alterationum initium ac fundamentum eſſe colligitur, adeoque & ipſius transmutationis, cujus triplex innuitur via, univerſalis, particularis & inter utramque media. Viam univerſalem ex fluido Mercuriali arſenico, particularem autem ex terra ſtiptica Martiali procedere; utrumque autem concretum combinari in via intermedia, ſive opera ex præſcripto circa Antimonium & Martem, in Regulo & Scoriis unita, inſumatur, ſive circa Glaucam ſeu *Mondyck*; utpote quæ deſtillata in collo retortæ ſublimatum purum & ſplendidum metallicum, argenti inſtar, præbuiſſe Autori fertur, cum nullo quoad magnetiſmum & penetrantiam in metalla facile comparandum. Solutionem denique Metallorum ab Aqua Forti & Aqua Regia potiſſimum peragi, ratione particularum quarundam terrearum in nitro & ſale communi cum metallis convenientium traditur, cum, ſpiritu nitri vel ſuper Mercurium, vel ſuper limaturam plumbi abſtracto, tam præcipitatus ruber, quam vitrum rubicundiſſimum de ſulphureis nitri particulis terreis teſtentur; ſpiritus ſalis autem, vel ſolutioni lunæ inſtillatus, vel ſuper Antimonium abſtractus, ibi lunam efficiat cornuam, quæ arſenicum eſt, hic vero rubrum arſenicum Antimonii fuſile, ceræ inſtar, ob terreas particulas ſalinas ſive ſulphur arſenicale ſalis, reddat. Aſt *Concordantia*, quæ ſequitur, *Mercuriorũ Lunæ, Supplementi ſecundi* elucidandi ergo, præmiſſis Mercuriũ communem depurandi modis variis, tot proceſſus, quot literas continet Alphabetum, deſcribit, Reductionibus corporum in Mercurium, aut per Mercuriũ, aut ſine Mercurio per menſtrua Mercurialia, perficiendis accommodatos. Tandem in *Menſtruorum Concordantia* itidem viginti quatuor paragraphis varia menſtruorum genera, ex Autore ipſo promtius petenda, quam huc transponenda, communicantur.

JOH. BECHTOLDI, ARGENTORATENSIS J. U. L. Loci Communes, ſive materiarum & rubricarum Juris univerſi Sylloge, aucta & emendata ab And. Chr. Röſenero, J. U. D.

Lipſiæ, ſumtibus Friderici Lanckiſii, 1689, in 4.
Conſtat plagulis 99.

Andreæ Chriſtophori Röſeneri, J. U. D. Supplementum Bechtoldianum.

Ibidem, apud eundem, 1689, in 4. Plagul. 67.

NOn poſſumus non duos hoſce libros conjungere, cum non ſolum nobiliſſimꝰ Editor in alterius præfatione ad alterum ſeſe referat, adeoque utrumque indivulſo nexu cohærere voluerit; ſed & incongruum videatur, acceſſorium a principali ſuo ſeparare velle. Et priorem quidem quod attinet, non opus erit, multa de eo verba facere, dum vel ſola rubrica indicando ejus argumento ſufficit, ac præterea liber ipſe plurimorum manibus teritur, utpote jam anno hujus ſeculi quinquageſimo quarto Argentorati editus. Notum etiam eſt, Autorem id peculiare præ aliis locorum ejusmodi communium collectoribus habere, quod in digerendis materiis potiſſimum reſpexerit ad Titulos in univerſo jure noſtro comprehenſos; adeoq; his ordine alphabetico, ſecundum vocabulum ἐμφατικώτερον, diſpoſitis primum quidem ſubjecerit Autorum nomina, qui ſingulos titulos ſuis commentariis velut ex profeſſo explicarunt; poſtea deinde & alios allegaverit, qui ſigillatim in ſcriptis ſuis thema iſtud attigerunt aut pertractarunt: non omiſit tamen alias etiam materias, ac de quibus in jure noſtro ſpecialis titulus non extat, ſuis locis interſerere, ſed generaliores fere tantum; cum ad ſingularia non facile ſe demittat, niſi quando rubricam expreſſam ducem habuit. Utiliſſimum hocce ſcriptum cum jam denuo typis exſcribendum eſſet, auxiliatrices ei manus admovit Dn. D. Röſenerus, idque non contemnendis acceſſionibus locupletavit. Etenim non rubricarum ſolum autorumque allegatorum numerum ſubinde augere, ſed & plerisque ſcriptoribus, exteris præſertim, a Bechtoldo nudo fere nomine tantum adductis, annum & locum editionis adſcribere ſategit: præterea vero Diſſertationes Academicas, de ſingulis juris capitibus paſſim habitas ſtudioſe congeſſit, ac ſuis quamlibet locis inſeruit: quod quidem inſtitutum vel ideo probari meretur, quod diſſertationes talismodi nunc non amplius, ut olim fere factũ, nudis ſolum & compendioſis theſibus ad ventilandum propoſitis conſtent,

conſtent, ſed ſubinde ad molem juſti tractatus excreſcant, collectis undiq; iis, quæ aliqua ſaltem ratione ad ſubjectam materiam pertinere ipſarum autoribus viſa ſunt. Factum eſt hoc modo, ut paginarum Bechtoldianarum numerus tertia ferme parte amplior nunc, ac olim fuit, compareat, uti cuilibet editionem hanc cum antiqua conferenti ad oculum patebit: quemadmodum etiam Catalogus Autorum ad calcem libri ſubnexus evidens ſatis de novis iſtis acceſſionibus teſtimonium perhibet.

Supplementum porro *Bechtoldianum* quod concernit, eſt illud florilegium quoddam variorum collectaneorum juridicorum, deſcriptionum puta, diſtinctionum, axiomatum, obſervationum, quæſtionum aliarumque rerum, ad ſingulas rubricas Bechtoldianas ex Jure Civili, Canonico, Publico, Feudali congeſtarum; ac videtur in eo Dn. Autor exemplo ſuo aliis oſtendere voluiſſe, quomodo memorato Bechtoldi libro loco Adverſariorum quorundam uti commode valeant: dum nempe rubricis ab iſto poſitis ſedulo intulit, quicquid quotidiana probatorum Jureconſultorum lectio ipſi aut elegantius aut utilius offerre potuit. Teſtatur vero privatis ſolum uſibus, & quo memoriam juvaret, hæc talia a ſe collecta primum fuiſſe, nec niſi ad bibliopolæ inſtantiam nunc edita, utpote qui ex iisdem, Bechtoldianorum Locorum Communium amatoribus aliquid utilitatis accedere poſſe judicaverit. Cæterum placuit ipſi titulum *Supplementi Bechtoldiani* congeriei huic præfigere, dum ſingulas rubricas ab iſto poſitas, in ſe quidem plerumque ſatis planas, magis tamen hoc pacto explicari & ad uſum accommodari credidit: utut alioqui fatendum ſit, Bechtoldo propoſitum non fuiſſe, ad ſpecialia ejusmodi Jureconſultorum tradita deſcendere, ſed potius, uti ſupra jam indicavimus, in generalioribus ſemet continere. Quicquid autem ejus ſit, non deerunt, qui & hunc ejus laborem boni conſulent; præſertim cum utilia & neceſſaria, ut ipſe ait, quam quidem otioſa aut ambitioſa, in eo ſectari maluerit.

HISTOIRE CRITIQUE DES VERSIONS DU Nouveau Teſtament, i. e.

Hiſtoria Critica verſionum Novi Teſtamenti, autore *Richardo Simone*, Presbytero.

Roterodami, apud Regnerum Leers, 1690, in 4. Conſtat tribus omnino Alphabetis.

H*Iſtoriam Criticam Novi Teſtamenti tripartitam* clariſſimum Auctorē moliri, ſuperiori anno diximus, cum *primam* illius *partem*, recens tum editam, ad Acta Eruditorum, partim *menſe Februario* p. 113, partim *menſe Mart.* p. 166. referremus. Excepit hanc eo, quem nuper auſpicati ſumus, anno SECUNDA PARS, eadem ratione de *Verſionibus*, qua iſthæc de *originali Novi Teſtamenti textu*, *capitibus* quadraginta quatuor agens.

Cap. I. Ante omnia autem obſervandum duxit Richardus Simon, libros novi fœderis ejusmodi idiomate primitus exaratos fuiſſe, quod a maxima eorum parte, quibus Apoſtoli evangelium prædicarunt, absque interprete intelligi poſſet. Cum vero vulgo Italorum, Syris item, Ægyptiis, Æthiopibus, Perſis, Armenis, Matthæum Ebræo-Chaldaice, cæteros ſcriptores ſacros Græce loquentes intelligere non liceret, horum cauſſa in eorum vernaculas, primis ſtatim orbis redempti ſeculis, Biblia converſa fuiſſe. Vertente tamen tempore ob incurſiones Barbarorum, & has linguas ad unam omnes in deſuetudinem abiiſſe, aut in novas formas mutatas eſſe. Chriſtianos igitur, (ad exemplum Judæorum, Biblia ſua Hebræa in Synagoga legentium, ac Chaldaico aliove vernaculo idiomate interpretantium,) verſiones illas antiquiores illibatas quidem retinuiſſe, nihilominus eas ipſas in notius idioma transfudiſſe, ut verſionum harum recentiorum beneficio plebi eo melius conſtaret de verborum ſenſu, quæ e veteri ritu in eccleſia ex verſionibus obſoletis recitari audiret. Sic hodienum Ægyptios & Syros verſiones quidem Copticam Syriacamque in eccleſia prælegere, non tamen niſi verſionum Arabicarum ope intelligere. Gratulatur eapropter orientalium conſenſum eccleſiæ ſuæ, utpote quæ nullo non tempore cuivis mortalium (ſi credere fas eſt,) privatum verſionum uſum indulſerit, ſolam tamen Latinam Hieronymianam in eccleſiaſtico cultu adhibendam eſſe ſanxerit;

C. II. qua fini longa ſerie editiones Bibliorum Germanicorum, Gallicorum, Italicorum, Hiſpanicorum recenſet, easque quidem univerſas

verſas publici juris factas, antequam Biblia a quovis fidelium, lingua nota, legenda eſſe, Proteſtantes urſerunt.

His generatim præmiſſis, de ſingulis verſionibus Novi Teſtamenti ſigillatim ſermonem inſtituit Simon, telam orſus a veteri Italica Latina, quæ Vulgata vulgo appellabatur, antequam id nominis nova Hieronymiana adipiſceretur. Superſunt ex ea non niſi quatuor Evangelia & Actus Apoſtolici in MSCto, *Cantabrigienſi* Academiæ a Theodoro Beza donato, itemque epiſtolæ Paulinæ, tum in æque celebri *Claromontano* codice, Bibliothecæ Regis Galliæ illato, tum in alio Abbatiæ *Sancti Germani de Pratis* cimelio extantes. Accedunt ampliſſima ejus fragmenta, quæ ex *commentariis* B. Hieronymi, &, qui huic coævi fuere, Hilarii Diaconi Romani, Luciferianorum ſectæ addicti, Pelagiique, hæreſeos peculiaris auctoris, *in epiſtolas Pauli*, colligere licet. Expreſſa hæc fuerat ad codices Græcos commatis non optimi; unde non poterat non emendatione egere. Religioni tamen ſibi ducebat eccleſia aliam in cultu publico uſurpare, utut quilibet doctorum verſionem, caſtigatioribus codicibus convenientiorem, in privatos uſus impune adornaret, inque ſcriptis ſuis allegaret; uti exemplo Tertulliani & Cypriani probatum ivit Richardus Simon. Tandem Romani Pontificis Damaſi auctoritate, *Hieronymus* illam ita correxit, interpolavit atque refinxit, ut plane nova inde emerſerit, quæ quidem in ſeptimum usque ſeculum Italicæ, interpretis vice, jungi, eo vero abhinc tempore ſola deſcribi, legi, *Vulgatæ*que nomine cenſeri cœpit. Cæterum non lectu injucunda eſt utriusq; Vulgatæ collatio, cui unum alterumq; caput deſtinavit Auctor. Exemplorum trigam ſpeciminis loco adduxiſſe non erit dividiæ. Nimirum Vulgata moderna Gal. II, 5. legit: *Quibus neque ad horam ceſſimus*. Vetus: *Quibus ad horam ceſſimus*. Eph. I, 11. codex Sangermanianus Græco-Latinus in Italica: *Vocati ſumus*, in textu Græco: ἐκλήθημεν, legit. Hieronymiana autem: *Nos ſorte vocati ſumus*. Sicque codices univerſi Græci, Alexandrino excepto: ἐκληρώθημεν. Idem Sangermanianus, tum in Latino, tum in Græco 1. Cor. X, 17. hæc habet: *Omnes enim de uno pane & de uno calice participamus*; eatenus conſentiens unico MSCtorum Marchionis de Veles. E contrario Vulgata Hieronymi, fide reliquorum codicum Græcorum nixa, τὸ *& de uno calice* pro genuinis non agnoſcit.

Cap. III. IV. V. VI.

IV. V. VI.

Digitized by Google

Equidem non levis inter Eruditos concertatio ſuperiori ſeculo orta eſt, utrum vulgata hodierna Hieronymum auctorem habeat. Sane Deſiderius Eraſmus Roterodamus, ac Jacobus Faber Stapulenſis, quin & Nicolaus Zegerus & Petrus Pithœus, cum viderent, dicta Scripturæ ab Hieronymo in *Operibus* citata immane quantum diſcrepare a *Vulgata*, in eam ſententiam adducti ſunt, editionem Novi Teſtamenti Hieronymianam aut penitus dudum intercidiſſe, aut (præſertim quoad Paulinas epiſtolas) recentius eum in modum interpolatam atque reformatam eſſe, ut *Hieronymianæ* titulum haud majori jure, quam *Veteris Italicæ*, noſtro tempore vendicare ſibi queat. Regerit *Simon*, eadem ratione nec Veteris Teſtamenti verſionem Hieronymi fœtum fore, cum nec ea ejusdem allegationibus exacte reſpondeat; quod tamen nemo temere dicturus ſit. Eam vero diverſitatis cauſſam eſſe, quod doctiſſimus ille Pater craſſiores tantum mendas ex Italica ſuſtulerit, ne forſan plebi ſcandalum poneret, ſi nimio rigore in ſingula fere verba vulgo receptæ verſionis animadverteret. Hoc autem non obſtante, ſervaſſe eum ſibi libertatem, ſubinde accuratius quævis Scripturæ Sacræ loca vertendi, non in eccleſiaſtico quidem cœtu, attamen *in commentariolis, ubi libertas eſt diſſerendi*, uti ipſe inquit *libro I. Apologiæ adverſus Ruffinum.* Aſt etſi Vulgata ipſa Hieronymum parentem habeat, prologi tamen plerique, qui ſcriptis Novi Teſtamenti, ac ſigillatim catholicis epiſtolis ſub Hieronymi nomine præfiguntur, ſpurii ſunt, Simone arbitro. Hac occaſione confirmat is ſententiam ſuam de loco *1. Joh. V*, *7.* quam A. 1689. p. 119. 120. fuſe ſatis recenſuimus. Laudat etiam impenſe *Correctoria Biblia* Sorbonica, h. e. congeriem variarum lectionum Biblicarum ex optimæ notæ MSCtis, veterumque Patrum, Hieronymi cum primis commentariis barbaro quidem ſtylo, at magno cum judicio collectarum; aſſeritque hodie ea rariora, olim tamen fortaſſe magis fuiſſe obvia, ut quilibet librarius Biblia Latina deſcripturus horum ductu noſſet, quæ variantium lectionum omnium optima eſſet, eundem in modum, quo *Maſora* Judæorum Hebraicis Bibliis rite & emendate deſcribendis inſervire ſolet. Cæterum ſi Richardus Simon, exemplo *Mabillonii*, in Germaniam, MSCtorum inſpiciendorum gratia, excurreret aliquando, Lipſiamque delatus, Paulinam noſtram ſalutaret Bibliothecam, æque forſan ac Sorbonicos, laudaret extantem illic codicem

dicem

Digitized by Google

dicem membranaceum, octodecim plagulas in Folio complexum, cujus titulus, in fine adſcriptus, hic eſt: *Correctio Biblie compilata cum ſumma diligentia a Fratribus Ordinis Predicatorum.* Reperias heic varias lectiones bibliorum Latinorum Veteris & Novi Teſtamenti ſtylo conciſo, charactere perpetuis abbreviaturis referto, easq; quidem deſumtas, (ut eſt in præfatiuncula) *ex Gloſſis B. Jeronimi & aliorum doctorũ & ex libris Hebreorum & antiquiſſimis exemplaribus que etiam ante tempora Caroli Magni ſcripta fuerunt.* Speciminis loco lubet verbotenus excerpere, quæ ad tres Johannis epiſtolas Monachi illi obſervarunt; ſed abbreviaturis, lectu alias difficillimis, explicatis:

Johannis Prima. Quod fuit. ¶. *II. b. Qui dicit ſe noſſe eum.* §. *b. In hoc ſcimus, quoniam in eo* ſumus *qui dicit ſe in ipſo manere.* ¶. *IIII. b. Et omnis qui* diligit *ex Deo natus eſt & cognoſcit Deum.* §. *c. qui non diligit non novit Deum. Miſit Deus* in *mundum,* §. *ſed quoniam* ipſe *dilexit nos.* ¶. *V. c. Spiritus, aqua & ſanguis. Quidam addunt & tres unum ſunt. ſed non eſt in gloſſis.* §. *d. Qui non credit in filium vel filio.* §. *qui habet filium habet vitam qui non habet filium non habet vitam.*

Senior electe Domine. §. *d. Johannis ſecunda. accipiatis. omnis qui precedit.* §. *f.* ecce *predixi vobis ut non in die Domini confundamini. Grecus & antiqui non habent verſum iſtum.* §. *g. ſororis tue electe gratia tecum amen. greci non habent gratia tecum. ſed interlinearis exponit.*

Johannis tertia. Senior Gaio. d. majorem horum non habeo gratiam. Grecus gaudium.

Notandum heic, in MSC. voces illas puncto miniato ſignari, quas nos, typis deſtituti, charactere rotundo a reliquis diſtinximus; id quod argumento eſt, niti illas *multorum expoſitorum & antiquorum librorum autoritate*, uti ſupra memorata præfatiuncula monuit. Cæterum notæ ſatis ſunt omnes illæ lectiones. Illa ſola, quæ *2. Epiſt. Joh. verſ. 9.* pro *recedit*, legit *precedit*, inſolentior eſſe & in mendo veteri cubare videtur, licet librarius forte pro genuina habuerit. Sed hæc ὡς ἐν παρέργῳ. Nunc ad Simonis opus revertamur.

Is, ubi varias librorum Novi Teſtamenti in MSCtis *diviſiones* enarraſſet, de *primariis* bibliorum Hieronymianorũ *editionibus* judicium ſuum interponit. Commendat in primis a *Roberto Stephano* A. 1540. Cap. X. C. XI.

accu-

accuratam, quod ſpurias Pſeudhieronymi præfationes omiſerit, variantes lectiones ex optimis MSCtis & *Correctoriis Biblia* Sorbonicis ſelectas in marginem rejecerit, textu absque ulla correctione eum in modum excuſo, quo in Romana eccleſia eo tempore legi ſolebat, libertateq; cujvis permiſſa, ex lectionibus, ſeu textuali, ſeu marginalibus, deligendi, quamcunq; vellet. Diffuſius etiam memorat, quantum ea negotii apud Pariſienſes Theologos optimo viro faceſſerit. Æque fere ei placent biblia *Johannis Hentenii* ſtudio, ad Stephani exemplum, A. 1547. Lovanii edita, ac deinceps A. 1573. ab aliis *Lovanienſium* Theologis emendata, quibus *Lucas Brugenſis* notas quantivis pretii adjecit, ſeparatim quoque A. 1580 impreſſas. Audaciæ *Johannis Benedicti* ſuccenſet, qui A. 1541. obelis & aſteriſcis Vulgatam reformare ſtuduit, nullis tamen allegatis variantibus lectionibus, unde lectori patere poſſet, ſatis cauſſæ fuiſſe reformatori illi, cur ſic & non aliter textum legendum eſſe dictitaret. Obſervat, eum e. c. Matth. I, 11. verba: *Joachim. Joachim autem genuit*, pro genuinis, illa vero v. 23. *quod eſt interpretatum nobiſcum Deus* pro gloſſemate obelis confodiendo habuiſſe, cum tamen utrobique res plane aliter ſeſe habeat. De editionibus *Iſidori* monachi montis Caſſini, ut & *Oſiandrinis* adhuc abjectius ſentit, idemque de Novo Teſtamento ſtatuendum cenſet, quod de Veteri Teſtamento in Hiſtoria Crit. V.
Cap.XII. T. L. II. c. XXI. XXII. ſtatuendum decreverat. Nec diſſimulat, quid probet, quidve improbet in notis criticis Laurentii *Vallæ*, Nicolai *Zegeri* & Franciſci *Lucæ* Brugenſis.

C. XIII. Cum Latina Vulgata de antiquitate contendit *Syriaca verſio*. Impoſſibile autem Simoni videtur demonſtrare, cui palma ea debeatur. *Iſaacus Voſſius*, vir, dum in vivis eſſet, eruditiſſimus, hanc juſto recentiorem eſſe voluit, ob vocem potiſſimum קסטונרא *Matth. XXVII, 65*. quam is cum *Grotio* & *Fullero* ex Latina infimi ævi *Quæſtionarius* natam eſſe, opinabatur. Sed, (*Simonis* judicio,) perperam; cum קסטינרא, quod eſt κȣςωδία, illic legendum ſit. Notat, nec veteres editiones, nec MSCtos univerſos a ſe inſpectos continere *Apocalypſin*, aut Johannis ſecundam tertiamque, Petri ſecundam, Judæ denique unicam, epiſtolas; e quibus Apocalypſin *Ludovicus de Dieu*, has *Eduardus Pocockius* e MSCtis primum edidit. Pari pietatis adfectu hæc omnia cum cæteris Johannis Petrive ſcriptis

Digitized by Google

ptis ab antiquioribus Syris recepta fuiſſe, ea de cauſſa dubitat, quod in MSCtis Novum Teſtamentum in tres tomos diſpeſci ſoleat, quorum *primus* quatuor Evangelia, *alter* Acta Apoſtolorum cum tribus catholicis Jacobi, Petri, Johannis epiſtolis, *tertius* XIV epiſtolas Paulinas complectatur; præmittantur etiam *Lectionaria*, (quæ Græci *Synaxaria* vocitent,) quibus doceatur, quam pericopam ſingulis anni diebus legere oporteat; in his vero nulla ex Apocalypſi, aut IV illis catholicis dubiæ antiquitatis epiſtolis lectio deſumta annotetur. Unde concludit quoque, Lectiones illinc delectas, recentioris cujusdã Lectionarii fide, in Londinenſibus Polyglottis recenſeri. Non parum indignatur, dictum *1. Joh. V, 7.* ab *Ægydio Gutbierio* textui verſionis Syriacæ, ceu genuinum, ex Tremelliana editione illatum eſſe, cum tamen Tremellius, ſemetipſum id Syriace vertiſſe, non autem in MSCto inveniſſe, ideoq; margini tantum editionis ſuæ illeviſſe, faſſus ſit. Recenſet dein varias Syriacæ verſionis editiones, *Witmanſtadii* puta, *Guidonis Fabricii Boderiani*, *Martini Troſtii* & *Ægid. Gutbierii*, quidq; in ſingulis reprehenſione laudeve dignũ judicet, libere eloquitur. Verbulo tantum meminit recentiſſimæ, Ebraicis typis in Germania excuſæ; unde dubiũ eſt, ãn eam inſpexerit, noritve, Perilluſtri Kabbalæ denudatæ auctori *Chriſtiano Knorrio L. B. a Roſenroth* in acceptis eſſe ferendam. Confert denique integro capite verſionem Matthæi Syriacam cum Græco, ubi inter cætera notandum, ipſam Græcam vocẽ *εἰκῆ Matth. V, 20*, Syriaca civitate donatam in verſione illa antiqua reperiri, eoque lubentius pro genuina eſſe agnoſcendam.

C. XIV.

Cap. XV.

XVI.

Mox ad *Ægyptios* excurrit, veteremque eorum linguam, *Copticam* vulgo appellatam, colluviem obſervat vocum Græcarum, Arabicarum atque Latinarum. Heic inter alia monet, in Regis Galliæ bibliotheca n. 331. extare codicem, in quo Acta Apoſtolorum, epiſtolas Paulinas, & ſeptem catholicas epiſtolas, non tamen locum *1. Joh. V, 7.* reperire ſit: in eadem bibliotheca n. 329. haberi Evangelia ante quingentos circiter annos manu Epiſcopi Damiatæ deſcripta, quæ ſectione LXVIII. pericopam *Johannis VIII.* de adultera exhibeant, adeoque in antiquis codicibus repertam eſſe, tacite teſtentur. Sed hæc hac vice ſufficiant. Reliquã relationis noſtræ partem in *Martium* menſem ſervare præſtat, ne Lectorum patientia abutamur, cum pauci ſtudiis hiſce Criticis pretium, quod merentur, ponere ſoleant.

Digitized by Google

ΟΡΦΕΩΣ ΑΡΓΟΝΑΥΤΙΚΑ, ΥΜΝΟΙ, ΚΑΙ περὶ λίθων.

ORPHEI ARGONAUTICA, HYMNI, ET DE Lapidibus; curante Andrea Chriſtiano Eſchenbachio.

Trajecti ad Rhenum, apud Guil. vande Water, 1689, in 12.

Conſtant plagulis 15.

TRia quæ ſub *Orphei* nomine ab Aldo & Henr. Stephano olim edita, & nunc rurſus nitidioribus typis recuſa ſunt, poemata, *Argonautarum expeditionem*, *Deorum laudes*, & *naturam lapidum* deſcribentia, an unum eundemque Orpheum auctorem habeant, & cui ex Orpheis adſcribenda ſint, parum exploratum eſt eruditis. Thracem iſtum antiquiſſimum philoſophum & poetam, qui feras cantu ſuo attraxiſſe fingitur, & ex Moſis doctrina multa accepiſſe, ac vir ſapientiſſimus divinorumq; myſteriorum peritiſſimus a Suida laudatur, poetarum vetuſtiſſimus a Lactantio lib. 1. cap. 5. vocatur, & ab Auguſtino Steucho lib. 7. de perenni philoſ. cap. 10. primus theologorum Græcorum, ut Mercurius Triſmegiſtus Ægyptiorum, extitiſſe cenſetur, hæc carmina ſcripſiſſe nequaquam credendum. Imo eum nunquam extitiſſe, ſed, quæ ſub ejus nomine circumferuntur, Pythagoræum quendam Cercopem auctorem habere, ex Ariſtotele tradit Cicero lib. 1. de nat. Deor. quin & carmina, quæ vetuſtas *Orphica* appellavit, non quod Orphei eſſent, ſed quod ab eo tradita continerent, eo nomine veniſſe Grotius lib. 1. de verit. relig. ſect. 16. obſervat. Ergo quæ hoc nomen præ ſe tulerunt, ſuppoſititia fuere omnia, incertumque prorſus, quo auctore conſcripta. Orpheorum autem plures ext[i]tiſſe ex Suida diſcimus, a quo præter *Thracem* iſtum, Oeagri & Calliopes filium, undecim ætatibus ante Trojanum bellum florentem, cujus τερασμὰς, Ἱεροστολικὰ· κλίσεις κοσμικαίνας, νεοτευκτικὰ & ἱερούς λόγους laudat, quidam memoratur *Onomacritus*, ad quem auctorem referantur χρησμοὶ, τελεταὶ, περὶ λίθων γλυφῆς, ſive ὀγδοηκοντάλιθος; alius item *Ciconeus* vel *Arcas*, qui μυθοποιΐαν, ἐπιγράμματα & ὕμνους compoſuerit; alius *Odryſius*; alius *Crotoniates*, qui δεκαετηρίαν, ἀργοναυτικὰ & alia quædam ſcripſerit; alius denique *Camarinæus*, cujus ſit ἡ εἰς ᾅδου κατάβα-

τίβαος: quos Orpheos omnes etiam recenſet, deque iis diſſerit Laurentius Craſſus p. 380. ſqq. operis de Poetis Græcis, quod Italica lingua edidit, ſub titulo: *Iſtoria de Poeti Greci & di queche'n Greca lingua han poetato.* Unum tamen eundemque fuiſſe hos omnes, quos tanquam diverſos nominavit Suidas, contendit Petr. Lambecius lib. 2. Prodr. litter. hiſt. cap. 4. cui addendus Voſſius lib. 1. de Idololatr. cap. 39. & de artis poet. natura & conſtit. cap. 13. ſect. 3. p. 79. 80. & de Poetis Græc. cap. 4. p. 23. Hoc ſi verum eſt, inanis erit disquiſitio, uter poematum horum extiterit auctor; quod non ſatis liquere, ipſe Editor in præfatione confeſſus eſt, negans ſibi videri ab uno auctore tria hæc profecta eſſe poemata. Non exigui tamen pretii ea exiſtimans, juxta H. Stephani editionem iſta recenſuit, ex ingenio quædam quæ depravata videbantur emendans, Latinam interpretationem, quæ gemina Argonauticorum extabat, ſed inepta prorſus viſa fuit, paſſim meliorem reddidit, Notas, in quibus emendationum ratio redditur, adjecit, Stephani etiam & Scaligeri annotationes ſubjunxit, & editionem iteratam, nova plane verſione & uberioribus notis inſtruendam ac ſecundis curis præſtantiorem futuram, promiſit.

LA RELIGION DES JESUITES, OU REFLEXIONS ſur les inſcriptions du Pere Meneſtrier &c. i. e.

Religio Jeſuitarum, ſive Conſideratio inſcriptionis P. Meneſtrerii, & libri P. Tellierii pro neophytis Chinenſibus & Indis contra obſervationem XIX de Spiritu Arnaldi &c.

Hagæ Comitum, apud Abrahamum Troyel, 1689, in 12. Plag. 9.

C*Laudius Meneſtrerius ex Soc. Jeſu* innotuit nobis ex ſcriptis plurimis, quæ in Acta noſtra retulimus. Uſi ſunt hujus peritia in exornandis ſtructuris panegyricis, qui ante paucos annos, cum nova Regis Galliæ ſtatua Lutetiæ Pariſiorum erigeretur, inter alias pompas ignium artificioſorum ſpectaculum ſub titulo & forma templi honoris exhibuerunt; cum inſcriptione a Meneſtrerio compoſita his verbis:

Digitized by Google

pag. 15. *Regi Ludovico Magno P. P. votis publicis*
Devota numini *majeſtatique ejus*
Civitas Pariſienſis pia, *fidelis*, *obſequens*,
Memoris obſervantiæ templum
D. D. C.

Reperti ſunt in Gallia quoque, Regis licet ſui cultui fortaſſe præter exemplum dedita, quibus inſcriptio illa pietati religionis Chriſtianæ adverſari & apotheoſin paganam ſapere viſa fuit. Reſpondit illis
95. Jeſuita per epiſtolam menſe Januario A. 1689 Pariſiis editam, & tractatui huic inſertam. Propugnat in hac ſtylum ſuum, quod *templum* & *numen* Regi tribuerit. Excuſationes ſumit a vocum illarum origine. *Templum* enim locum conſpicuum ſignificare dicit, & per tropum ad alia transferri poſſe, exemplo Sidonii Apollinaris, viri ſancti, qui in carmine ad Anthemium Imperatorem ſcripſit:

Ergo colat varia te, Princeps, hoſtia lingua:
Nam nova templa tibi pectora noſtra facis.

Numen ait a priſco verbo *nuere*, pro quo *annuere* dicimus, derivari, neque per ſe aliud indicare quam nutum, id eſt autoritatem imperii. Has *Meneſtrerii* exceptiones rejicit Autor, cum verba non ex nuda origine, ſed ex uſu ordinario & potiori ſint judicanda. Notat, Jeſuitam ipſum diffiſum ſententiæ ſuæ, cum inſcriptionem typis excuſam publicaret, pro *templo* repoſuiſſe *monumentum*. Variis etiam argumentis & inſcriptionem hanc, & alia elogia, carmina & ſcripta impugnat, demonſtraturus intolerabilem eſſe, qua Galli Regi ſuo blandiantur, adulationem, & idololatriæ, profanis olim Imperatoribus Regibusque exhibitæ, proximam. Invehitur in impietatem eorum, qui nuper dialogum ex verbis Sacræ Scripturæ concinnatum ediderint, in quo Rex Galliæ, & expulſus Anglia Jacobus colloquuntur. In hoc, illuſtri & ſanctiſſimo dicto Davidis, quo ipſe Servator noſter divinitatem ſuam aſſeruit, *ſede a dextris meis*, ita abuti dicuntur, ut illud Gallo attribuant, Jacobo auxilium promittenti, illumque impia hac alluſione Deum Patrem, hunc Filium faciant, ut Autor interpretatur, ſalſam addens de Perſona tertia alluſionem.
127. Obiter etiam taxat monachum quendam Benedictinũ *de S. Martha*, quod ex expeditione nupera ex Belgio in Angliam characterem Antichriſtianiſmi Reformatis imputaverit, & mala fide epiſtolam Petri Carpen-

Digitized by Google

Carpentarii ſuperiori ſeculo publicatam pro Reformati ſcriptoris teſtimonio denuo procuderit. Adſcribit itaque relationem Thuani Lib. Hiſt. LIII. ex qua intelligitur, Carpentarium illum tempore La- pag. 129.
nienæ Pariſienſis A. 1572. metu mortis adactum reformatam religionem abjuraſſe, & epiſtolam illam inſtinctu Pontificiorum in contumeliam Reformatorum edidiſſe. Præterea in libello hoc, ab initio ſtatim, ſtringitur calamus in monachos, qui *Minimi* dicuntur, quod Maſſiliæ
duodecim theſes de myſteriis theologicis ediderint, addita ſingulis 7.
applicatione in laudem Ludovici Magni, & profanata ad ejus laudes Scriptura. Hæc tam frequenter in Gallia fieri dicit Autor, ut concionatores plerique in ſermonibus ſuis Regem, aut ejus effigiem, publice alloquantur, & tempus, quod inſtruendo in fide & moribus populo deſtinatum eſt, in extollendo ſupra modum Rege, utut magno, homine tamen nec ſuis carente defectibus, conſumant. Fatetur hæc non immerito improbari a Gallis exulibus, neque ab his exigendum eſſe, ut Regem laudent, a quo hoſtilem in modum tractati ſint. Hæc atque alia inſcriptionis Meneſtrerianæ occaſione ab Autore tractantur, & ideo prius referri a nobis debere viſa ſunt, quia titulum libri explicant, quanquam his ſcopus præcipuus, quem titulus promittit, *deſcriptio* nempe *religionis Jeſuitarum* nondum exhauriatur. Ad hunc tamen propius faciunt, quæ Autor Jeſuitis objicit, quod
alio quidem, quam Paulus Apoſtolus, exemplo & fine *omnia fieri velint* 19.
omnibus, & ut *Meneſtrerius* in allegata epiſtola loquitur, *debitores ſapientium & inſipientium*: dein quod Reges & rerum Dominos, ex quorum favore compendia ſperant, cum pietatis & conſcientiæ ne-
glectu colant, idq; nunc maxime in Gallia faciant, licet vero & intimo 27.
affectu, originis & inſtituti ſui memores Hiſpanis dediti ſint. Accuſat 28. 29.
eos Semipaganiſmi, quod in repræſentationibus ſcenicis idola gentium introducant. Prolixior inde eſt in arguendis Jeſuitarum actio-
nibus in China & India, & defendendis quæ in libro *de Spiritu Arnal-* 31.
di, in rubrica allegato, relata fuerunt. Librum iſtum fama D. Jurio 36. 37.
tribuit: ſed Autor negat, illum a Jurio agnitum eſſe; nihilo ſegnius tamen librum tueri videtur, nec minori ſtudio, quam Jurius ipſe facere poſſet. Occaſionem illius natam eſſe ſcribit ab *Apologia Catholicorum*, quam D. Arnaldus libello de *Politica Cleri Gallicani*
oppoſuit. Hujus bili ardentiſſime, ut loquitur, occurri debuiſſe 38.

Digitized by Google

tractatu illo *de Spiritu Arnaldi* infenſiſſimi Proteſtantium hoſtis, ita tamen ut cæterorum in Gallia, qui non mitius erga Reformatos affecti
pag. 41. ſint, ingenium ſimul depingeretur. Aliqua tamen etiam Anglis repoſita eſſe, qui Gallos exules inclementer tractaverint, regnante tunc *Carolo II.* Papiſmo occulte addicto. Hunc cum Autor libri parum laudaſſet, & mortem Comitis Eſſexii *Jacobo*, tunc *Duci Eboracenſi* tribuiſſet, factum eſſe non diffitetur, ut ab Ordinibus Belgii Fœderati, Regi neceſſitate illorum temporum gratificantibus, liber ille prohiberetur. Neque tamen impediri (ceſſante etiam edicti executione) potuiſſe, quin liber in omnium manibus verſaretur, totamque adeo Galliam, quia Arnaldo ex patria ejecto & Janſeniſmi odio laboranti oppoſitus erat, pervolitaverit, & Jeſuitis vetera vulnera anterioribus libris, *Theatri* puta *Jeſuitici*, *Moralis ſive Practicæ Jeſuitarum &c.* inflicta & huc usque fere cicatrice obducta renovaverit, maxime in
47. relatione de Jeſuitarum geſtis in India. Monet hic Autor tractatus hujus, illum, qui contra Arnaldum tunc ſcripſerit, non ſatis inſtructum de rebus Belgarum in India fuiſſe, ideoque non habuiſſe, quæ allegatis ab Arnaldo iniquiſſimis ex *Tabernario* de Hollandorum in India hypocriſi & Chriſtianiſmi neglectu relationibus ſatis valide op-
48. poneret. Jam vero compertum eſſe tradit, plus quam trecenta hominum millia Belgarum opera ex paganiſmo ad fidem Chriſti converſa eſſe, præcipue in inſula Ceilan. Aggreditur inde Querelam Ildefonſi Epiſcopi Malacenſis, de qua in Actis noſtris anni præteriti p. 616. dictum aliquid eſt, & quid Arnaldus Ildefonſo reſponderit. Sed noſter Arnaldum non imitatur, aut regium genus Epiſcopo aſſerit, ſed magnam illi inſcitiam & importunitatem exprobrat. Famigerati autem libri, qui dicitur *Theatrum Jeſuiticum*, cujus productio-
61. nem a ſe removet Ildefonſus, autorem eſſe ſtatuit *Johannem de Ribas*, illuſtris inter Dominicanos famæ. Jeſuitam porro *Tellerium*, (cujus in titulo libri mentio fit) ejusque libellum apologeticum pro Chri-
62. ſtianis Chinenſibus in cenſuram vocat, & autorem inſolentis de ſe ipſo elogii inſimulat; nec mitior eſt in Archiepiſcopum Pariſienſem, & quæ autor libri *de Spiritu Arnaldi* in hunc dixerat, aliaque ejus tra-
71. dita, teſtimoniis Pontificiorum confirmat. Affert etiam recentia de actis Jeſuitarum Heidelbergæ & Viennæ, quæ cum ipſe pro certis
77. affirmare non audeat, referre merito ſuperſedemus. Regreſſus inde

ad

ad vetera, quæ illis imputari ſolent, maxime vero quæ de prævaricatione & hypocriſi illorum in China illis objiciuntur, probabilitatemq; relationum illarum inde ſtabilit, quod in ipſa Europa haud meliora doceant & agant. Adducit in compendio dogmata LXV Jeſuitica A. 1679 damnata. Negat tamen illos correctione iſta emendari potuiſſe, ideoque theſes nuperas *Divione* ab illis publicatas non tantum in ſumma allegat, ſed editum de illis, ſub titulo *denunciationis* tractatum integrum opuſculo huic ſuo adjungit, illum ipſum nempe, quem proxime in Actis 1689 p. 620. enarravimus. Hæc fere ſunt, quæ ex hoc libello referenda duximus, absque ulla quidem epicriſi noſtra, pari fide enarraturi, ſi quid a Jeſuitis aut quocunque alio illi opponetur, quamprimum ad nos pervenerit.

pag. 84.

130. 214.

LIBRI NOVI.

Joannis Launoii Epiſtolæ omnes, nunc demum ſimul editæ, cum præfatione Apologetica. Cantabrigiæ, apud Ed. Hall, 1689. fol.

Jacobi Cancerii J. U. D. Variæ Reſolutiones utriusque Juris. Antverpiæ, apud J. B. Verduſſen, 1689, fol.

Selectarum juris obſervationum ad contractus, ultimas voluntates & judicia pertinentium; cum ſupremorum Regni Neapolis Tribunalium Deciſionibus, autore Hieronymo de Roſis. Neapoli, 1689, fol.

Eſcalier des Sages, ou la Philoſophie des Anciens, avec des belles figures. A Groningue chez Charles Pieman, 1689, fol.

Chriſtophori Wittichii Anti-Spinoza, ſive Examen Ethices Benedicti de Spinoza, & commentarius de Deo & ejus attributis. Amſtelod. apud Joh. Wolters, 1690, in 4.

Antonii Bynai de Natali Jeſu Chriſti libri duo. Accedit Diſſertatio de Jeſu Chriſti Circumciſione. Amſtelod. apud G. Borſtium, 1689, in 4.

Regia Via omnes diſſentientes in Religione Neo-Evangelicos ad orthodoxam & ſalvificam Chriſtianæ Fidei veritatem manuducens; propoſita per J. F. Hacki S. I. Gedani, apud Janſonium a Waesberg. 1689, in 4.

Reflexiones Literales in quinque libros Moyſis ex primariis Eccleſiæ Doctoribus deſumptæ a D. Petro Paulo Ponticello Caſtrinovi Provinciæ Caſeroniæ Archipresbytero, J. U. D. Lucæ apud Mareſcand. 1689, in 4.

Tractatus de Regni & Aulæ Mareſchallis, autore Auguſto Adolpho de Haugwitz. Budiſſæ, apud Frid. Arnſtium, 1690, in 4.

Wolferdi

Digitized by Google

Wolferdi Senguerdii Inquiſitiones Experimentales, quibus naturæ operandi ratio Mechanice proponitur, effectus ex ea reſultantes exhibentur, ad cauſas revocantur, experimentis & ratiociniis illuſtrantur. Lugd. Bat, apud Felicem Lopez, 1690, in 4.

Johannis Vlak Diſſertationum Trias de Dei operum & Pacis Fœderibus, atque de Juſtificatione. Amſtelod. apud C. Blanbardum, 1689. in 8.

Hiſtoire du Monde, par Mr. Chevreau. Seconde edition augmentée de l' Hiſtoire des Empereurs d' Occident. A Paris, chez J. Boudot, 1689, in 12.

Sentimens ſur le Miniſtere Evangelique. A Paris, chez J. Boudot, 1689, in 12.

Les plus belles Lettres des meilleurs Auteurs François avec des Notes, par Pierre Richelet. A Paris chez Dan. Horthemels, 1689, in 12.

Literæ nomine Senatus Anglicani, Cromvvellii, Richardique ad diverſos in Europa Principes & Reſpublicas exaratæ a Joh. Miltono, quas nunc primum in Germania recudi fecit J. G. Pritius. Lipſiæ, apud J. C. Meyerum, 1690, in 12.

La Veritable Clef de l' Apocalypſe. A Cologne. 1690. in 12.

La France intereſſée a retablir l' Edit de Nantes. A Amſterdam. chez H. Desbordes, 1690. in 12.

Hiſtoria della perdita e riacquiſto della Spagna occupata da Mori: del P. Bartholomeo de Rogatis. In Venetia, per Guerilios. 1689. in 12.

Zoologia parva, ſive Tractatus de Animalibus ad Medicinam facientibus, concinnatus a Joſepho Lanzono. Ferrariæ apud H. Filonum, 1689. in 12.

Delle Poeſie di Pietro Giubileo. In Venezia, per G. G. Hertz, 1689, in 12.

ERRATA.

In Actis 1689, pag. 494. lin. 31. & p. 495. lin. 5. pro *Antonius Bailletus* lege *Adrianus Bailletus*. In Actis anni præſentis p. 1. l. 24. pro *confirmare hoc*, lege *confirmare hos*. Pag. 70. l. 17. pro *curva APM*, lege *curva ALM*; l. 23. pro *AE=x*, lege *AD=x*. P. 71. l. 12. pro $\frac{qr}{2}$, lege $\frac{gr}{2}$, item pro =z, lege =z; l. 13 pro *qrtt*, lege *grtt*; l. 29. pro *irrepſerat*, lege *in calculum irrepſerat*. P. 72. l. 5. pro *probatu*, lege *probatur*.

* * *

Intra tres quatuorve dies Sectio IV Supplementorum proditura eſt: quod ſignificandum iis cenſuimus, quibus hæc Supplementa aliquo in pretio habentur. Aſtrophilos vero ignorare nolumus, ſtellam Cygni, quæ Bayero litera χ notatur, a die 29 Jan. nudis oculis conſpiciendam ſe denuo præbuiſſe: cum in antegreſſa revolutione per tubum tantum deprehendi potuerit.

Digitized by Google

ACTA ERUDITORUM

publicata Lipſiæ

Calendis Martii Anno M DC LXXXX.

Die Ehre des Hertzogthums CRAIN/ ꝛc.

ſive,

Gloria Ducatus Carniolæ, explicata per Johannem Weichardum Valvaſor, Baronem, &c. Tomus II, III, & IV.

Labaci, apud Wolffg. Maur. Endterum, Bibl. Nor. 1689, fol.

Conſtat Opus univerſum plagulis 905.

CUm ampliſſimi hujus Scripti contenta per compendium recenſere jam *ſuperioris anni Menſe Novembri pag. 549, ſeqq.* cœperimus, ſed tum quidem paginarum anguſtia excluſi, aut potius nimiam relationis prolixitatem veriti, non niſi *quatuor* priores *Libros*, qui *Tomum I.* conſtituunt, abſolvere potuerimus, cæterorum commemoratione in aliud tempus dilata: ſupereſt, ut nunc, ne moroſi forte debitores Lectori benevolo videamur, promiſſi tum facti memores, reliquos *tres Tomos*, qui *libros undecim* poſteriores complectuntur, absque ulteriori mora ad manus reſumamus. Ne vero in nimium denuo excreſcat oratio, quam breviſſimis tantum ſingulorum librorum argumenta indicabimus, eos qui pleniorem cognitionem deſiderant, ad Operis ipſius evolutionem remittentes: non omittemus tamen, ne jejuna nimis evadat recenſio, ex innumera florum multitudine, quibus idipſum partim perilluſtris Baro *Valvaſor* conſevit, partim facundus ejus interpres *Dn. Franciſci* porro exornavit, unum alterumve ſubinde velut in tranſitu decerpere, ac in lectoris gratiam delibare. *Quinti* autem libri, ubi nempe *Tomus II.* incipit, contenta jam ſub initium præcedentis no-

Digitized by Google

ſtræ relationis quodammodo indicata fuere. Agitur nimirum in eo de
antiquis Carniolæ incolis; ubi quidem res ſatis alte repetitur, ope-
T. II. roſa diſquiſitione inſtituta, num ante diluvium terra hæc jamjam ha-
pag. 6. bitari cœperit: qua occaſione prolixus diſcurſus interſeritur de tur-
10. ſeqq. ri Babylonica & ſecuta gentium diſperſione. Porro variæ nationes
longo ordine ac diſtinctis capitibus commemorantur, a quibus ſuc-
ceſſive regionem hanc occupatam fuiſſe, ſit probabile. Primi ergo
terræ hujus incolæ traduntur Japydes & populi Chittim, ſecundi Cel-
tæ, tertii Illyrici & Pannones, quarti Tauriſci, Scordiſci & Norici,
quinti Romani, ſexti Vandali, ſeptimi Gothi, octavi Longobardi,
noni Venedi ſeu Slavi, decimi Avares ſeu Hunni, ac undecimi deni-
que Francones: ut adeo vix ulla ex obſoletis Germaniæ noſtræ gen-
tibus conqueri queat, per quinti hujus libri concinnatorem, clariſ-
ſimum *Franciſci* ſtetiſſe, quo minus ipſa jus civitatis Carniolenſis nan-
ciſceretur. Duplex tandem appendix eidem libro adhuc ſubnectitur,
altera quidem de urbibus & oppidis hujus tractus, de quibus mentio
234. apud antiquos ſcriptores injecta reperitur, ac ſpeciatim de *Æmona*,
utpote cujus ruderibus modernum *Labacum* inædificatum eſſe cre-
ditur: altera vero de variis inſcriptionibus & nummis antiquis, paſſim
in diverſis hujusce Ducatus locis extantibus aut erutis; in quibus, cum
ad alia properandum ſit, nos non detinebimus. *Sextus* liber tractat
271. primo de linguis ibidem uſitatis; quæ duæ potiſſimum indicantur,
Germanica nempe, & Slavonica: illa in tribunalibus & judiciis publi-
cis, nec non apud homines politiores; hæc ruſticanam inter plebecu-
lam maxime vigens. Agitur hac occaſione de linguæ Slavonicæ
indole, ſcribendi modo & latiſſimo ambitu, dum eidem plusquam
decem aliæ affinitate conjunctæ traduntur; ad cujus rei majorem fi-
274. dem in peculiari tabella paralleliſmus omnium iſtarum linguarum
aut dialectorum potius, oſtenditur, exemplo orationis Dominicæ,
& ſingulorum ejusdem verborum, quæ nempe minutatim lingua Cy-
rillica, Bulgarica, Dalmatica, Croatica, Slavonica, Bohemica, Po-
lonica, Vandalica, Luſatica, Moſcovica, Carniolica, Wallachica
272. & Nova-Zemblica exprimuntur: ac obiter monetur, ipſam *Nova Zemblæ* vocem Slavonicæ originis eſſe, dum hac dialecto *noua ſembla* idem ſignificet ac *nova regio*. Character hujus linguæ duplex eſſe fertur, *Cyrillicus* puta, cujus alphabetum ex 39 literis componi-

tur,

tur, & *Glagoliticus*, 32 tantum ſcriptionis elementa continens: uterque quoad literas majuſculas, minuſculas, currentes, earumq; figurã, nomina ac vim, in ſeparata ſiſtitur tabula. Speciatim de Cyrillico perhibetur, eum tantum non omnino convenire cum Ruſſico ſeu Moſcovico: in cujus traditione quidem ab *Adamo Oleario* in Itinerario ſuo non parum erratum fuiſſe, obiter innuitur, eo quod ipſe linguam hanc non calluerit. Dicitur vero Cyrillicus a Cyrillo, Venedorum Epiſcopo, a quo nempe, ut & S. Methodio, quem primum literas Croaticas & Slavonicas excogitaſſe ajunt, adinventus putatur; & Conſtantinopoli potiſſimum ac in Boſnia uſu viget. Alterum illud Alphabetum, quod Glagoliticum vocitant, (a litera G, quæ iſta lingua *Glagole* appellatur,) S. Hieronymi, Stridone nempe ex vicinia Carniolæ oriundi, inventioni tribuitur. Impreſſum Romæ hoc characteris genere allegatur Miſſale, quod iis in locis adhiberi ſoleat hodienum, ubi Miſſa celebretur idiomate Carniolenſi-Slavonico: id quod nempe poſt lites, hoc nomine diu inter Adelvinum Epiſcopum Salisburgenſem, nec non Reichboldum Venedorum Præſulẽ ex unã, & S. Methodium, ac Cyrillum alium Venedorum Epiſcopum ex altera parte reciprocatas, tandem circa annum 870 ſpeciali Pontificis Bulla indultum narratur. Cæterum additur, exiguum hodie in Carniola utriusque iſtius characteris uſum ſupereſſe, poſtquam Lutheranus quidam Presbyter, *Primus Truberus*, initium fecerit, Latinis literis Sla- pag. 274.
vonicam loquelam exprimendi, ſcripto hunc in modum Novo Teſtamento: quem ſecutus dein Georgius Dalmatinus, ejusdem profeſſionis, Vetus Teſtamentum ſuperaddiderit, ac typis evulgarit. Porro dein progreditur Autor ad explicandos mores incolarum modernorum per ſingulos hujus regionis diſtrictus; ac ſigillatim conſuetudines in nuptiis ac exequiis celebrandis receptas, inter ruricolas præſertim, perſequitur, quæ quidem utplurimum ſatis paradoxæ & inconditæ apparent. Mira vero ſunt, quæ de mulieribus certi tractus Karſtienſis ex vulgata traditione affert, liberos plerumque ſub 315.
larva ſerpentis cujusdam occultatos in lucem edentibus: ut & de mortuorum quorundam cadaveribus, noctu ex ſepulcris prodeuntibus, & varias viventibus moleſtias ac damna inferentibus, nec prius 335.
quieſcere ſolitis, quam effoſſa impacto per medium palo transfigantur: quæ quidem ſi fabulis accenſenda non ſunt, præſtigias ſaltem

diabolicas his in terris ſat frequentes eſſe arguunt. Peculiaris deniq; appendicula libro huic ſubjuncta reperitur, viros eruditos complectens, ex Carniola oriundos, qui ſcriptis editis nomen ſuum clarius effecerunt; quos inter poſt Methodium & Cyrillum, in primo ordine compa-
pag. 345. ret *Sigismundus Baro de Herberſtein*, Commentario de Rebus Moſco-
354. vicis conſcripto celebris. Nec *Schönlebii* mentio omittitur, egregio ſuo Operi antehac memorato, cujus titulus eſt, *Carniolia antiqua & nova*, immortui, dum non niſi primum ejus Tomum edere potuit, eodem nempe, quo iſte prodiit, anno, climacterico ſuo magno defunctus. Tractatus ab ipſo typis publicati commemorantur triginta octo, ac præterea Manuſcripta quædam librorum, prelo paratorum quidem, ſed nondum emiſſorum partim; partim etiam Collectaneorum, concinnando Tomo ſecundo laudati
356. ſui Chronici ab ipſo deſtinatorum, quorum nempe aliquot Volumina inter ejus res reperta fuere. Teſtatur tamen perilluſtris Valvaſor, ſeſe, iis licet omnibus ſedulo perlectis, vix materiam pro implendis octo plagulis ſufficientem inibi reperire potuiſſe de rebus Carniolam proprie concernentibus: ſed plurima tantum ſpectare ad res genealogicas familiarum nobilium. Non ingratam lectori rem fecit Dominus Franciſci, dum corrollarii vice appendici huic ſuperaddidit Catalogum Operum Valvaſorianorum, ex parte jam publici juris factorum (inter quæ & reperitur *Carinthiæ Topographia*, de qua fortaſſis in Supplementis Actorum pluribus agendi occaſio dabitur;)
369. partim vero adhuc edendorum, quorum duo potiſſimum indicantur: alterum, cui titulus, *Lumen Naturæ*, e variis & egregiis experimentis, maximam partem ab ipſo Autore illuſtriſſimo factis, compoſitum, & ſex Tomis conſtans, quorum 1. de vitro, 2. de paſta, 3. de colore, 4. de ſympathia & antipathia, 5 de fuco, ac 6 de medicina inſcribitur; alterum, tres tomos in folio complectens, omnesq; Matheſeos partes pervadens, variis pariter experimentis illuſtratas, nomen gerit *Floris Phyſico-Mathematici*: quæ proinde ſcripta, argumenti nimirum curioſitate ſemet commendantia, eruditi dubio procul avide nobiſcum præſtolabuntur. Liber *ſeptimus* concernit Religionem in Carniola vigentem: ubi primo de priſcis idolis, coli his in tractibus olim ſolitis, agitur; ac dein exponitur, quomodo & quo tempore Chriſtianiſmus ibidem invaluerit, ac fides Romano-Catholi-

Catholica, quæ ſola nunc iſtic regnat, fuerit introducta: aliquot etiam capitibus enarratur, quanto cum applauſu lux Evangelica, a Luthero accenſa, hoc in Ducatu recipi cœperit, Primo Trubero La- pag. 432.
bacenſi Canonico potiſſimum ejus præconem agente; ſed paulo poſt Auſtriacorum zelo ſuffocata ruſus fuerit, Lutheranis ad unum omni- 470.
bus tandem emigrare juſſis. Mentio quoque hac occaſione injicitur *Nicolai Friſchlini*, Profeſſoris quondam Tubingenſis, ac poſtea 451.
(cum privatus hoc munere eſſet ob perſecutionem Nobilitatis Franconicæ ac Suevicæ, quam Academica quadam Oratione, *de Vitiis Nobilium* habita, præter intentionem exaſperaverat,) Rectoris Scholæ Labacenſis: cujus miſera fata & potisſimum tragica mors, dum e cuſtodia elabi tentans fune rupto decidit, pluribus memorantur. Speciatim ſub finem libri agitur de *Usgokorum* (quæ vox *Transfugam* Sclavonice ſignificat, eo quod hi ante annos centum & quadraginta circiter, cum uxoribus & liberis e Turcarum ditione dilapſi, in Carniolam ſeſe contulerint,) ſive Walachorum religione, cum Græcæ Eccleſiæ ritibus maxime conſpirante: ubi ſpeciatim legi merentur, quæ de miris ceremoniis ac tricis, in celebratione Cœnæ Dominicæ apud eos adhiberi ſolitis, curioſe perhibet ac de- 488.
pingit Autor, poſt multam inquiſitionem, cum non facile myſteria hæc propalent, ſibi tandem a clerico quodã Walachico communicata. *Octavus* Liber in quinque rurſus ſectiones diſpeſcitur, quarum 1. de Sanctis Carniolenſibus tractat: appellatione tamen latiuscule accepta, quo plures huc pertrahere liceret. Unde non mirabitur quiſpiam, in eorum numero etiam reperiri S. Antonium de Padua, Carolum M. Henricum II, S. Hieronymum, S. Irenæum, S. Martinum, S. Nicephorum, ipſumque S. Marcum Evangeliſtam; ſinguli vero quo jure huc referantur, Lector in cujuslibet vita, ſtrictim hic expoſita reperiet. Superpondii loco his adjunguntur in fine duo viri, nondum quidem in Sanctorum numerum recepti, vitæ tamen ſanctitate & miraculis nonnullis inclyti, nempe Frater *Hieronymus de Lubiana*, 574.
Franciſcanus Regularis, & Pater *Marcus de Aviano*, quorum nempe alter Labacenſis fuit natione, alter Labacum non ita pridem, anno nimirum 1683 inviſit, ac ſolemni ſua benedictione dignatus eſt: utriusque ergo vita & geſta potiora per compendium adducuntur. Sectio 2. hujus libri hiſtoriam Patriarcharum Aquileiæ perſequitur:

 eo quod

Digitized by Google

pag. 655. eo quod univerſus Carniolæ Clerus olim horum ſubfuerit inſpectioni & jurisdictioni: utpote qua anno demum 1462 eximi cœpit per Bullam Pontificis. Ordine vero recenſentur Patriarchæ iſti numero centũ & ſex, ad præſentem usque *Johannem Delphinum*, Venetiis reſidentem, ac munus hoc inde ab anno 1658 exercentem. Sectio 3. diſtinctis capitibus pertractat Epiſcopos, tum *Labacenſes*, Principum
660. titulo ſub *Chriſtophoro Raubero* a Cæſare condecoratos, (quorum in ordine etiam eſt *Rainaldus Scarlichius*, anno 1640 defunctus, qui
672. quod lingua blæſa eſſet, orationem aliquando integram, litera R carentem, coram Imperatore habuiſſe fertur,) tum *Bibenſes*, ac *Tergeſtanos*: ut & Canonicos & Archipresbyteros ſeu Præpoſitos Labacenſes. Sectio 4. dicata eſt Ordinibus Religioſorum in Carniolia
694. degentium: ac præcipue quidem deſcribit celebre Ciſtertienſium cœnobium *Sittich*, prope civitatem *Weixelburg* ſitum, cujus Abbates ſigillatim recenſentur, ut & Collegium Patrum Societatis Jeſu, Labaci
704. A. 1596 erectum, cujus pariter Patrum Rectorum ſeries indicatur. Sectio denique 5. & ultima de Parochiis Carniolæ agit, quæ univerſæ ordine alphabetico enumerantur, additis ubique, in quantum pernoſcere licuit, tum nominibus Parochorum, tum encæniorum temporibus, tum reliquiis, miraculis, aliisve notabilibus, quæ apud ſingulas occurrerunt: e quorum numero placet hic adducere corylum in pa-
716. rochia *Alben* extantem, eandemq; ſemper magnitudinem ſervantem, ſic ut neque creſcere neque imminui deprehendatur: porro eccleſiam
757. S. Martini in parochia *Kring*, tam ab araneis, quam eorum telis, inſita quadam virtute perpetuo liberam: aliam in parochia *Scharffen-*
802. *berg*, in qua lumen nec oleo, nec ſebo accendi ulla ratione valet, ſed cerearum modo candelarum patientem: denique in parochia
810. *Stein* templum triplex ſeu e tribus contignationibus, quarum altera alteri ſuperſtructa eſt, conſtans. Hactenus de libro octavo, qui Tomum II claudit.

Tom. III. pag. 4. Tomum III qui inchoat, Liber *nonus*, regimen Carniolæ ſeculare, variosque magiſtratus ibi ordinatos perſequitur, quos inter primus eſt Præſes Cæſareus; quo quidem munere inpræſentiarum fungitur Princeps Joh. Seifridus ab Eggenberg; cujus abſentis vices ſuſtinet Prætor provinciæ, qui nunc eſt Georgius Sigiſmundus Comes de Gallenberg. Singuli vero qui officium hocce ſplendidum tenuerunt,

erunt, diſtinctim recenſentur una cum commemoratione potiorum ab ipſis geſtorum, ut & armorum cujusque gentilitiorum. Inter alios hoc in numero reperitur etiam Sigismundus Baro de Dietrich- pag. 23.
ſtein, quo autore A. 1517 inter plurimos Stiriæ, Carinthiæ & Carniolæ Nobiles inita eſt ſocietas ſive *fraternitas S. Chriſtophori*, directa potiſſimum ad extirpandum vitium ebrietatis, compotationis & blasphemiæ: cujus leges pariter ac membra pluribus perhibentur: dolendum vero, laudabile hoc inſtitutum paulo poſt rurſus extinctum penitus intercidiſſe. Eodem quoque munere defunctus fertur
Joſephus de Lamberg, cujus vitæ curriculum prolixo admodum rhy- 46.
thmo Germanico, priſci ſeculi ſimplicitatem ſatis redolente, ab ipſo expreſſum ſimul communicatur. Cæterum præter diverſa iſta magiſtratuum munera, quorum ſingulorum ratio & officiales iis præfecti commonſtrantur, varia etiam tribunalia & judicia hoc in Ducatu erecta enumerantur; nec non familiæ illuſtres ac nobiles ibidem
degentes, quas inter etiam Autoris noſtri ſtemma genealogice deline- 108.
atum comparet. Liber qui ſequitur *decimus* exponit hiſtoriam Ducum ac Principum, qui Carniolæ inde a Romanorum temporibus præfuerint; quorum quidem ſeriem, per mediorum ſeculorum incuriam, nimium quantum incertam & imperfectam eſſe, Autor ipſe non diſſimulat: quantum tamen licuit, eandem ex melioribus ſcriptoribus reſarcire conatus eſt: edocens tandem, quomodo temporibus Friderici II. Imperatoris, Carniola ad Domum Auſtriacam pervenerit; cujus porro Ducum, tanquam modernorum hujus ditionis dominorum, hiſtorica ſeries ac geſtorum recenſio reliquum hujus libri adimplent. Subſequens *undecimus* mere Topographicus eſt, dum Carniolæ urbes, oppida, arces, cœnobia aliaque loca ſigillatim & juxta ſeriem alphabeticam deſcribit, & ad vivum fere omnia depicta inſuper ſiſtit: fideliter commemoratis inſimul eorundem poſſeſſoribus modernis, jurisdictione, ſitu, nominibus Sclavonicis, utpote quæ a Germanicis multum ſæpius diſſonant, ut & hiſtoriis ſubinde, quæ in uno alterove eorum noviſſime contigerunt, aliisque circum-
ſtantiis. De arcibus in genere monet, montanas plerasque, turbi- pag. 4.
dis quondam temporibus refugii cauſa adhibitas, nunc fere deſeri, aliis in planitie majorem ob commoditatem excitatis. Floſculos, quos in curſoria hujuſce libri perluſtratione decerpere licuit, ſequentes

Digitized by Google

pag. 19. quentes indicamus: In oppido *Antignana* antiquam de raptu Sabina-
rum fabulam hodienum paſſim ludi, abductis per vim e vicinia fœ-
minis, dum pleræque alias ob loci inſalubritatem incolis nubere
27. recuſent; prope arcem *Aurſperg* lapides exacte cordiformes in-
genti copia reperiri; in urbe *Caſtua* non ita pridem podagricum,
50. qui ob pedum dolores & imbecillitatem, ad ſolenne quoddam con-
vivium ſemet portari fecerat, ex largiore vini hauſtu in tantum con-
valuiſſe, ut cœna abſoluta, domum absque aliorum adminiculo remi-
grare potuerit; in *Culpa* flumine cancros ad certum oris fiſtulam
147. imitantis ſibilum ex antris prolici ſolere: cujus etiam ſoni modulus,
notis muſicis expreſſus una communicatur; in agris quibusdam pro-
pe *Gallenek*, nullum unquam paſſerem comparere, quamdiu milium
a ſolo nondum ſeparatum eſt, quamvis in campis adſitis numeroſi
163. conſpiciantur, & iſtuc etiam poſt collectam meſſem catervatim afflu-
269. ant; cervos, urſos & apros Carniolæ majores fere aliis eſſe ejusdem
620. ſpeciei alibi degentibus; in arce *Wagensberg*, ubi perilluſtris Valva-
ſor ſuam habet ſedem, inter ejus cimelia magnetem adſervari, ferri ſe-
152. ipſo quadragies bis gravioris pondus ſuſtinere valentem. Porro nota-
tu non indignum eſt, plantam Indicã, quam Galli & Angli *Dutroa* vo-
cant, prope arcẽ *Freihoff* naturæ ſponte produci. Semen ejus ſi homi-
nibus propinetur, iis ad diei unius ſpatium omnem rationis uſum,
vigilantibus licet, adimere fertur, (ſic ut videntes etiam nil ſe vi-
dere ſentiant, & varia ſimul ridicula occipiant,) poſtridie tamen
ultro redeuntem; cujus rei exemplum affertur domeſticum ſatis mi-
rabile. Varia quoque ſingularia de egregio horto ad arcem *Geierau*
ſito, ac multiplici vegetabilium varietate conſpicuo afferuntur; ca-
175. talogo ſimul florum ibi naſcentium exhibito, quos inter etiam Tuli-
pa eſt ducentis foliis ſuperbiens. In deſcriptione arcis *Gutenwerth*
refertur hiſtoria, quæ iſtic non ita pridem contigit, de fœmina, cui
248. ex horrore ob ſpectri conſpectum ſuborto, capilli ſtatim omnes de-
fluxerunt, ut plane pleneq; calva evaderet: qua occaſione varie dis-
curritur de natura ſpectrorum: de quorũ Apparitione peculiarem fo-
vet opinionem perilluſtris Autor, non quidem negans aliquando vel
263. bonum vel malum genium ſubeſſe poſſe; attamen ſpectra pleraque
ex hominum aut animalium ſpiritu quodam *aſtrali*, poſt eorum etiam
589. mortem adhuc aliquandiu ſuperſtite conſiſtere, cum Paracelſo aliis-
que

Digitized by Google

que ſtatuens. *Tergeſti* (quam nempe civitatem olim ad Carniolam ſpectaſſe probat,) quomodo ex aqua marina ſal parari ſoleat, itidem curioſe delineat. Nec vulgaria ſunt, quæ de *Andrea Eberhardo Raubero*, Equite & Maximiliani II Conſiliario bellico commemorantur in deſcriptione arcis *Weineck*, quam illuſtris Rauberorum familia nunc poſſidet: nam fidem pene ſuperant, quæ tum de ipſius robore, tum de prolixiſſima barba, multum ultra pedes ſtantis deſcendente, perhibentur, addito etiam ectypo imaginis ipſius adhuc in prædicta arce extantis. pag. 631.

Occaſione *hirudinum* in lacu Cirknicenſi ad prolationem certorum verborum agminatim adrepentium, longa ſatis inſeritur digreſſio, (aut potius continuatur ſolum jamjam ſub finem Tomi I cœpta,) de natura pacti impliciti cum dæmone, in remediis ſuperſtitioſis intercedentis, ejusque diverſis generibus & gradibus: ubi inter alia variis exemplis evincitur, diabolum ſæpe numero hominibus pro ſuo artificio id obtrudere, quod tamen ſolius naturæ viribus, absque ulla verborum aut characterum talismodi adhibitione præſtari valeat. 55.

Sic allegat, ante annos 32 circiter Lugduni in Gallia mercatorem quendam egenum primum a dæmone artem didiciſſe, telas ſericeas, quas vulgo *Taffetas* vocitant, peculiari quodam & luminoſo nitore imbuendi; quod tamen nunc temporis plures norint adminiculo *aquæ borracis* perficere. 85.

Sic pariter oſtendit, quomodo quis acu orichalcea (non chalybea,) genas aut labia absque ullo fere dolore aut ſanguine, certe ſine noxa inde metuenda, perforare poſſit; 87.

item quomodo aquas calcare præter ſubmerſionis periculum liceat, absque omni remedio ſuperſtitioſo, ab aliquibus addi ſolito; id quod a ſe ipſo probatum teſtatur Autor. 88.

Docet etiam artificium, qua ratione ſpeculum conſtruxerit, pro magico a ſimplicioribus habitum, in quo fœmina, non obſtante veſtium tegmine, nudam ſemet totam conſpiciat. 81.

Aliud tamen, idque revera magicum, & quidlibet pro cujusvis deſiderio repræſentans ſpeculum parandi modum, a Judæo quodam Venetiis ſemet antehac didiciſſe curioſitate ductum narrat, non quo imitaretur nefandam hancce ſtructuram, ſed tantum ne neſciret: 93.

qua eadem intentione quoque A. 1669, cum in Africa eſſet, ab erudito quodam Mahumedano *Ali Haiſa* edoctus eſt modum venena præparandi, quæ tam occulta vi ac lento paſſu corpus huma- 208.

P num

num ſubruant, ut ad integrum etiam annum eorum effectus retardetur, pro lubitu propinantis; in cujus inſuper ſtet arbitrio, circa quodnam tempus mors inſequi debeat, ſic ut vix bidui aut tridui ſpatio fallat operatio, haud ullo inſuper antidoto eludenda: quod proinde perniciosiſſimum & diabolicum plane artificium, ne in humani generis periculum unquam divulgetur, animitus optat: perinde ac aliud
pag. 209. inventum non minus damnoſum, *pulveris* nempe *pyrii ſympathetici*, cujus hæc ſit natura, ut vel mille ejus particulæ, in quas diviſus ſit, variis in locis utut maxime diſſitis repoſitæ atque occultatæ, una incenſa omnes eodem momento inflammari queant; cujusmodi quid ante 18 annos præterpropter excogitatum eſſe, nec vane jactari, propriis experimentis ſeſe convictum ſcribit. Tandem quo librum hunc undecimum, qui diutius aliquanto nos detinuit, mittamus, adſuitur ei ſub finem appendix, metropoleos Carniolæ, Labaci nempe hiſtoriam plenius non nihil exponens. *Duodecimus* liber dicatus eſt deſcriptioni locorum Carniolæ finitimorum, tam mediterraneorum, quam maritimorum; ita quidem ut primo de Croatia generatim agatur, & poſt ad loca limitanea cum Chriſtianorum, tum Turcarum fiat progreſſio; cui additur ſeries Generalium, qui nomine Imperatorum hactenus Croatiam & reliqua illa loca adminiſtrarunt; ut & hiſtoria irruptionum a Turcis, ſucceſſu nunc felici, nunc infauſto, tentatarum. Varia hic rurſus de *Usgokis* ſupra nominatis eorumque ritibus commemorantur, v. g quod honori ducant, inter ſponſos nuptiarum
89. conſummationem ad quadriennium aut quinquennium protrahi; item quod plerumque ad extremam ſenectutem pertingant, cujus rei exemplum affertur ſenex, anno demum ætatis 124 defunctus; cui parallelum aſſociatur Turcæ cujusdam, ante quinquennium in Turci-
89. ca arce *Peruſſich* mortui, qui 190 annos impleverit, dentibus ei adhuc paulo ante obitum de novo renatis. Corollarii vice ſub exitum hujus libri adjicitur narratio de duplici vulnere, Colonello Cæſareo *Nic. Budaſchio* a Turcis inflicto, & quomodo ab utroque, utut in ſpeciem plusquam lethali, omnem ſupra expectationem ac fidem fere convaluerit.

Tomum Operis IV. conſtituentes libri tres mere chronici ſunt, in quibus proinde brevioribus nobis eſſe licebit. Nimirum *decimus tertius* agit de bellis & expeditionibus priſcorum Carniolæ incolarum

rum

rum & vicinorum, contra Romanos præſertim, quæ ante N. C. contigerunt: ubi præter varia alia ad antiquitates tam Germanorum, quam Romanorum ſpectantia, ſpeciatim & extenſius disquiritur, an Decius Brutus Mutinæ, an vero Metuli (diſſident enim Autores,) ab Antonio obſeſſus fuerit: itemque ubi priſca Japydum metropolis *Metulum* ſita fuerit. *Decimus quartus* perſequitur bella aliave geſta notabiliora, quæ a nativitate Servatoris usque ad mortem Ulrici III Carniolæ Ducis, ac tempora Auſtriacorum accidere; quod ipſum filum hiſtoricum *quintus decimus* porro ad annum nuperrime præterlapſum continuat. Atque ita jam per compendium indicavimus argumenta ſingulorum librorum ſpiſſi hujus voluminis: cujus nimiam prolixitatem dubio procul multi incuſabunt, cauſaturi, pleraque omnia, quæ Carniolam proprie concernant, vel quarta, aut tertia ſaltem paginarum parte comprehendi potuiſſe: quicquid tamen ejus ſit, certe tædium inde metuendum non ſolum ſummaria ſingulis capitibus præfixa, & marginalia tenorem cujusvis folii indicantia, adeoque plenam ſupervacua transſiliendi libertatem concedentia, minuunt; ſed & potiſſimum operis ipſius cum erudita elaboratio, tum curioſa varietas abunde compenſant.

ANTONII BYNÆI DE NATALI JESU CHRIſti libri duo.

Accedit Diſſertatio de Jeſu Chriſti Circumciſione.

Amſtelodami, apud Gerardum Borſtium, 1689, in 4.

Conſtant plagulis 88.

INitium iſtud magni operis eſt, quo natalem, circumciſionem, paſſionem, reſurrectionem, aſcenſionemque Servatoris, una cum Spiritus Sancti effuſione ſuper Apoſtolos, ex antiquitatibus, Judaicis inprimis & Romanis illuſtrare, apud animum ſuum conſtituit clariſſimus Autor. Et primus quidem labor iſte, (qui cum *diſſertatione de Circumciſione* ſolus hactenus prodiit,) de *natali Salvatoris* duobus *libris* agit, quorum PRIOR *quatuor* diſtinctis *capitibus* abſolvitur, *exegeticis* potiſſimum & verba evangelica exponentibus. *Caput I.* felix illud nuntium, quo grande adeo arcanum, quod nemo un- Præf. ad Lect. pag. 8.

Digitized by Google

quam mortalium aſſequi cogitatione poteſt, humano nimirum mo-
re, ſed divino ſatu, Dei filium ex muliere naſciturum, beatæ ſemper
virgini aperuit angelus, explicat, textumque *Luc. I, 26.—38.* uberius
pag.9,10. exponit. Qui cum Angeli faciat mentionem, de voce מלאך ex
Æthiopico ſermone deducenda, Græcaque ἄγγελος apud ethnicos
quoque Scriptores ea in ſignificatione, qua apud Chriſtianos uſurpa-
tur, occurrente, nonnulla obſervat, nomenque *Gabrielis* (aliter at-
que *Coccejus* ſentiat) ſingularis angeli proprium, & minime cum aliis
15. commune eſſe ſtatuit. Quippe non ſine ſingulari & ſapienti admo-
dum conſilio Dei factum eſſe, ut idem ille Angelus, qui Danieli præ-
dixerat intervallum temporis, quo Meſſias toties patribus promiſſus, ſe
hominibus oſtenſurus eſſet, iterum mitteretur nuntius, qui tam ipſius,
quam anteambulonis ejus, inſtantem indicaret natalem. Ad tempus,
quo miſſus dicitur Gabriel, quod attinet, ſextum quidem cum
18. Theophylacto menſem intelligit, ex quo gravida fuerat facta Bapti-
ſtæ mater, diem vero certum determinari non poſſe aſſerit, quo facta
ſit conceptio, nec admittendum, quod vulgari computo octavus *Te-*
19. *beth* ſeu Decembris *conceptioni Mariæ*, octavus autem Kal. Jan. natali
Dominico dicatus ſit: unde argumentum contra Chriſtianos R. Iſaa-
cus in *Chiſſuk Emuna* deſumpſerit, quod ipſum *illis diſcutiendum ma-*
20. *lit relinquere, qui feſtum illud obſervent.* Tametſi brevi ſatis via ſe-
ſe expedire clariſſimus Autor potuiſſet. Licet enim Calendaria
natalem Domini in 25. Dec. *conceptionem Mariæ* in 8. Dec. reponant,
non tamen id abſurdi inde ſequitur (quod *R. Iſaaco* illi videtur) dies
ſolum 17 interceſſiſſe inter nativitatem & conceptionem Ser-
vatoris; cum *conceptio Mariæ*, 8. Dec. celebranda, non ſit ea,
qua Maria concepit, ſed qua concepta eſt, quæque novem menſibus
poſterior eſt ejusdem *nativitate*, in faſtos eccleſiaſticos d. 8. Sept.
relata. *Conceptio* vero *Chriſti* in utero Mariæ, in 25. Mart. referen-
da foret ex illorum hypotheſi, qui 25. Dec. natum eum eſſe aſſeve-
rant. §. 9. de παρθενίοις ſive virginitatis notis ex occaſione vo-
24. cis παρθένος ad Deut. XXII, 14. & παρθενεύσει, ſive cuſtodia virgi-
40, 41. num in thalamo munitiſſimo, ex Græcis veteribus non pauca
annotat. §. 15. de angelorum locutione poſtquam in utram-
que partem plura diſputaſſet, nihil tamen determinaſſet, ad ipſa
angeli verba accedit, quorum primum χαῖρε revocavit ei in
memoriam *Stephani le Moyne* conjecturam, nomen *Chartæ* ex
voce

Digitized by Google

voce omnium *chartarum* (h. e. epiſtolarum) initiali χαίρειν derivandum. §. 18. pro certo habet, Græcos veteres, ut & Latinos, Deos ſuos nunquam vocaſſe Dominos: at cur LXX. interpretes divina nomina אדני & יהוה voce Κυρίου expreſſerint, & num antiqua adeo conſuetudo fuerit, ut Judæi trecentis ante Fl. Joſephum annis pro יהוה legerint אדני dubitat; tandemque argutam Jo. Pearſonii ſententiam recitat, יהוה potius per vocem Κύριος redditam eſſe, quod eandem utraque vox originem & ſignificationem habeat; quemadmodum enim ab הוה *eſſe*, apud Hebræos deſcendat יהוה, ita apud Græcos ἀπὸ τοῦ κύρειν, h. e. ὑπάρχειν, τυγχάνειν, *eſſe*, *exiſte-* pag. 62.
re, derivari nomen Κύριος. Significationem hanc τοῦ κύρειν *Pearſonius* probavit ex *Heſychio*, *Sophocle*, *Euripide*, *Æſchylo*, quorum ultimus e. g. in *Perſis* inquit: σεσωσμένος κυρεῖ, hoc eſt, juxta Scholiaſten Græcum Arundelianum, ὑπάρχει σεσωσμένος, *ſervatus EST.* Cum Luc. II. Salvator *Filius* ὑψίστου vocandus dicitur, de Hebr. עליון (quo demum nomine Deum afficere Cadmus Thebanos edocuerit) prolixe diſſerit, & conjecturas Seldeni, Petiti ac Bocharti ſuper Punico iſto Plauti verſu

Ythalonim vualonuth ſi chorathiſima comſyth 102.

(uti concipitur in Plautina editione Gronovii) allegat, omnesq; in eo convenire ait, quod *alonim vualonuth* velint eſſe עליונים ועליונות
nisi quod *Stephanus Le Moyne* malit legere אלהים ואלהות, a 103.
cujus conjectura diſſentit, rationibusque diſſenſum confirmat. Cæterum ex ejusdem *Le Moyne* Variis Sacris, occaſione ſolii Davidis, locum difficilem *Apoc. III, 21.* illuſtrat; fuiſſe nimirum Regum orien- 115.
talium ſolia lata admodum & ampla, ubi non unus tantum, *ſed quam plures poterant loca ſua occupare.* Ad vocem γινώσκειν, qua B. Virgo *Luc. I, 34.* utitur, plura e profanis annotat, quæ inter illuſtris Cæſaris locus eſt, ubi ille de Germanis, *intra annum*, inquit, *vigeſimum* 125.
fœmina notitiam habuiſſe, in turpiſſimis habent rebus. In tanto interpretum *Luc. I, 35.* diſſenſu, quid per δύναμιν ὑψίστου intelligatur, *Gomari* ſententiam amplectitur, ſtatuitq; nec Dei filium, nec Sanctum Spiritum notari, ſed *DEI potentiam*, quæ verborum eſt nativa ſignificatio. Cum enim quid futurum prædixiſſet Angelus, miratam quærendo eſſe, & mirando quæſiviſſe Mariam: cui Angelus h. l. reſpondeat, efficacia S. Spiritus concepturam virginem; ſed &,

P 3 tutam

pag. 151. *omnium non eſſe tantam, ut ipſorum in hac re teſtimoniis adhibenda ſit fides*, nullo argumento idoneo, nulla probabili conjectura ſtatui.
252. Exiſtimare itaque ſe libentius, Matthæum ipſum Evangelium ſuum ſcripſiſſe Hebraica lingua, non veteri illa pura, ſed quæ ſuo tempore apud Judæos in Palæſtina & Hieroſolymis uſitata fuerit, ac *Chaldaica* vocari poſſit, vel *Syriaca*; atq; hoc ipſum ab aliquo *Apoſtolo* vel *Apoſtolico viro* fuiſſe Græce verſum, unde eadem ſit tam Græci quam Hebraici exemplaris autoritas. Deinde & illud ſe credere facilius, Patres Græcos, qui Hebraiſmi fuerint admodum imperiti, neglecto Matthæi textu Hebraico, adhæſiſſe verſioni Græcæ LXX. ſenum: *Nazaræos* vero, progeniem eorum, qui primi in Palæſtina Chriſti fidem fuerint amplexi, ſed a Judaiſmo divelli plane non potuerint, Judaicasque cerimonias cum evangelio voluerint jungi, (de quibus cum alii, tum ſæpe Hieronymus, præſertim ad Auguſtinum epiſtola, & accurate admodum Epiphanius,) *retinuiſſe Hebraicum exemplar Matthæi*, quoniam Hebraiſmi fuerint peritisſimi, atque etiam libros
253. antiqui fœderis legerint Hebraice, eodem teſte Epiphanio hæreſ. 29. n. 7: ſed huic *Nazaræorum* codici, qui communis etiam Ebionitis fuit (ſic tamen ut Ebionitæ illum habuerint mutilum, deleta nempe tota Chriſti genealogia, & quæ ſequuntur ad eum locum, in quo Jeſus a Joanne baptizatus dicitur, cum eum natum vellent ex concubitu Joſephi) narrationes quasdam, auditu perceptas, non a Matthæo ſcriptas, lapſu temporis adſutas; unde nata diverſitas inter codicem ipſorum Hebraicum, &, quod nos habemus, exemplar Græcum, factumque, ut a quibusdam inter ſcripta adulterina fuerit recenſitus. *Denique & hoc ſtatuerem*, (inquit Autor,) *Græcum evangelii exemplar, ab omnibus Græcis Patribus receptum, ad noſtra tempora permanſiſſe integrum, atque ex eo adornatas etiam Verſiones antiquisſimas, Hebraicum autem ſupereſſe nusquam.* Quæ cum ita propoſuiſſet, ſubjicit tandem, malle tamen ſe de tota hac re, perdifficili ſane & perobſcura, omnino ἐπέχειν, atque aliis illam relinquere inquirendam accuratius, adeoque nec illud determinare modo ſuſtinere, *an aliquot in locis a Matthæo ipſo, an ab Interprete antiquisſimo, adjectæ ſint interpretationes Græcæ*, qualis & hæc eſt, quæ ſubjungitur nomini Emmanuel, ὅ ἐστι μεθερμηνευόμενον, Μεθ' ἡμῶν ὁ Θεός. *Capite III.* ipſum *Jeſu natalem Bethlehemiticum* ex *Luc. II, 1—7.* conſiderat. Et §. quidem

quidem 3. late diſquirit, unde factum, quod annum imperii Cæſaris pag. 285.
Auguſti, quo δόγμα iſtud publicatum fuit, non expreſſerit Scriptor
tam diligens, quique annum imperii Claudii Tiberii, quo Joannes baptizare incepit, notavit tam expreſſe? tandemque rationem
dari hanc poſſe ait, quoniam *annorum Auguſti varia conſtituantur* 291.
initia. Bene tamen eſſe, quod ipſe Lucas, quamvis hunc Auguſti 292.
annum non deſignaverit expreſſe, adeoque videri poſſit annum Chriſti natalem reliquiſſe incertiſſimum, annotaverit tamen hoc in ſuo Evangelio characteres quosdam ac temporum notas, ex quibus cuivis, ſimplici fide, pietate, ac debita induſtria inquirenti, facile ſit annum Jeſu natalem quam proxime eruere ac demonſtrare. Narrare enim eum c. III, 1. anno XV principatus Tiberii verbum Domi- 292.
ni factum ad Joannem, eumque ad prædicandam pœnitentiam & baptizandum prodiiſſe. Addere v. 21. Jeſum quoque eodem tempo- 292.
re a Joanne baptizatum fuiſſe, verbisque, καὶ αὐτὸς ἦν ὁ Ιησοῦς ὡσεὶ ἐτῶν τριάκοντα, innuere diſerte, Salvatorem, cum baptizaretur, *annorum* fuiſſe *XXX,* non præciſe quidem, ſed ut in diebus quibusdam eſſet differentia: neq; enim ὡσεὶ ſic indefinite ſumptum anni diſcrimen facere, ſed dierum tantum paucorum, & unius alteriusve menſis. Atqui incipere annum XV principatus Tiberii anno Juliano LXXIII, XIV Kal. Septemb. *Ap. Junio Sillano, P. Silio Nerva Coſſ.* finirique ſequenti anno LXXIV, eod. menſis Aug. die XIX. C. Rubellio, C. Fuſio Geminis Coſſ. Statim enim Auguſto in imperio ſucceſſiſſe Tiberium, deceſſiſſeque Auguſtum anno Juliano LIX, XIV. Kal. Septembr. *ut omnes Scriptores conſentiant;* unde haud obſcure colligatur, Jeſum vel *anno Juliano XLIII. vel XLIV* natum. Etenim ſi haud procul a medio vel etiam fine anni XV principatus Tiberii ea fuerit ætate, annum ejus natalem, Julianum XLIV. fuiſſe. Quodſi vero non procul ab initio anni XV Tiberii Jeſus expleverit fere annum ætatis XXX, ipſius natalem in annum Julianum XLIII incidere. Id quod e Matthæo, ex *Herodis M. chronologia*, probare etiam ſatagit, potiusque exiſtimat, cum Herodes ille M. anno Juliano XLIV. ineunte deceſſerit, *ſtatuendum, Salvatorem non anno XLIV, ſed XLIII in lucem fuiſſe editum*, quippe vivo
adhuc Herode, imo non vivo tantum, ſed ita ut inter diem ejus nata- 294.
lem & Herodis mortem aliquod interceſſerit ſpatium temporis.

Digitized by Google

Unde pateat, annum hunc natalem Dionyſiana, quam vocant, epo-
pag. 295. cha *integro biennio* collocari ſerius, quam revera ipſe Dominus ſit
304. natus.

§. 5. receptam opinionem, qua πᾶσαν τὴν οἰκουμένην a Luca dictam eſſe ὑπερβολικῶς de ea orbis terrarum parte, quæ parebat Romanis, ſtatuitur, rejicit, & *totam* potius *terram Iſraelis*, eamque *ſolam* notari aſſerit. Quippe Cæſarem Auguſtum juſſiſſe edicto, ut cenſus ageretur per totum orbem Romanum, neminem veterum prodidiſſe memoriæ, *nec veriſimile quidem eſſe*, *talem unquam ab Auguſto factum*. Ex Claudii enim Imperatoris verbis apud
302. *Gruterum* Inſcript. p. 502. palam fieri, raro per provincias cenſus habitos, quod *opus arduum nimis magno experimento* cognoſceretur. Vix nimirum ſine periculoſis tumultibus in Romanis provinciis *vel ſemel* factum conſtitiſſe. At, ſi cenſus res fuerit tam ardua, quamvis nihil ultra, quam ut publice notæ eſſent facultates, exquireretur,
304. cui credibile fieri poſſit, ſimul ab Auguſto cenſum totum orbem Romanum? Se itaque facile in animum inducere ſuum, per πᾶσαν τὴν οἰκουμένην tantum intelligendam eſſe totam eam regionem, quam iſto tempore ſub imperio ſuo habebat Herodes. Atque hanc ſententiam ſuam ex uſu quoque loquendi Scripturæ probat, quæ כל ארץ *omnis terra*, frequenter dicit de regione aliqua, ut ea intelligatur integra, omnesque iſtius partes comprehendantur. Id quod LXX quoq; Interpretes non ſemel per πᾶσαν τὴν οἰκουμένην expreſ-
308. ſeſint, Eſ. XIII, 5. XIV, 26. Quæ opinio ſi admittatur, omne tolli dubiū, *qui* ἀπογραφῆς *illius oecumenicæ, univerſi ſcilicet Romani Imperii*, cujus Lucā meminiſſe indocti doctiq; exiſtiment paſſim, nulla reperiatur mentio in Hiſtoria pagana? in quo ſolvendo fruſtra fuerint viri eruditisſimi, & imprimis *Fridericus Spanhemius*.

Luc. II. 2. commodiſſimū exiſtimat ſenſum eſſe: *Hæc deſcriptio* πρώτη *prius* vel *ante* facta eſt, *quam præſideret Syriæ Quirinus*; & cum iſtā conſtructionem in Scripturis uſitatam oſtendiſſet, rationem ſubjungit, quæ ſuadeat, hanc ipſius Lucæ mentionem fuiſſe. Nimirum, cum jam duæ, dum iſta ſcriberet Lucas, factæ fuiſſent deſcriptiones, (prior ex edicto Auguſti, nuda ἀπογραφὴ πάσης τῆς οἰκουμένης, ſeu *recenſio* hominū in univerſa terra Iſraelitica, quæ ea tempeſtate Herodi parebat; poſterior vero ἀποτίμησις τῶν ὄντων, *cenſus facultatum* in illa

in illa Tetrarchia ſola, quæ Archelao, Herodis filio, fuerat ſubje-
cta, idque ex cauſa tum demum nata, quod illa terræ portio, Arche-
lao in exilium pulſo, redigebatur in formam provinciæ,) priorem
h. l. deſignare Lucam putat, cavereque adeo voluiſſe, ne quis puta-
ret, intelligi illam celebrem ἀπογραφὴν, quæ *a Quirino* & *ſub Qui-
rino, Syriæ Præſide*, peracta fuerit. Etenim ſi id narraſſet ſolummo-
do, quod ἐξῆλθε δόγμα παρὰ Καίσαρος Αὐγούστου ἀπογράφεσθαι
πᾶσαν τὴν οἰκουμένην, de nulla alia cogitare proclivius fuiſſet, quam
de illa notiſſima, quæ Judæam fecit tributariam Imperii Romani pro- pag. 335.
vinciam, & ideo præcipue ac ſimpliciter tunc appellabatur deſcri-
ptio. At priorem illam deſcriptionem, remotiorem quippe nulla- 333.
que re memorabilem, & Auguſti quidem juſſu, ſed ab Herode, ut
Socio Romanorum, non ὑπηκόῳ peractam, notam adeo non fuiſſe.
Nec eſſe quod miretur Valeſius, eam a Joſepho prætermiſſam fuiſſe:
hujus enim ἀπογραφῆς ideo non meminiſſe *ſcriptorem maximum*,
quoniam nihil novi continuerit atque inſoliti. Fruſtra quoque op-
poni a Valeſio, *Act. V. 37.* unius tantum deſcriptionis fieri mentionem;
quia ſi unica tantum fuiſſet, non autem duæ, omnino ſupervacanea 334.
foret hæc parentheſis Luc. II, 2; cum econtra ex eo, quod tam parum
memorabilis fuerit prior deſcriptio, quæ Herode adhuc vivente fa-
cta, præ illa altera poſt *decem annos* ſub *Quirino* peracta, ratio dari
poſſit non improbabilis, cur Lucas ita deſignaverit priorē, ut eam fa-
ctam dixerit, *antequam Syriæ præſideret Quirinus.* Rem exemplo
Joh. XIV, 22. illuſtrat, ubi Johannes Judam, de quo ſibi ſermo ſit,
non Iſcariotam eſſe ait, quo ille nomine cavere voluerit, ne intelli-
geretur is, qui tunc ſuo ſcelere erat celeberrimus: ita Lucam quo-
que h. l. ſatis habuiſſe, id monere, deſcriptionem, cujus meminit,
aliam fuiſſe ab illa celeberrima, quæ facta Præſide Syriæ Quirino.
Quæ ſi admittatur interpretatio, nullum dubium, nullam difficul-
tatem eſſe in verbis hiſce, eaque cum Joſephi Hiſtoria optime con-
venire exiſtimat. §. 16. modum involvendi infantes faſciis, ut ma-
nus æque ac pedes conſtringerentur, exponit, talemque infantem
faſciis involutum ex *Chiffletio* exhibet, ut & duos alios, alterum in 353 354.
nummo *Antonini Pii*, in cujus averſa parte, juxta Petrum Seguinum
cernitur partus Fauſtinæ, alterum in nummo *Corneliæ Saloninæ Augu-
ſtæ*, quam Galienus duxit uxorem. Cap. IV. de *Paſtoribus Bethle-* 369.

miticis, quibus Angeli indicio natalis Chriſti innotuit primum, ad ductum Luc. II. 8–20. agitur. Et *de die quidem*, quo natus Salvator & facta iſta annunciatio ſit, poſtquã ex variis veteribus atq; recentioribus prolixe diſſeruiſſet, nihil tandem omnium iſtorum conatu effectum eſſe concludit, quam ut merito uſurpari poſſit Terentianum
pag. 414. illud: *Feciſtis probe, incertior multo ſum quam dudum.* §. 18. locum multis alias interpretationibus obnoxium ita explicat Luc. II, 14,
428. ut ſua ex ſententia dicant Angeli, quod *ἐν ἀνθρώποις εὐδοκία* ſit δόξα ἐν ὑψίστοις θεῷ καὶ ἐπὶ γῆς εἰρήνη, h. e. quod *benevolentia erga homines*, ſit *Dei gloria in altisſimis* & *pax in terra*, q. d. gratuitam Dei benevolentiam, qua in nato Servatore homines amplectitur, fontem & cauſſam eſſe, quare Deo in cœlis tribuatur gloria, & in terra pax ſit. Ad eundem locum de pace, quæ ſub iſtud tempus Auguſto imperante fuit, diſcurrit, Janumque Geminum ab eodem Imp. TER clauſum eſſe aſſerit. Ita enim in Suetonio *Aug. c. 22.* legendum eſſe; non autem cum Beroaldo Langioque ſcribendum, *tertio clauſit*.

SECUNDUS LIBER quatuor item, *ſed brevioribus*, abſolvitur capitibus, quorum primo *veritas Hiſtoriæ Evangelicæ* de natali Jeſu Chriſti demonſtratur. Argumenta petit tum ex eo, quod
456. Matthæus & Lucas eorum, quæ poſteritati de natali hoc tradiderunt, accuratam certiſſimamque habuerint *notitiam*, atque a *mentiendi* voluntate ac conſilio fuerint alienisſimi; tum ex *ſuffragiis exterorum*, atque illorum, qui a fide Chriſtiana diſſentiunt conſenſu, adhibitis *Huetio*, *Mornao* atq; aliis. Cap. 2. convenientia Hiſtoriæ Evangelicæ de natali hoc cum *priſcis vaticiniis*, Eſ. VII, 14. Jer. XXXI, 22. Gen. IV, 14, 15. Mich. V, 1. Dan. II, 44, 45. Jer. VII, 8. IX, 5, 6. &c. oſtenditur, adductis Judæorum prò Meſſia teſtimoniis. Cap. 3. fabuloſæ narrationes de natali Jeſu Chriſti & vana argumenta exploduntur.
527. Ubi tanquam commentitium & illud rejicit, quod a multis refertur inter mirabilia, quæ circa Chriſti natalem, aut aliquanto prius accidiſſe narrantur, celeberrimum Delphici Apollinis Oraculũ non amplius uſitata dediſſe reſponſa, cauſamq; tanti ſilentii dixiſſe Puerũ *Hebræum*. Apertum enim perſpicuumque eſſe ait, circa Chriſti natalem, aut aliquanto prius, non deſiiſſe oracula eo in loco reddi; quin nec *poſt ipſam Servatoris mortem*, Neronis exemplo probat, quem

quem vanum conſultorem *ambiguo, ut ſemper, reſponſo Apollo* decepit. Neque conticuiſſe vel Plutarchi ætate, vel Luciani, quod in *Vate* etiam ſuo *Petrus Molinæus* obſervaverit. Ut mirum ſit, Mornæum tam longe progreſſum, ut dicere non dubitarit, teſtari Ciceronem, ſuis temporibus oracula UBIQUE DEFECISSE: cum tamen perperam ita intelligatur nobilis ille Ciceronis locus; haudquaquam enim illum de ſilentio Delphici Apollinis, ac ſi ille *plane obmutuiſſet*, interrogare, ſed *cur non numero verſuque pronunciet amplius?* Pari loco habenda eſſe ait, quæ de ara ab Auguſto in Capitolio erecta cum inſcriptione: ARA PRIMOGENITI DEI, narrentur, cum præter *Suidam* & *Nicephorum* nemo vetuſtiorum de ea quicquam prodiderit. Similiter eorum opinionem removet, qui virgineum Mariæ partum probant ex Sibyllinis carminibus, ex quibus Maro cecinit: *jam redit & virgo.* Alias, quas ibidem allegat, fabellas mittimus. Quemadmodum nec Judæorum afferre calumnias volumus, quas Cap. IV. refellit, ex *Igneis* maxime *Telis Satanæ*, quæ *Wagenſeilius* in lucem emiſit publicam, deſumtas.

pag. 528. 529. 537. 542.

In *Diſſertatione* de *Circumciſione* textum *Luc. II, 21.* ſequitur, eumque explicat. Et §. quidem 5. prolixe in rationes inquirit, cur circumciſioni ſacratus a Divino Numine fuerit *octavus dies?* e quibus memorabilem imprimis a *Jo. Spencero* datam affert, Deum nempe ita præcepiſſe, ut infantes, in ejus quaſi familia natos, quamprimum per eorum infirmitatem licuit, præoccuparet, & caveret, *ne cerimonia aliqua ſuperſtitioſa tum temporis uſitata, Deo alicui falſo in clientelam traderentur.* §. 13. rationem, cur Deus בשר ערלתכם *carnem præputii* Iſraëlitarum circumcidi in ſignum fœderis voluerit, iſtam eſſe putat, quod DEUS Abrahamo *numeroſam* addixerit *prolem* (inſerta eapropter litera ה ex המון, quæ *multitudinem* ſignificat;) *unde nihil aptius, magisque conſentaneum fuerit, quam ut ſignum fœderis ipſis genitalibus imprimeretur, ſolique mares ea lege tenerentur.* §. 21 Ægyptios circumcidendi ritum neutiquam a Judæis aut Joſepho, inter ipſos commorantibus, mutuatos eſſe ſtatuit. Nec ſibi placere teſtatur *Jo. Marshami* in Can. Chron. p. 73, 74. *edit. Lipſ.* ſententiam, qua Ægyptios omnium primos poſuiſſe præputia, adeoque circumciſionem Judaicam a Moſe quidem & Patriarchis proxime, remote vero ab

pag. 16. 20. 21.

 Ægyptiis

pag. 29. Ægyptiis, divino tamen juſſu fluxiſſe ſtatuit. Nam cum Deus circumciſionem præceperit in ſignum fœderis, quo Abrahamo numeroſam addixit prolem, *conſenſum inter ſignum promiſſionemque maximum* oſtendere putat, non æmulatione quadam Ægyptiorum, ſed ſapienti admodum conſilio, obſcænas partes juſſas circumcidi. Denique & a *Spencero* diſſentit, qui ceu omnes fere Judæorum ritus, ex gentium moribus atq; inſtitutis ſuam habere originem, magno
30, 31. molimine perſuadere conatus fuit erudito orbi; etiam *morem illum*, eo die, quo circumcidebatur infantulus, *nomen eidem imponendi*, a veteri gentium uſu ortum traxiſſe exiſtimat. Nec rationes
32. 24. Spenceri id evincere concludit. Tandem verba Gen. XVII, 14, (quæ niſi ita vertantur, tot diſſidiis locum faciant) reddenda eſſe aſſerit: *qui non circumciderit carnem præputii ſui;* non cum Græcis LXX. ὃς οὐ περιτμηθήσεται; cum verba minacia diſtringantur tantum in hominem, qui circumciſionem ſuam curare ipſe poteſt, eamque deliberato negligit animo.

Hactenus excerpta ex initio magni illius operis, quo doctiſſimus Bynæus vitam Chriſti Servatoris illuſtrare aggreſſus eſt. Hoc ubi ad umbilicum perduxerit, *commentarios*, quos adfectos habet, DE VESTITU HEBRÆORUM, perpolire ac publica luce dignos reddere, pari ſtudio allaborabit.

LA FRANCE INTERESSE'E A RETABLIR L'Edit de Nantes. i. e.

Demonſtratio, quod interſit Galliæ, ut edictum Nannetenſe redintegretur.

Amſtelodami, apud Henricum Desbordes, 1690, in 12.

Conſtat plagulis 12.

IN Actis anni præteriti p. 260. Anonymi tractatum retulimus, quo jus & valorem edicti Nannetenſis, quod Reformatorum in Gallia veluti Palladium fuit, inſignibus argumentis aſſertum ivit. Ejus laborem laudat novi hujus libelli Autor, & argumentis ejus quandoque utitur; neque tamen retineri ſe paſſus eſt, quo minus zelum ſuum in edendo hoc ſcripto exſereret, indignitate, ut ait, rerum quæ ſucces-

ſucceſſerunt incenſus, & nimiam moderationẽ aut frigus priori autori imputans. In præfatione diſſerit, quam neceſſaria ſit Regibus & Principibus circumſpectio & prudentia, quâ in *Sereniſſimis Electoribus Brandenburgicis* laudat, ut ſub potentisſimæ Domus hujus patrocinio vivere videatur. Regem vero Galliæ, ſapientiſſimum licet & ſagacisſimum, deceptum tamen a ſuis fuiſſe contendit, ut quæ Henricus IV avus cum ſumma regni utilitate ſtabiliverit, pater Ludovicus XIII conſervaverit, ipſe cum maximo damno ſuo deſtruxerit. Addit & rejicit, ut falſas & frivolas, omnes accuſationes a Clero Gallicano adverſus Reformatos, ore Archiepiſcopi Senonenſis & Epiſcopi Valentiæ, aut ſcriptis A. 1685 editis propoſitas.

In tractatu tria demonſtranda ſumit. (1) Regem a Clero deceptum fuiſſe, & ex honeſtate atque utilitate ad corrigendum errorem & reſtituendum edictum obligari. (2) A Gallis Romano-Catholicis abrogationem edicti nec debuiſſe, nec potuiſſe approbari. (3) Horum quoque intereſſe, ut illud propediem reſtabiliatur. *Parte* cap. 1. 4.
prima, adductis inſignium autorum locis demonſtrare vult, Reges jure publico & pactis ſuis obſtringi, & rejicit tanquam cavillos aut viles adulationes, quæ in contrarium a Clero allegata fuerunt. Edictum Nannetenſe non gratuitam conceſſionem, aut privilegium arbitrio dantis revocabile, ſed firmum & obligatorium, itemque legem & regulam immutabilem fuiſſe ſtatuit. Hujus autem infractione legem naturæ, Evangelicam, & ipſorum Romanorum principia violata, & exemplum vicinis Regibus & Poteſtatibus datum eſſe ſcribit, ex quo non immerito metuere poſſint, nullis pactis Galliæ Regem ſtaturum eſſe. Sequuntur quædã de horrendis in Reformatos 5.
perſecutionibus, quas tamen effectu caruiſſe putat, quia ipſi perſecutores illis, quos per violentiam converterunt, non fidunt, omnemque illis conveniendi licentiam & armorum uſum auferunt. Prolixe etiam diſputatur contra uſum armorum, quibus religio hominibus inculcatur, ex celebribus Gallorum ſcriptoribus, *Petro Matthæo* 6. 7.
& Mezerayo. Non tacet Autor exempla motuum, qui ex deſperatione & olim ſecuti ſunt, & nuperrime in Anglia extiterunt; neque tam infirmos Reformatos eſſe in Gallia putat, quin cum extremo regni periculo inſurgere, & ſeſe in priſtinam libertatem vindicare valeant, putatque id jure & absque rebellionis crimine fieri poſſe. In- 8.
terim

Digitized by Google

terim damna jam illata conſiderat, imminutum incolarum regni numerum, exportatam ab exulibus magnam vim pecuniæ, ſumtus Regi impendendos ad conſtruendas arces domandis civitatibus, & ad cuſtodiendos fines, ne plures emigrent. Inſigni elogio mactat *Mareſchallum Schombergium* & filios tot meritis illuſtres, quorum uſu privaverit ſe Gallia, ut & multorum aliorum, qui militia, literis aut egregiis opificiis clari artes illas ſuas in peregrinas terras tranſtulerint.

cap. 1. Parte *ſecunda* male factum eſſe oſtendit a Gallis Catholicis, quod in oppreſſionem Reformatorum conſenſerint, quorum tamen
2. & religio purior, & vita honeſtior fuerit. Proponit & refellit objectiones, quod Clerus vim illam ſuaſerit, & Parlamenta Regni pro-
3. baverint, imo Deus ipſe ſucceſſum dare viſus ſit. Oſtendit enim multisq; exemplis confirmat, quam graviter ſæpe ſub titulo Eccleſiæ aut Conciliorũ, in Gallia præſertim, peccaverit Clerus, & ut in Conciliis nationalibus, excepto uno Arauſionenſi, nihil de dogmatibus religionis, ſed tantum de litibus & criminibus Epiſcoporum tracta-
4. tum deciſumque fuerit. Progreditur ulterius & dicit, ſi ſequenda ſemper eſſent Cleri dogmata & conſilia, fore, ut neque Principum majeſtas, neque vera religio ſuperſit. Stabilitum hæc it teſtimoniis librorum ſatis notorum, quibus vel jus Regum, vel morum pietas lædi creditur. Pro exemplo allegatur Theologia moralis *Antonii ab Eſcobar* Jeſuitæ, & monetur, quod unus ex illa Societate ſcribit, ab
5. omnibus probari. Parlamentorum conſenſum extenuat, ob extremam, quam deplorat, ſervitutem, in quam Regum poteſtate redacta ſint, fatentibus id præclaris in Gallia ſcriptoribus. Citat dictum Regis in cauſa Ducis *Luxenburgici* de veneficio ante aliquot annos accuſati, quam Parlamentum Pariſienſe veteri ſuæ cognitioni aſſerere voluerit. Reſponſum enim a Rege fuiſſe tradit, cauſas fuiſſe anteceſſoribus ſuis, propter quas jus illud Parlamento permiſerint, ſibi vero
6. eſſe, ut contrarium faciat. Denique impium eſſe dicit, ut de approbatione divina ex eventu judicium fiat; ſic enim omnia, quæ Chri-
7. ſtus & Apoſtoli ejus paſſi ſint, approbari poſſe. In Epilogo ſevera cenſura & imprecatio habetur adverſus omnes, qui ad edictum revocandum & affligendos Reformatos conſilium aut opem tulerunt, aut miniſterium præſtiterunt.

Parte *tertia*, quæ breviſſima eſt, argumenta afferuntur, quæ Catholi-

Catholicos movere poſſent, ut ad reſtitutionē edicti omni quo poſſunt modo concurrant, quæ eo redeunt, ut dicat, ni id faciant, participes illos fore & culpæ & pœnæ, quam Deus regno ob injuſtitiam & ſævitiam, in tot innocentium civium millia exercitam immiſſurus ſit. cap. I.
Oſtendit etiam augmentum onerum, in tributis & militia reliquis accreſcentium, expulſo aut ad incitas redacto tanto hominum numero, quos pro commilitonibus hoſtes habituri ſint, ſi bellum externum Galliæ inferatur. Honoris etiam & famæ cauſa reſtitutionem edicti neceſſariam eſſe arbitratur, cum ejus violatione lubricæ fidei ſuſpicionem tota natio apud omnes vicinos incurrerit. Tandem Regem compellat, in compendio damna & mala ex Reformatorum perſecutione enata recenſens, & promptam ſuadens reſtitutionem.
2.
3.

HISTOIRE CRITIQUE DES VERSIONS du N. T. i. e.

Hiſtoria Critica Verſionum Novi Teſtamenti Auctore *Richardo Simone* Presbytero.

Roterod. 1690, in 4.

QUid de verſionibus Novi Teſtamenti *Latinis* Vulgatis, *Syriaca* item atque *Ægyptiaca*, notatu dignum hoc in opere afferat celeberrimus Criticus *Richardus Simon*, ſuperiori menſe p. 91. memoriæ proditum fuit. Quod attinet reliquas, monet, *Æthiopicam*, Romæ A. 1548 excuſam, non ubiq; fide antiquorum codicum niti, ſed multa ejus loca, quæ in MSC. non extabant integra, abs editoribus Teſfa Zion, Petro Paulo Gualterio Aretino & Mariano Victorio Reatino ex proprio ingenio reſtituta eſſe. In Bibliotheca *Seguierii*, Cancellarii, dum viveret, Gallici plus Æthiopicorum librorum aſſervari putat ac toto paſſim Europæo orbe. *Jobum Ludolfum* inſimulat, quod Æthiopum opiniones ad Lutheranorum placita ſæpiuſcule detorqueat. Nulli vero dubitamus fore, ut Vir ſummus aliquando fidem ſuam bonam ab hoc Simonis ἐγκλήματι vindicaturus ſit. Biblia *Armenica*, *Uſcani* opera ſtudioq;, Amſtelædamenſibus typis A. 1666. fideliſſime accurateque exſcripta, libros vero *Liturgicos* Maſſiliæ editos manum criticam Miſſionarii Romani *Thomæ Herabied* paſſos C. XVII.

 eſſe,

eſſe, obſervat. De prioribus Lectori conſtabit exactius ex Perreverendi *Andreæ Acoluthi*, Eccleſiaſtis Uratislavienſis *Obadia Armeno*, e Bibliis illis Amſtelodamenſibus excerpto, verſione Latina notisque aucto, ac ante decennium Lipſiæ elegantiſſime impreſſo. De poſterioribus incertior paulo rumor noſtris in oris percrebuit. Res vero ipſa, Simone referente, ita ſeſe habuit: Indulſerat Galliarum Rex Armenis, ut Maſſiliæ *liturgicos* ſuos *libros* imprimi curarent. His ſe oppoſuit *Thomas Herabied*, atque voce ſcriptisque probatum ivit, libros illos hæretica pravitate refertos, atque adeo indignos eſſe, qui in Eccleſiæ Romano-Catholicæ gremio in lucem ederentur. Non defuere tamen Armenis patroni, *P-------* puta, Sorbonicus Doctor, & *Pidou* Theatinus. Litigia omnia, quæ utrasque partes anno cumprimis 1681 exercuerunt, enarrare, nimis longum foret. Sufficiet attuliſſe catalogum hæreticorum dogmatum a *Thoma Herabied* e *Breviario Armenico* ſublatorum, *Morantio* regio Provinciæ Præfecto oblatum. Notatur illic, ſtatuere Armenos, Spiritum Sanctum procedere a ſolo Patre, ac in filio duas naturas converſas fuiſſe in unam. Tergemino Breviarii loco Miſſam ſolenniori aliquo feſto dicentibus ſacrificiove adſiſtentibus injungi, ut panem adorent ante conſecrationem æque ac poſt conſecrationem. Armenos precari: *Deus ſancte & potens, ſancte & immortalis, qui es incarnatus, qui es manifeſtatus, qui veniſti & venturus es, qui proditus fuiſti, qui fuiſti ſepultus, qui reſurrexiſti, qui adſcendiſti in gloria ad Patrem tuum, qui veniſti & quieviſti ſuper Apoſtolis, qui manifeſtaſti te in monte Tabor, qui veniſti ad aſſumtionem virginis matris tuæ.* Quo pacto omnes hæ actiones ad univerſam SS. Trinitatem referantur. Dicere porro eosdem: *Mater Dei, qua non fuiſti nupta.* Feſtum *Annuntiationis* quater in Breviario referri in 7. Aprilis, cum in 25 Martii referendum fuiſſet. Quinquies dici: *ſuper fidem Petri eccleſia fuit ædificata.* Barſonem & Marutam hæreticos in Breviario inter Sanctos collocari, quos Armeni invocare ſolent. Hæc non eo animo attulit *Richardus Simon*, ut refelleret; quamvis certus ſit, multiplici nomine injuriam factam eſſe Armenis, (quapropter & *Salomon de Leon* qui impenſas faciebat, mœrore Maſſiliæ extinctus fuerit;) ſed ut doceret, non *Verſionem* Armenorum *Biblicam*, (in Belgio nimirum excuſam)

cuſam) ſed ſolam *Liturgiam* ad Romanæ Eccleſiæ fidem reformatam corruptamve eſſe. Meminit dehinc prægrandis MSCti Armenici in folio, Pariſiis in Bibliotheca Regia extantis, ac *vitas Sanctorum* complexi. Uſcanus, qui poſtmodum Maſſiliæ diem extremum obiit, Sancti *Meſropi* vitam ex Manuſcripto illo Latine convertit, cujus ſumma huc redit: *Meſrop* Vardanis filius, in Haſecos in Taronenſi provincia natus, Regis ſui *Uram Scaphu* Quæſtor factus ejusque juſſu miſſus eſt in Meſopotamiam Syrorum, *Theodoſio juniore* Romanis imperante. Invenit illic characteres Armenicos. Quo facto, tota poſtmodum Scriptura Sacra tum ex Syriaco, tum ex Græco in vernaculam linguam, Iſaaci Patriarchæ & Meſropi Eznaci ac Joſephi monachorum ſtudio atque opera, translata fuit. Verſionem Novi Teſtamenti *Perſicam*, quæ in Polyglottis Londinenſibus habetur, indignam fuiſſe publica luce, Simon arbitratur, eo quod non e Græco, ſed Syriaco, illoque quidem non ſatis bene intellecto, origines ſuas repetat.

Arabicas verſiones habent tum *Copti*, tum *Melchitæ*, tum, qui in Neſtorianos, Jacobitas & Maronitas dividuntur, *Syri*, quarum beneficio illi *Copticum*, iſti *Græcum*, hi *Syriacum* textum, in Eccleſia prælegi ſolitum, intelligunt. Extat in Bibliotheca R. Galliæ n. 285. codex IV. Evangeliorum, in quo ſingulæ paginæ columna una Syriacum textum, altera hujus verſionem Arabicam exhibent. Eodem filo contextum eſt Epiſtolarum Paulinarum volumen Syriaco-Arabicum, in Bibliotheca Colbertina n. 4973. reperiundum. Nec abſimile eſt MSC. IV Evangeliorum Coptico-Arabicum in Bibliotheca Regia numero 330. notatum. Exemplar aliquod Novi Teſtamenti in uſum *Melchitarum* Græco-Arabice ſcriptum, nondum reperit Simon. Talia tamen dari, perſuadet ſibi ob *Lectionarium* illud famoſum *Leydenſe* ex Evangeliis, Epiſtolis Paulinis ac Pſalmis congeſtum, ubi ex una parte textus Græcus literis grandiuſculis ac venuſtis deſcriptus, ex diverſo vero Arabica verſio viſitur. Scripſit de eo epiſtolam Gallicam *Stephanus Le Moyne* Profeſſor Theologiæ Leydenſis, quæ operi huic inſeritur, ac in iſta tandem verba deſinit: *Valde ſimile eſt Lectionariis Eccleſiæ Græcæ, ſuſpicorque inſerviiſſe illud uſui membri alicujus Eccleſiæ Alexandrinæ, non Copti quidem Jacobitæ, ſed Melchitæ, qui, quod Græcum non ſatis intelligeret, Arabicam verſio-* C.XVIII.

non uſurpavit, utpote lingua ſibi vernacula exaratam. Recenſet deinde Simon varias editiones Arabicas typis excuſas, quarum ultima hoc titulo inſignitur: *Biblia Sacra Arabica, Sacræ Congregationis de propaganda Fide juſſu, edita ad uſum eccleſiarum Orientalium, additis e regione Bibliis Latinis. Romæ 1671.* Cum vero Editores illi Romani Arabicum ſæpisſime, non ex MSCtis, ſed ex Latina verſione emendarint, aut ſi mavis corruperint, graviter eis ſuccenſet Auctor. Obſervat e. c. *Geneſ. III, 15.* فهي تسحق *Et IPSA conteret*, legi; *1. Joh. V, 7.* illud: *Tres ſunt, qui teſtimonium perhibent*, &c. æque ac in Vulgata Latina haberi.

C. XIX. Verſionem novi Teſtamenti *Gothicam Vlphilæ* ſtudio concinnatam, Dordraci A. 1665. editam ac Thomæ Mareſchalli obſervationibus illuſtratam, cum codice Græco-Latino Evangeliorum Cantabrigienſi exacte conſpirare, adeoque pretioſum antiquitatis genuinæ monumentum eſſe, exemplis non unis probat. Memorantur & Biblia integra *Moſcovitica*, quæ *Conſtantinus*, in baptiſmo *Baſilius* nominatus, Dux Oſtroviæ, Woywoda Kioviæ, lingua Slavonica Oſtroviæ 1581. imprimi curavit. Sed ea non niſi ex *Johannis Sauberti* relatione novit Criticus noſter. Vide ſis illum *Proleg. var. lect. in Matthæum*.

C. XX. Sequitur hinc Novum Teſtamentum Græcum, tum authenticum, tum *barbarum* ſeu vulgare, Genevæ 1638. opera *Maximi Callipolitani*, evulgatum hoc titulo: Ἡ καινὴ διαθήκη τȣ͂ κυρίȣ ἡμῶν Ἰησȣ͂ Χριςȣ͂ δίγλωττος, ἐν ᾗ ἀντιπαρασώπως τό τε θεῖον πρωτότυπον καὶ ἡ ἀπαράλλακτος ἐξ ἐκείνȣ εἰς ἅπλην διάλεκτον μετάφρασις ἅμα ἐτυπώθησαν. Exemplo uno alteroque de methodo *Maximi* lectoribus noſtris ſatis bene conſtabit. v. g. *Matth. VI. 11.* fontes Græci ita fluunt: Τὸν ἄρτον ἡμῶν τὸν ἐπιȣ́σιον. At Verſio h. m. τὸ ψωμί μας τὸ καθημερινὸν, *panem noſtrum quotidianum. Joh. VIII, 25.* Græca iſthæc τὴν ἀρχὴν ὅ, τι καὶ λαλῶ ὑμῖν, vertuntur: ἐκεῖνος εἶναι ὅπȣ σᾶς λαλῶ ἀπὸ τὴν ἀρχὴν, *ille ſum, qui vobis loquor ab initio.* Sæpe ſcholia marginalia adjecit Interpres, accurata ſane ac magni æſtumata a Simone. V. g. *Matth. VII, 23.* verba: *Ego vos non cognovi*, vertit: ȣ̓δὶ ποτὲ δὲν σᾶς ἐγνώρισα, ſcholionque hoc addidit: ἤγȣν δὲν σᾶς ἠγάπησα ποτὲ, *non amavi vos unquã. Act. VI, 1.* ad verba verſionis ἐγόγγυζαν οἱ Ἑλληνισαὶ εἰς τοὺς Ἑβραίȣς, annotavit ſequentia

tia *Maximus*: Ἑλληνιςὰς ἐνταῦθα καλεῖ τὺς Ἑβραίυς τὺς διαλεγομέ-
νυς ἑλληνιςὶ. Ἑβραίυς ἢ τὺς καὶ τῷ γένει καὶ τὴν γλῶτταν ὄντας. i. e. *Helloniſtas heic vocat Hebræos Græce loquentes. Hebræos vero, qui & genere & quoad linguam tales ſunt.* Dum *Ebræas* Verſiones enarrat *Richardus Simon*, meminit & MSCti alicujus ſui, a Judæo Italo, ſtylo nitidiore, quam qualem in *Munſteriana* & *Tibana* editionibus deprehendes, exarati. En ejus titulum:

זה ספר ישוע וקורין אותו בלעז אבנגליון שחיבר מטיאו
מענין ישו הנוצרי · ואין להאמין בו כי כלו שקר וכזב:

i. e. *Hic eſt liber Jeſu, quem vulgo vocant Evangelium, quemq; compoſuit Matthæus de Jeſu Nazareno. Non vero credendum eſt ei, quia totus mendacium & impoſtura eſt.* Recentiſſima verſio quatuor Evangeliorum Ebræa prodiit Romæ 1668 in folio, opera *Joh. Baptiſtæ Jonæ*, Judæi converſi ac Profeſſoris linguæ Ebrææ in univerſitate Romana, ſumptibus *Congregationis de propaganda fide.*

Acceditur deinde ad Latinas recentiores Deſiderii *Eraſmi* Rote- C. XXI.
rodami, Santis *Pagnini*, *Ariæ* Montani, *Leonis* Judæ, Sebaſtiani ſeq.
Caſtalionis & Theodori *Bezæ*, nec pauca de ſingulis notatu digna, ſed, ne aliis locus deſit, heic omittenda obſervantur. Mox ex verſionibus
vernaculis enarrantur *Franconica* ſive Teutonica *Otfridi*, a Flacio C. XXVII.
edita; porro Gallicæ *Guiſcardi Molinæi*, *Nicolai Oreſmii*, Antvverpi- —XXXIX.
enſis, Genevenſes variæ, *Sebaſtiani Caſtalionis*, Lovanienſe, s*Renati Benedicti*, *Beſſei*, *Friſonis*, *Corbini*, *Veronii*, *Marollii*, *Amelotti*, *Go-*
delli atq; Montenſis. Sigillatim Simon ſtatuit, Nicolaum *Oreſmium* C. XXVIII.
mortuum A. 1377. nullam verſionem Bibliorum concinnaſſe, utut id, poſt alios, *Anonymus* ille aſſeveret, cujus librum ad *Acta 1689 p. 177.* retulimus, quemque Antonium Arnaldum vulgo credi, ex *Critici* noſtri relatione compertum habemus. Verſionem vero illam, quæ Oreſmio tribuitur communiter, non eſſe aliud quicquam præter *Petri Comeſtoris* hiſtoriam Biblicam, a *Guiſcardo Molinæo* A. 1297. Gallice verſam. Godelli Epiſcopi Vincienſis *verſionem explicatâ* maximopere laudat. In *Amelotti* vero & *Montenſem* ſeveriſſime animadvertit.
Ex *Italis* interpretibus memorantur *Jacobus de Voragine*, nun- C. XL.
quam impreſſus, nec viſus Autori, *Nicolaus de Malherbis* ſive *Ma-*
lermius, *Antonius Brucciolius*, *Johannes Deodatus*. Inter *Hiſpanicas* C. XLI.
verſiones eminet illa, quæ *Cypriani de Valera* nomen præfert, potiori tamen jure *Caſſiodoro Reyna* in acceptis ferenda eſt, utpote

qui A. 1596 in Germania, ſuppreſſo loci nomine, eam ediderat, cum Cyprianus tantummodo paucis in locis emendatiorem red-
C. XLII. dere ſtuduerit. Ubi de Anglicis agit Richardus Simon, eadem fere in medium affert, quæ nos nuper *Sect. IV. Supplementorum ad Acta Erud. p. 184.* ex præfatione in Biblia Anglica *Matthai Poli* excerpenda duximus. Hibernicas dein Wilh. *Uſſerii* & Wilh. *Bedelli* editiones recenſet, de quarum poſtrema quædam & nos diximus in relatione de *vita Bedelii*, a *Gilberto Burneto* compoſita, id quod benevolus Lector *Actis 1686. p. 239.* addere poterit. *Indicam* verſionem in uſum incolarum Novæ Angliæ A. 1663. Cantabrigiæ excuſam fuiſſe, ſub
C.XLIII. capitis finem adnotatur. Capite *ſequenti* verſiones *Germanica* & *Belgica* Noſtratium, Reformatorum, Remonſtrantium, Sociniano-
C.XLIV. rum, Romano-Catholicorum; *ultimo* denique *Danica*, *Suecica*, *Norvagica*, *Islandica*, *Lapponica*, *Polonica* enumerantur. Sed hæc de *libro* hoc Hiſtoriæ Criticæ Novi Teſtamenti *ſecundo* dixiſſe ſufficiat. Reſtat liber *tertius*, de *Commentatoribus* acturus, quem quin celeberrimus auctor, quamprimum licuerit, publici juris facturus ſit, nulli ambigimus.

NOUVELLE OSTEOLOGIE, OU L' ON EXplique mechaniquement la formation & la nourriture des os, &c. i. e.

Oſteologia nova, in qua oſſium formatio & nutritio mechanice explicantur, una cum ſceleto fœtus & diſſertatione de inceſſu hominis ac animalium, avium volatu & natatu piſcium.

Pariſiis, apud Laurentium d' Houry, 1690, in 12.

Conſtat plagulis 16.

OSteologiæ utilitatem æque ac jucunditatem Anonymus noſter ex eo cum aliis deguſtans, quod corpori noſtro ſolida non minus baſis ſuppeditetur ac figura proportionata membris ejusdem concilietur ab oſſibus; hæc in præſenti, tum in genere, tum in ſpecie, emedullare annititur. In genere oſſa contemplatus ut partes corporis omnium duriſſimas inſertioni muſculorum & reliquis partibus

partibus cunctis ſuffulciendis dicatas, quæ ex iisdem plane fibris, i. e. venis, arteriis, nervis & vaſis lymphaticis coagmententur, ac muſculi ipſi & tendines, utpote in fœtu quinque vel ſex ſeptimanarum inter ſe & oſſa minus diſtincti. Unde quemadmodum oſſa ovulo jamdum ſub fibrarum abbreviatarum ſchemate inexiſtere concipit, ita inſtar aliarum partium ſolidarum noſtri corporis, quæ faſciculi ſaltem videantur fibrarum ſeu filamentorum perforatorum, in interſtitiis ſuis longum veſicularum inter ſe patularum tractum recondentium, oſſa quoque fibrarum, ſpeciatim tendinoſarum, ſeu ipſorum tendinum productiones eſſe reputat, ab hiſce muſculorum tendinibus non niſi duritie paulatim ſuperveniente diſtantes, quatenus nullum occurrat os, cui tendo aliquis non inſeratur, nec tendines, aut cartilagines & membranæ, ceu tendineorum filamentorum expanſiones, in os abeundi aptitudine deſtituantur. Sic aortam circa cordis baſin non in cervis modo & bovibus, ſed & hominibus ætatis provectioris, oſſeam ſæpius evadere, illuſtris cujusdam Viri octuagenarii exemplo confirmat. Quam hypotheſin *a Stenone*, a noſtro haud citato, *Elementor. Myolog. Specimin. p. 74.* primum divulgatam fuiſſe, ab eruditis alias minime ignoratur. Nutritionem autem osſium per intus ſuſceptionem, nec ab horum medulla, qua multa oſſa careant, nec a ſucco nervoſo, veluti imaginario, ſed a ſanguine, cumprimis particulis hujus durioribus ac minus flexibilibus, i. e. ſalinis, celebrari aſſerit, cum in animalis cujusdam recens mactati oſſe fracto guttulæ ſanguineæ nondum fixatæ omnino appareant, analyſi vero chymicæ oſſa expoſita in deſtillatione, præter phlegma & oleum fœtidum, multum ſalis volatilis ſuggerant, relicto capite mortuo, craſſius ſulphur & potiſſimum fixas terreſtres ac ſalinas particulas comprehendente; indicio evidenti, materiam oſſium a principio ſanguinis terreo-ſalino dependere, ſulphurque inſtar glutinis iisdem moleculis ſtrictiſſime uniendis ac in ſubſtantiam perquam ſolidam compingendis inſervire. Medullæ interim, ceu oleoſæ ſanguinis portioni omnium depuratisſimæ, ſubtilisſimis veſiculis incluſæ, duplex asſignatur uſus, partim ut juxta circulationis legem a ſanguine reſorpta, non tantum hujus ſal acre inſtar omnis pinguedinis ad mentem Malpighii obtundat, ſed &, quia ſumme depurata, circulationem ejusdem, fermentationem, ipſamque vitam, in morem Humidi radicalis

dicalis Veterum conſervet, partim ut continuo ad oſſium interſtitia exhalando & hæc replendo ipſa oſſa minus fragilia reddat, prout arundo ab oleo, cui in ſcipionum uſum incoquitur, mollior longe ac minus fragilis emergere animadvertitur. Calli denique formationem, quæ in equorũ oſſibus diffractis vulgo impoſſibilis, ſed falſo, ſupponatur, ex oſſiũ ſtructura & nutritione hactenus indigitatis, prompte declarat, in quantũ ſuccus nutritius in oſſis fracti tubulis plurimis obturatis aut coarctatis libere, ut ſolet, commeare impeditus coaguletur, ſimulque inæqualitatem oſſis peripheriæ inducat. In ſpecie oſſium partes, connexio, ac ſingulorum oſſium totius corporis ſitus & textura ſpecialior, nec non numerus exhibentur. Partes plerumq; quatuor, principalem videlicet ſive corpus, apophyſes, epiphyſes & inæqualitates varias, in oſſe diſtingui innuitur. Partem principalem ſeu corpus, inſtar centri ſe habens, e quo oſſificatio incipiens ad extrema, tanquam circumferentiam, protendatur, omnium deprehendi duriſſimum, ob majorem forſan, quam ſuſtinendo ſuſtinet, partium circumſitarum preſſuram. Ab apophyſi vero, veluti parte ultra ſuperficiem oſſis protuberante, cujus & cavitatum ſolennes recenſentur & denominantur differentiæ, parum diſcrepare epiphyſin, quippe quæ in junioribus ſubjectis os alteri oſſi adnatum videatur ſaltem propter fibrarum oſſificationem nondum perfectam, qua in adultis abſoluta nullã amplius adhæſionem, ſed omnimodam apophyſin obſervari. Articulationis duo determinantur genera, cum motu & ſine motu, quorũ illud Diarthroſis, hoc Synarthroſis apud Græcos audiat. Diarthroſeos diviſio vulgaris in Enarthroſin, Arthrodiam & Ginglymum minus accurata annotatur, cum Enarthroſis & Arthrodia non niſi ut magis & minus, unde ſpecies haud varientur, differant, adeoque pro una Articulationis haberi debeant ſpecie, in qua oſſa quoad eminentiam ſive apophyſin in alterius cavitate recepta in omnẽ plagam commode moveri queunt; ad Ginglymum autem, quo oſſa flectuntur ſaltem & extenduntur, omnis quoq; articulatio, extenſionis tantum ac flexionis capax, v. g. maxillæ inferioris, refertur. Nec Synarthroſeos ſpecies vulgares, Sutura, Harmonia & Gomphoſis, exactæ cenſentur; Harmoniam ſiquidem ad Suturam omnino ſpectare, quoniam & ipſa oſſa maxillæ ſuperioris, quæ per Harmoniam cohærere putantur, interius proceſſibus dentatis gaudeant, Gomphoſin

phoſin itidem Suturæ, quæ ab artificibus Gallorum *engrainure* appellatur, poſſe accenſeri. Multo minus ea oſſium connexio, quam veteres Symphyſin vocarunt, ac vel ſine medio, vel cum medio triplici fieri prodiderunt, approbatur, eo quod Symphyſis ſine medio & Synchondroſis maxillæ inferioris mere ſint fictitia, modo oſſificationem ſucceſſive demum in oſſibus horumque epiphyſibus, ſuturæ ope connexis, abſolvi perpendatur; Syſſarcoſis vero fundamenti expers videatur, muſculis non articulationi, ſed motui, inſervientibus. Porro dum ſingulorum oſſium ipſorumq; unguium ſitus & textura ſpecialior edocentur, circa dentes obſervationes adduntur, multorum animalium mechanicam dentium & maxillæ inferioris ſtructuram concernentes, e defuncti *Perraltii de la Mechanique des Animaux Part. 3. cap. 2.* excerptæ. Tandem corpus adultum, ſeſamoideis oſſibus & hyoides ſepoſitis, a bis centum triginta & novem oſſibus compaginari colligitur. Quantum vero diſcriminis oſſibus fœtuum ab adultorum oſſibus intercedat, & quomodo oſſa fundamentum animalium motui præbeant, cum in Sceleto Fœtus, tum in Diſſertatione de Inceſſu hominis & animalium &c. adjectis, diſtincte ab Autore oſtenditur: utrobique tamen maximam partem non niſi fidelem & compendioſum Interpretem eundem egiſſe eorum, quæ a *Kerckringio in Oſteogenia Fœtuum*, & *Borello de Motu Animalium Part. I Capitib. ultim.* jam expoſita fuerunt, vel ipſa Præfatione adſtipulante, deprehenditur.

VVOLFFERDI SENGUERDII, PHILOS. IN Academia Lugduno-Batava Profeſſoris, Inquiſitiones Experimentales, quibus naturæ operandi ratio in nonnullis detegitur & mechanice proponitur, effectus ex ea reſultantes exhibentur, ad cauſas revocantur, experimentis & ratiociniis illuſtrantur, ſucceſſive continuandæ.

Lugduni Bat. apud Felic. Lopez, 1690, in 4. Plag. 7.

INter Philoſophos, qui in phænomenis naturæ indagandis, experientiam rationi conjungendam eſſe decernunt, non ultimo po-

S nendum

nendum eſſe loco clariſſimum Senguerdium, præter *Philoſophiam* ejus *Naturalem*, altera vice a nobis A. 1687, menſe Aprili, commemoratam, vel *Inquiſitiones* illæ Experimentales, quarum pars jam in lucem prodiit, abunde teſtantur. Quæ enim hiſce præmittitur manuductio, tota eſt in ſuadendo hoc ſenſuum & rationis connubio; ea vero, quæ ſequuntur, totidem quaſi ſunt methodi hujus ſpecimina, quæ quidem doctiſſimus Autor primum publice in Academia Leidenſi exhibuit, deinde vero litteris conſignavit, eas ob cauſas, quas prolixius Lectori exponit. Cæterum *experimentum primum*, quid *animantibus* contigerit, recenſet, *cum ipſis recipienti machinæ pneumaticæ adaptato incluſis aerem ſubtraxiſſet.* Quæ phænomena eo rectius ut poſſent explicari, *quatuor* reliqua *tentamina* fuere inſtituta, quæ *reſpirationis naturam* præcipue declarant, quam experimento quarto oſtendit reciproca thoracis & pectoris elevatione ac ſubſidentia unice non peragi, ſed thorace immoto & diaphragmate perforato, alterna abdominis expanſione & detumeſcentia quoque procurari poſſe. Fundamentis hiſce jactis explicationem ſuam ſuperſtruit Autor, quæ cum non abludat ab illa, quam omnes, qui gravitatem & elaterem aeris admittunt, paſſim adferunt, prolixiori ejus enarratione merito ſuperſedemus.

REGIA VIA OMNES DISSIDENTES IN Religione Neo-Evangelicos ad orthodoxam & ſalvificam fidei Chriſtianæ veritatem perſcrutandam, inveniendam & amplectendam MANUDUCENS; propoſita per Joannem Franciſcum Hacki, S. J. Theologum.

Gedani, apud Ægid. Janſonium a Waesberge, 1689, in 4.
Conſtat plagulis 28.

SEx Manuductiones *Regiæ* hujus *Viæ* Autor hoc Opere proponit, quibus deduci ad veritatem queant, quotquot a Romana Eccleſia diſſentiunt: quarum *prima* VIII propoſitiones complectitur, pag. 1. quibus ante omnia naturam veritatis Scholaſtico more deſcribit, indeque conſectaria de revelatione, quod formalis ea & differentialis fidei

fidei ut ſic conſideratæ ratio, & conſequenter univerſalior & prior
illa ſit, qua Diſſidentes, quos appellitat, Neo-Evangelici utantur, pag. 3.
nempe verbo Dei ſcripto, derivat. Prolixus deinde eſt in probanda 4.
divinæ fidei unitate, ac immutabilitate, ut & demonſtranda illa pro- 7.
poſitione: *Veritatem fidei divinæ poſſe fieri apparenter falſam, & econ-* 8.
tra. Subinde autem diſtinctionem Eccleſiæ in inviſibilem & viſi- 9.
bilem tentat, qua utuntur Evangelici, dicitque, cum prædicatio, 12.
Rom. X, 17, doctrina, cæteraque ad veram fidem & eccleſiam ſpe- 11.
ctantia, uti etiam ſacramentorum adminiſtratio per Diſſidentes, præ-
ſertim Lutheranos, non ſint inviſibilia, itaque fidem & eccleſi-
am inviſibilem eſſe non poſſe, quin ſit ſimul viſibilis. Præcipua
eſt octava propoſitio, quæ in genere aſſerit, dari primo talem Pro-
ponentem debere, qui veritatem fidei revelatam a Deo, diſtin-
ctus ab ipſo Deo proponat, idque ſecundo per modum infallibi- 21.
lis autoritatis. Ubi inter alia pro vera Auctorem habere videas hi-
ſtoriolam, quæ apud Jo. Gerbrandum l. 31. Chron. Belg. c. 26. legitur.
Anno nempe 1374, cum latomi Saraceni & Chriſtiani, juſſu Sibyllæ 23.
reginæ Ungariæ, de licentia Soldani foderent in valle Joſaphat, inve-
niſſe eos in tumulo de lateribus compoſito, cadaver integrum miræ
magnitudinis cum barba prolixa & capillis maximis, cum pellibus
ovinis, ſuperque caput ejus reperiſſe tabulam, in qua literis concava-
tis ad modum ſigilli Hebraice ſic inſcriptum fuerit: *Ego Seth tertio-
genitus filius Adæ, credo in Jeſum Chriſtum filium Dei & in Mariam
Virginem matrem ejus, de lumbis meis venturos.*

Altera Manuductio unica abſolvitur propoſitione, principem-
que illam, ceu Autor loquitur, ac præcipuam inter polemicas quæ-
ſtionem pertractat, *quisnam ſit ille infallibilis autoritatis, proponens
fidelibus, veritates fidei eſſe revelatas a Deo?* Nimirum Catholicam
Eccleſiam eſſe, reſpondet. At quæ Catholica illa ſit, inferius de
Romana declarat. Ubi quidem optandum omnino eſſet, habuiſſe
ante oculos, dum iſta ſcriberet, Autorem, quæ ſuper iſto capite, pa-
ria opponenti *Cutſemio* repoſuit beatus noſter *Höpfnerus*, in Saxo-
nia Evangelica p. 129. 131. & alibi, ubi quoque de Vincentio Leri- III. 115.
nenſi, ad quem toties Hackius provocat, videndus. Argumentum 130. &c.
autem *ab obſcuritate Scripturæ* petit, quæ ipſo teſte Apoſtolo 2.
Petr. I, 20. propria interpretatione non fiat, adeoque dari debere

contendit diſtinctum ab illa Proponentem, qui eam juxta Spiritum
Sanctum interpretetur. Quis autem æquiori jure infallibilis Magiſter
præter Scripturam eſſe queat, atque Eccleſia Catholica? cui & in-
fallibilitas, & tot a Chriſto prærogativæ collatæ competant. *Ger-
bardum* ibi noſtrum pro ſua opinione allegat, qui implicite quæ-
dam, *adeoque obſcure*, (hæc de ſuo addit) contineri in Scriptura di-
cat. Antilogias in Scriptura apparentes quoque in ſubſidium vo-
cat, quas inter etiam Prov. XXII, 28. coll. Ez. 20, 18. Jon. III, 4. IV,
11. & 1. Joh. I, 8. c. III, 9, collocat. Tandem ſanctam velut impatien-
tiam, prodit, mirarique ſe ait, quod, cum manifeſte Roma-
pag. 40. nam cernant veritatem Diſſentientes, oculos tamen pertinaciter
41. claudant &c. Ex eo inſuper ſtatuminatum it aſſertionem ſuám,
quod ipſum Scripturæ Canonem, ejusdemque ſenſum infallibilem
46. habeamus a magiſtra Eccleſiæ proponentis autoritate; quam in ſen-
tentiam *Chriſtianum Drejerum*, Regiomontanum nuper Theologum
(quem ad Catholicorum magis caſtra quam Diſſentientium accedere,
82. adeoq; in horum catalogo non ponendũ eſſe ſcribit, & quo cum ami-
cam ſibi notitiam, ceu eximiæ eruditionis & *animi pacifici viro* inter-
cedere teſtatur; quippe qui quoad ipſa principia fidei orthodoxæ haud
diſſideat a ſe, quin nec in concluſionibus ſeu veritatibus particularibus
pleriſque, quæ ex illis deducantur; quam ob cauſam apud rigi-
diores Lutheranos notam *Syncretiſmi* & ſchiſmatis a ſua, ut opinen-
117. 118 tur, Apoſtolica Evangelica religione incurrerit,) adducit. Itaque
49. noſſe hæc omnia ait Drejerum; noſſe & cæteros, qui in verba tanti
119. ſui Magiſtri jurent. Eccur ergo non illo duce ad communionem hu-
jus eccleſiæ accedant? eccur ſchiſmaticus cum ſuis a Lutheranis &
Romanis potius audire Drejerus eligat, quam illis nuntio remiſſo,
amicas Romanis porrigere dexteras? Aliud argumentum ex eo de-
49. ſumit, quod plures articuli fidei autoritate ſolius Eccleſiæ conſtituti
ſint: quos inter ex Auguſtino locum profert, *contra Maximum* l. 3.
c. 3. quo ille Pater adorationem Spiritus Sancti, tanquam articulum
fidei, *Eccleſiæ tantum autoritate* conſtitutum eſſe aſſerat. Poſtea ex
52. depravatione Scripturæ arguit, quæ quidem (ipſius verbo) *vel no-
cens* ſit, *vel innocens*. Ita e. c. innocenter erraſſe Auguſtinum, cum
aliis ſentientem, Euchariſtiam parvulis pueris, ut ſalvi fiant, confe-
rendam

Digitized by Google

rendam eſſe. Innocenter erraſſe Cyprianum in caſu rebaptizatio-
nis hæreticorum. Innocenter hoc quoque ſeculo erraſſe Iſaacum pag. 54.
Peyrerium, qui libro conſcripto de Præadamitis novæ ſectæ autor
apparuerit. Econtra a nocenti errore abſolvi nec Origenem poſ-
ſe, nec Tertullianum. Denique a perpetua praxi Eccleſiæ, ut & 62. 65.
autoritate Doctorum, quin & ipſorum Adverſariorum teſtimoniis
concludit, verum eſſe, quod in propoſitione aſſeruerit de tradito
verbo: quos inter omittendus utique *Chemnitius* fuiſſet. Tametſi 78.
enim beatus Vir in Exam. Conc. Trid. P. I. p. 113. Edit. Francof. de
quatuor Evangeliis ex Origene dicat: *hanc traditionem, qua nobis in*
manum dantur Sacra Scriptura libri, reverenter accipimus; continuo
tamen nexu ſubjicit, (quæ quidem ſtudio omiſit Hackius) *nihil autem*
patrocinatur Pontificiis, qui pugnant pro dogmatibus, qua nullo Scri-
ptura teſtimonio probari poſſunt. Pariter detruncata ex eodem verba
exhibet de quinto genere traditionum: confeſtim enim addit Chem-
nitius p. 124. *ſed reſpiciamus ad ſtatum diſputationis noſtra cum Pon-*
tificiis &c. ubi legantur cætera.

In Manuductione *tertia* diſquirit, *quanam ſit illa eccleſia* pro- 83.
ponens veritates fidei a Deo revelatas, fidelibus credendas, per mo-
dum regulæ activæ infallibilis autoritatis? Ubi Patrum quidem loca
recenſere examinareve, inſtituti ratio non permittit.

Quarta Manuductio docet, *quanam ſit Regia Via*, quam eccleſia 104.
proponens infallibilis autoritatis in veritatibus fidei Chriſti fidelibus
proponendis tenere debet, & qua ſcrutatori veritatis incedendum,
ut veritatem fidei ſecure inveſtiget, inveniat & amplectatur? Nem-
pe conſiſtere eam ait in duobus principiis, quorum 1. ſit reve-
latio Dei veritatis primæ, 2. eccleſia proponens. Pleraque ex
illuminatisſimis, quos vocat, Walemburchiis, quam proprio inge-
nio deſumere maluit, quorum etiam opera ipſum uti deprehendi-
mus p. 127, 130.

E *quinta* Manuductione pateſcit clarius, quam intelligat Ec-
cleſiam, Romanam nempe, prout ſupra dictum: quæ ſola iſtam
viam teneat. Inter alia obicem ab hac via quoq; removere con- 127.
tendit, & an Papa ſit ſupra Concilium, vel Concilium ſupra Papam, 133.
ſcholæ quaſtionem eſſe, non fidei, declarat. Unde iſtam Propoſitio- 134.
nem format, per Eccleſiam Romanam proponentem Veritates fidei

 intelli-

intelligi 1. *Eccleſiæ Paſtorem ſummum Pontificem cum Concilio generali*, 2. *eundem Pontificem unanimi conſenſu cum cæteris ſubordinatis Eccleſiarum Paſtoribus, totoque vel plurimo fidelium cœtu conſpirantem*; quam deinde Aſſertionem ab inductione per temporum omnium ſeculorumque ſeriem probare annititur.

pag. 202. 203. In *ſexta* Manuductione plurimorum exempla Proteſtantium nominatim adducuntur, qui ad Romanenſium caſtra tranſierint, quos inter & *Ulricus Würtembergenſis Dux* recenſetur, qui tamen ad Evangelicam fidem reverſus eſt, inque ea Stutgardiæ, d. 4. Decembr. 1671 pie defunctus. Quin & inter Principes, *Chriſtianus Dux Mechlinenſis*, tres *Marchiones Haſſiæ*, *Marchio de Swerin &c.* ignota nobis & fortaſſe omnibus nomina memorantur. Sed malumus aliis catalogi illius, ut & totius Operis examen relinquere, inſtitutum methodumque Autoris delineaſſe contenti.

SALOMONIS REISELII D. CONSILIARII ET Archiatri VVurtembergici &c. Sipho VVurtembergicus per majora experimenta firmatus, in vertice effluens, correctus & detectus.


Stutgardiæ, apud J. G. Zubrodt, 1690, in 4. Conſtat plagulis 6. tab. æneis 3.

SExtus jam vertitur annus, ex quo celeberrimus *Autor*, Siphonis hujus, a cive Stutgardienſi *Joh. Jordano* inventi, externam ſpeciem artificiumque, & uſum, indultu Sereniſſimi Poſſeſſoris *Friderici Caroli* Wurtenbergiæ Ducis, Orbi erudito publice communicavit, preſſoque ſtructuræ & praxeos totius, quo in uſum animatur machina, myſterio, curioſos ad ſtrenuam ejus inveſtigationem provocavit. In hoc ſiphone, ſeu tubo in angulum flexo & inverſo, duorumque crurum æque altorum, in diverſa labra, utrinque in æquilibrio poſita, deſcendentium, quam primum uni labro aqua (aut alius quicunque liquor) infunditur, eadem e veſtigio (ſine tractione, ſuctione, impulſu aut rarefactione alicujus machinæ) in ſummitatem enititur, ac per alterum crus in ſubjectum huic labrum deſcendit & effluit; non uno, ut prima quidem fronte videtur, a cæteris ſiphonibus inſigni diſcrimine. Hujus enim, *primo*, crura

æqualia

Digitized by Google

TAB. V. Ad A. 1690.. pag. 143. ſqq.





Digitized by Google

æqualia, eorumque orificia in æquilibrio conſtituta eſſe oportet; cum reliquorum unum, aquam effundens, perpetuo longius ſit, & ejus orificium infra æquilibrium brevioris. *Secundo* orificium alterutrum dimidia aut quarta ſolum parte aqua affuſa ſufficit repleri; in cæteris totum aquæ immergendum eſt. *Tertio* per utrumlibet crus aqua aſcendens, ex reliquo effunditur: in veterum ſiphonibus nonniſi per brevius admiſſa, e longiore expellitur.

Non defuere autem, qui vel ob exemplarium defectum rem in paucos ſparſam latius diſſeminarent; vel adornandis geminis cum Wurtembergico, geminorumque effectuum ſiphonibus, animum ſerio matureque adjungerent. Nam & Illuſtris *Naturæ Curioſorum Academia* Schediaſma *Autoris Appendici anni tertii decuriæ ſecundæ Ephemeridum Medico-Phyſicarum*, tanquam præclarum auctarium, annexuit; & Autor *Novellarum Reipublicæ literariæ anni 1685 Februario p. 187*, idem in compendium miſit. Præter *Johannem Daviſium* Anglum vero, ex cujus literis, *Tranſactionibus Anglicanis anni 1685, num. 167, p. 846* inſertis, phænomena ſiphonis Wurtembergici ipſum certo artificio in ſiphone quodam ſuo expertum eſſe intelleximus; celeberrimi Viri *Papinus* & *Sturmius* Wurtembergicum peculiaribus expreſſerunt imitationibus. Hujus quidem fabricam, *Autori* noſtro anno 1685 communicatam, idem hic inventoris ſui verbis in præſenti tractatu deſcribit: 1. *Ad fabricam ipſam requiruntur duo caſtella* B *ac* D *contigua; quorum hoc, nempe poſterius* D *eſt occultatum, anterius* B *autem ſolum cum orificio ſiphonis in oculos ſpectatorum incurrit. Utrumque vero crus* ABC *circa* C *intus in abſcondito habet valvam aut obturaculum, infra* C *autem recta demiſſum tubulum* CD, *ſed occultatum, ut aqua ex aqua ad* C, *& inde porro ad* D *profluere poſſit, & contra.* 2. *Operatio & modus operandi in hoc ſiphone talis eſt: Primo oportet utrumque crus* ACD, *& ſic totum ſiphonem aqua ſemper eſſe plenum, ideoque extremitatibus* D *in caſtellis poſterioribus itidem intra aquam demerſum, quæ tantillo orificium* D *utrinque ſuperet; portiones crurum* BC, *& caſtella anteriora manent interim vacua. Cum igitur in hoc ſtatu cruris utriusque horizontali aqua nec hic nec ibi poſſit effluere, ſed in æquilibrio maneat; ſi ſecundo in unum caſtellum anterius, e. g. dextrum, infundatur aqua usque dum orificium* B *vel ex toto vel ex parte ſolum* opple-

TAB. V. *Fig.* 1. pag. 8.

oppleat, aqua in portionem BC *ingreſſa*, *& per foramen occultum ſupra* D *elapſa, cadit in caſtellum poſterius occultatum, & aquam ibi jam ante præſentem auget. Hoc pacto igitur tollitur æquilibrium aquarum in dextro & ſiniſtro caſtello, imo ſtatim reſtituitur per effluentem aquam ex* CD *in ſiniſtrum caſtellum. Hæc vero quamprimum foramen portionis* BC *in ſiniſtro caſtello occulto ſuperat, effluit per* B *in ſiniſtrum caſtellum apertum, atque ſic ab uno caſtello ad alterum. Siphonem porro ſuperne ad* A *parvulo infundibulo inſtruxi, ut erectus etiam repleri poſſit, cum alias in aquam totus veniat demergendus, quod in grandioribus fieri non poſſet. Papinianus* vero ſipho, juſſu Regiæ Societatis Anglicanæ a laudato Autore conſtructus, cum in *Anglicis Tranſactionibus cit. modo loco*, tum in *Novellis Reip. Lit. anni 1685, menſis Maj.* p. 537 deſcriptus habetur, ejusq; forma iconiſmo 2.
TAB. V. repræſentatur. Priusquam vero de eo Autori noſtro conſtaret, juſſu
Fig. 2. Sereniſſimi Principis per experimenta majora tuborum $23\frac{1}{2}$ & $32\frac{1}{2}$
pag. 10. pedum altius evehere ſiphonis Wurtembergici uſum annisus eſt, non ſine eventu priſtinorum effectuum; nec tamen ſine aliquibus defectibus, vel continui fluxus, vel æque promti refluxus &c. In ſiphone vero 40 pedum repleto, adapertis poſt orificiis aqua ad aliquot pedes, aſcendentibus bullulis, ſubſedit; affuſa dein aqua trans-
11. iit quidem cum impetu, multaque ſpumatione & fluctuatione, ſed fluxum non continuavit. Poſtquam deinde literis Nobiliſſimi *Aſton*, Regiæ Societatis Anglicanæ Secretarii, de experimentis coram Societate (Papiniano *procul dubio ſiphone*) inſtitutis, remedioque extrahendis per antliam bullulis ſuperne collectis, certior factus eſſet, ipſam porro *Papinianam* ſtructuram *Novellis Reip. Litter.* indicibus cognoviſſet, deſiderium curioſorum Sereniſſimo Principe mandante expleturus, ſcriptis ad Dominum *Aſton* literis, quas *Tranſactiones Anglicanæ menſis Decembr. 1685, p. 1272* referunt, *Papinianum* ſiphonem ipſiſſimum *VVurtembergicum* eſſe, ingenue con-
13. feſſus eſt; idemque publicato hoc ſcripto denuo ſolenniterque re-
14. petiit: nihil jam porro reſtare arbitratus, niſi ut communi labore quæratur, in quam altitudinem & qua capacitate tubi poſſint conſtrui, atque ita diſponi, ut fluxus ſit continuus, multisque ac magnis tum demum uſibus publicis proficuus; maxime ſi aeris & aquæ æquipondium circa triginta & aliquot pedes hactenus ſubſiſtens, ſimpli-

ſimpliciſſima hac machina, nec ullius artificii conſortio ſubnixa, vinci poſſe contingat. Nec dubium eſt, vel Sereniſſimi Ducis Wurtembergici rogatui daturos ſtrenuos & ſagaces abſtruſarum rerum ſcrutatores, ut nihil indaginis intentatum relinquant, quominus ſummam artificio huic, collatis in commune (quod reciproca ſe opera facturum Princeps clementiſſime ſpondet) experimentis, dubiis, correctionibus & meliorationibus, manum imponant. pag. 15.

Quid vero *Autori* noſtro repetitis variatisque tentaminibus circa negotium hoc interea compertum ſit, ſincero idem exponere hic ſtudio non addubitavit. Quanquam enim ſiphonis quadraginta pedes alti phænomena jam ſemel ipſum fefelliſſent: paratis tamen 15. aliis canalibus orichalceis 39 pedum, iisque perpendiculariter erectis, ſummitatique ſiphonis pro bullis colligendis agglutinato globo; facto etiam, juxta infundibulum, vice ſpiraculi tubulo, ut extruſo illic aere crura ſiphonis facilius repleri poſſint; epiſtomiis denique ad orificia, decem pedibus ab invicem diſtantia, horizontaliter affixis, aquam transfundere repetito conatus eſt. Sed nec fluxus continuitatem, neque tranſitum niſi brevi tempore conſecutus eſt: utut inventoris *Jordani* vidua *Autori* ſancte affirmaverit, mariti ſiphone (nihil omnino ſecreti, quod huic non commune eſſet, complexo) per tubulos ferreos ſtannatos, ſed *Reiſelianis* anguſtioros, ad faſtigium domus ſuæ (quam 54 pedes altam Noſter bolide expertus eſt) elevato, aquam ultro citroque fluxiſſe; hujusque ipſius oculatum ſe teſtem Dominus *Moſerus* Dicaſterii Ducalis Secretarius profeſſus ſit. Nec felicius ceſſere alia experimenta, anguſtioribus aliquantum, imo ad Jordanicorum menſuram comparatis, tubis; in ſubſidium etiam advocata, & orificio ſiphonis applicata antlia: quorum adeo improſpero ſucceſſu viſo præſens Clariſſimus *Sturmius* impoſſibilem eſſe aquæ transfuſionem ultra 27 Rhinlandicos pedes pronunciavit. Spem tamen Autori faciunt, ſiphonis effectum ultra vires atmoſphæræ hactenus creditos extenſum iri, præter *Jordanicum* experimentum ocularibus teſtibus fultum, aliorum Virorum Clariſſimorum ingenioſa reperta, quorum aliqua recenſet.

Fig. 3. 16. 23. Fig. 3. 21.

Interim cum Nobiliſſimus *Autor* in præmemoratis ad Dn. *Aſton* literis, ſibi rationem inventam confeſſus ſit, per quam in quavis poſſibili elevatione & transfluxu aquam vel in ſummitate vel ad late- 26, 27.

ra ſiphonis, quod hactenus multi quidem polliciti ſint, vix quiſ-
quam effecerit, exhaurire queat; eamque, quando per experim nta
plura, cum altitudinis, tum elevationis, certior redditus fuerit, publico
imperiturum promiſerit: ut votis & flagitationibus eruditorum ſatiſ-
pag. 28. faciat, quo artificio e diverſorum vulgarium ſiphonum (a quibus ſci-
licet Wurtembergicus reipſa non differt) diverſæq; magnitudinis ver-
ticibus coram Sereniſſimo Principe aquā eduxerit, publico commo-
29. do celare porro non ſuſtinuit: utiq; poſtquam & *Claudium Milliet de
Chales, Mundi mathem. T. II, p. 196,* machinam producendo huic effe-
ctui jam dum ab aliis uſurpatam, exhibuiſſe animadvertit. Spe-
Fig. 3. ctat autem huc Fig. 3. ejusque ſtructura & praxis ab *Autore* ita de-
29. ſcribitur: *Sub ſiphonis vertice ſeu angulo applicetur phiala, ſeu globus
vitreus (ut aqua labor videatur) inſtructus in collo metallino adferru-
minato cum epiſtomio & cochlea parva, unicū ſaltem latus pertcrebran-
te, qui ſubtus in fundo etiam epiſtomio aut cochlea firmatus ſit: ita
ut dum tranſit aqua per verticem, deſtillet paulatim aperto epiſtomio
ſuperiori, ad repletionem usque globi colligenda. Occluſo dein ſupe-
riori epiſtomio colli, ſed reſerata cochlea ſuperiori, & ſimul epiſtomio
aut cochlea inferiori ad fundum, effluet aqua ibidem collecta in am-
plius aliquod labrum effundenda, donec per vices repetitas ſatis aqua*
30. *colligatur.* Cæterum quæ *Autori* promovendo huic effectui notata
31. ſunt, quæque de uſu ſiphonis Wurtembergici publico, cujus exem-
34. 36. plum ſimul præbet, & de phænomenis ac paradoxis quibusdam, cau-
40. ſis tandem ejusdem & aeris elatere ex mente tum præſtantiſſimorum
hujus ævi Phyſicorum, tum ſua; de filtri porro ratione ſubjunxit,
42, 43. ne prolixiores juſto ſimus, B. Lectorem ex ipſo *Autore* petere vo-
lumus.

Coronidis vice *Autor* loco *Suctoris & preſſoris* Wurtembergici,
cujus editionem permiſſu Sereniſſimi Principis per otium ſuſcipien-
dam pollicetur, alius multo ſimplicioris, ſed longe infra artificium
illius, qui tamen uncias decem longus, aquam ultra novem pedes
Fig. 4. projiciat, fabricam, figuram & uſum ſequentibus exponit: *In tym-*
pag. 45. *pano* A *ſeu cylindro, diametri unciam unam & undecim lineas la-
ta, profundo lineas quinque, per operculum cochleatim firmato & con-
cluſo, rotula* B *integra octogonalis, anſulis* G *totidem utrinque ar-
mata, per manubrium* C *axi* D *applicatum volvitur, cui ala* E *ſeu la-
mina*

minæ octo quadrata, & internum tympani latus AA *accurate attingentes, uno latere cardinibus flexiles, altero latere per lamellam elaſticam* F, *in rotulæ foſſula latentem & hic ſeparatam reſurgentes, affixæ ſunt; ita ut dum prætereunt foramen tympani inferius* HH *ſulco unico dextrorſum effluens, ſecum rapiant ſurſum primo aerem, hinc aquam ex tubo annexo* H, *& per ſuperius foramen* II *cum duplici utrinq; ſulco, atque appoſitum tubulum* I *anguſtiorem & verſatilem, ejiciant aquas. Quod ut felicius fieri poſſit, alterum, ſiniſtrum ſcilicet, cylindri hemiſphærium repletum & ſeparatum eſt arcu metallico integro eccentrico, ut laminæ iſtæ flexiles tranſientes & ab arcu inclinatæ* L *primum, dein jacentes* M *nihil aquæ ſecum ducant, in altero vero hemiſphærio fere ſphærico, ubi foramen inferius tranſierint, per lamellam elaſticam erectæ* N, *aquam plenæ ſecum rapiant.* OO *cochleam ſignat, in qua operculum intorquetur.*

De *fonte ſuper libellam fluente*, cujus ſub finem mentio eſt, pag. 45. ubi Illuſtriſſimo Poſſeſſore indulgente innotuerit artificium, commodum erit referre.

LES LOIX CIVILES DANS LEUR ORDRE naturel.

ſive,

Leges Civiles ad nativum, quem inter ſe habent, ordinem redactæ.

Pariſiis, apud Joh. Bapt. Coignard, 1689, in 4.

Conſtat Tomus hic plagulis 83.

QUamvis difficultates, quæ legum civilium cognitionem diſcentibus moleſtam & intricatam reddunt, non unius generis ſint: non abs re tamen autor præſentis ſcripti earum potiſſimam, in juſti ordinis, quo proponantur, defectu conſiſtere autumat; indeque fieri arguit, ut iſtæ, quæ quidem maxima ex parte naturalis æquitatis regulæ ſint, hominibusque adeo ſua velut ſponte ſemet inſinuare deberent, non niſi poſt multorum plerumque annorum ſtudium plene addiſcantur. Culpam vero hujus incommodi nequaquam imputat iis, qui ſcientiam hanc juris naturalis literis conſignare antiquitus allaboraverint; quin potius miratur, quantum luminis

Deus illis, utut ethnicis, ad hoc perficiendum conceſſerit: ſed tantum non unice ex modo, quo tam apud alias gentes, quam Romanos jura primitus condita ſint, fluxiſſe oſtendit. Nimirum cum ad hoc neceſſe fuerit, ut haud exiguus habilium virorum numerus ex infinita caſuum multitudine pedetentim colligeret facta controverſa; inde ſedulo enotaret principia in eorum deciſione adhibita, ſuper his dein regulas fixas formaret, easque tandem ad certa materiarum capita reduceret; fieri nequaquam potuit, ut tot diverſorum ſcripta, diſtinctis temporibus, ſuper diverſis negotiis, nec una intentione compoſita, & mediante progreſſu inſenſibili obſervationum particularium, ſuper factis omnis generis habitarum concinnata, tale Legum corpus efformarent, quod eo conſtaret ordine, quem quidem ejus contenta, tanquam axiomata e regulis ſocietatis civilis profluentia naturaliter inter ſeſe habent. Intimat porro, defectum hunc per compilationem a Juſtiniano ſuſceptam, utut ex immenſo antiquæ jurisprudentiæ oceano in unum corpus collectæ fuerint regulæ, neutiquam ſublatam eſſe: cum præcipuus ejus ſcopus is ſolum fuiſſe videatur, ut pretioſiſſimum iſtum theſaurum ab interitu melius hoc pacto conſervaret, non autem ut naturali ſerie juris axiomata inter ſe colligaret: hinc non ſolum ordinem Digeſtorum, ab eo qui in Codice adhibitus eſt, multum diſcrepare; ſed plerumque etiam juris regulas tantum coacervatas in unum comparere, ſine ulla fere mutua connexione; plures ſcilicet e generalioribus in materiis particularibus proponi, ac viciſſim ſpeciales ſub titulis generalibus; multas præterea disjectas, multas in varia loca miſere diſcerptas comparere; pleraſque vero deciſioni factorum particularium involutas nec in nativa ſua luce expoſitas eſſe. Ipſas denique Regulas Juris, ſpeciatim ſic dictas & in peculiarem titulum ad calcem Digeſtorum compactas, tam parum ordinis inter ſe habere, ut vix binæ ſemel invicem excipiant immediate ad eandem materiam ſpectantes; plures inſuper in iſto agmine ſpeciem præbere axiomatum generalium, quæ tamen nonniſi uni materiæ propriæ ſint: ut adeo periculum ſubſit, ne quis ſubinde in earum applicatione impingat aut fallatur. Conqueritur porro, iſti Juris corpori plurima immiſceri inutilia & ſuperflua, inanes item ejusdem rei in diverſis locis repetitiones, nec non varias jurisprudentiæ Romanæ ſubtilitates, quas

Digitized by Google

quas modernus uſus reſpuat: unde multum judicii & induſtriæ requiratur, ut quis genuinas æquitatis regulas ex ſpinis iſtis extricare diſcat. Cum itaque præcipuus Autoris noſtri ſcopus ſit, pro meliori judicum informatione, legum ſcientiam faciliorem reddere, in id ante omnia incubuit, ut quamlibet juris materiam nativo ſuo ordini reſtitueret; quo ita partibus ſingulis debita ſerie coordinatis, ſplendidi hujus ædificii proſpectus ſine impedimento ab intellectu concipi valeret, qui alias ex confuſa ſingulorum tignorum congerie non niſi difficulter admodum comprehenderetur. Statuit proinde diſtinguere materiam unamquamque ſecundum partes ſuas, & in qualibet dein minutatim & juſto ordine proponere definitiones, principia & regulas; neque uſpiam quid proferre, niſi quod aut ſua luce radiet, aut ex antecedentibus plenam nanciſcatur certitudinem & explicationem: cum utique juris noſtri regulæ ſuam quoque inter ſe connexionem naturalem velut habeant, nec niſi alia poſt aliam intellectui ſemet inſinuet, præcedentibus videlicet iis, quæ ex ſeipſis notæ ſunt, dein vero ſubſequentibus, quas ex primis iſtis elicere ſit neceſſum. Hinc fatetur, multa in hoc opere axiomata poni oportuiſſe adeo communia & facilia, ut nemo ſit, qui ipſa ignoret; ſed non alia ex cauſa, quam ut a notisſimis his paulatim progreſſus fieret ad alia minus nota, & quia adeo iſta quoque ad integritatem totius ſyſtematis faciant: perinde ac in Geometricis præmitti ſoleant axiomata quædam, ne pueros quidem latentia, ſed quæ tamen, ad deducendam inde profundiorum poſitionum evidentiam, omnino requirantur. Cæterum non meras ſolum inſtitutiones & præcepta generaliora tradere hoc in libro voluit, ſed ad particularia quoque cujuslibet materiæ deſcendere ſigillatim ſategit, non alia tamen, quam quæ ipſo uſu obtinerent, nec ullis ambagibus involuta: dum brevitatem non minus, ex reſectione ſuperfluorum & inutiliũ reſultantem, quam perſpicuitatem, ex genuini ordinis efficacia profluentem, ſibi propoſuit; qua utraque mediante futurum exiſtimat, ut quis facile, exiguo tempore, & cum quadam voluptate ſolidam legum cognitionem ex libri hujus lectione ſibi parare queat.

Præmiſit autem ei ſeparatum *Tractatum de Legibus*, in quo ex doctrina morali allaboravit ante omnia dare ideam generalem de legum natura & principiis maxime univerſalibus, ut & variis ſocietatis

humanæ vinculis inde dependentibus; a quibus deinde deſcendit ad Leges civiles ac diverſas earum ſpecies exponendas: quo ita quis genuinum de illis conceptum ſibi efformare diſcat, antequam ad ipſarum contenta cognoſcenda ſemet applicet; non ſecus fere, ac alias Geographiæ Cosmographia, ſeu generalis mundani ſyſtematis notitia præmitti ſolet.

Opus ipſum digeſſit autor in duas partes principales, & librum præliminarem, cui materias quasdam generales & reliquis omnibus communes incluſit: videlicet doctrinam de natura, uſu & potiſſimum interpretatione Legum, ac dein de ſtatu Perſonarum, & Rerum qualitate ac diviſione. Porro Pars prior agit de *Obligationibus* omnis generis, poſterior de *Succesſionibus*. Illa iterum in quatuor Libros ſubdividitur, quorum 1. tractat de obligationibus voluntariis & reciprocis; 2. de his, quæ ſine conventione naſcuntur; 3. de iis, quæ obligationes ſequuntur, easque vel augent vel firmant; & 4. de his, quæ easdem tollunt, minuunt aut immutant. Hæc, poſterior nempe pars, rurſus ex quinque libris conſtare jubetur: 1. pertractat ſucceſſiones in genere, 2. legitimas ſeu quæ ab inteſtato ſunt, 3. teſtamentarias, 4 legata & alias diſpoſitiones mortis cauſa factas, 5. denique ſubſtitutiones & fideicommiſſa. Hæc eſt totius operis diſpoſitio; de quo quidem hactenus non niſi *Partis Prioris Liber Primus* exhibetur: ſpes tamen eſt reſiduas ſectiones propediem ſubſecuturas; maxime quod Rex ipſe, cui Liber inſcriptus eſt, non tantum initium hoc ſuo calculo adprobaſſe, ſed & ejus continuationem autori injunxiſſe fertur. In ipſa porro tractatione talem ſe gerit autor, ut primo ſub initium cujusque tituli illa ſummatim explicet, quæ de qualibet materia ſcitu neceſſaria ſunt, antequam quis regulas ad eandem facientes cognoſcat: hinc deinde ad ſpecialia deſcendit, diſtinctis ac ſuccinctis articulis incluſa, tali ordine ſibimet invicem ſubordinatis, qualem aut ipſa naturalis rerum ibi contentarum ſeries ſeu ſequela expoſcere viſa fuit, aut ad faciliorem intellectum conducere autor judicavit. Singulis vero articulis ſua mox probatio ſubnectitur per textus Juris pariter ac Scripturæ, non citatos nude, ſed verbotenus ſimul adſcriptos; ne vel ex ſola evolutione lectori tædium aut moleſtia crearetur. Non omiſit etiam ſimul annotare, ſicubi in uno alterove articulo mores Galliæ univerſæ diſtinctum quid a jure Romano ſervant. Sic v. g. intimat, in hocce regno contractuum non aliam

Digitized by Google

liam probationem admitti, niſi in ſcriptis, ſi ſumma excedat centum libras, ob metum nempe ſubordinationis, *pag. 16*; fœminas non amplius beneficio Vellejani gaudere, *pag. 38*; nec Macedoniano locum eſſe, niſi filio-familias ſpeciatim ad inſtruendam luxuriam creditam fuiſſe pecuniam, arbitrio judicis pateat, *pag. 47. & 270*; filiosfamilias poſt trigeſimum, filias poſt vigeſimum quintum ætatis annum impletum, poſſe absque parentum conſenſu nuptias contrahere, *pag. 47*; tutelam pubertate non finiri, ſed indiſtincte usque ad tempus majorennitatis continuari, *pag. 49*; exteros, quos ipſi *Aubains* id eſt, alibi natos appellant, incapaces haberi ſucceſſionum, teſtamenti condendi, munerum item ac beneficiorum, niſi a rege per literas naturaliſationis jus *Regnicolarum* ſint adepti, *pag. 49*; bona monachi non adquiri cœnobio, ne quidem interveniente iſtius diſpoſitione, ſed cedere heredibus ab inteſtato, aut quibus alias monaſterium ingrediens ea donare vult, *pag. 50*; filias elocatas renunciare debere ſucceſſioni paternæ, *pag. 329*; adſcendentes privari ſucceſſione in bonis, quæ liberi propria habeant, ne iſta retroſcendere aut ab una linea ad aliam migrare valeant, *pag. 344*; collateralibus etiam certam adſignari legitimam, quam teſtamento ipſis auferre non liceat, *tr. de LL. p. 78*; denique uſusfructus quandam ſpeciem tutoribus competere, quam *la Garde noble, ou bourgeoiſe* pro perſonarum differentia vocitant, *ib. pag. 112.*

In capite, quod de Mutuo tractat, prolixus inſeritur diſcurſus de Uſurarum natura & moralitate, quas quidem autor indiſtincte illicitas, & legibus tam divinis, quam humanis reprobatas oſtendere ſatagit, refutatis ſimul argumentis, quæ in earum patrocinium communiter allegari ſolent: proteſtatur tamen, ſe eo nomine comprehenſos nolle annuos reditus pro certa pecunia conſtitutos, partim quod ibi in debitoris ſtet arbitrio, quamdiu ſortem retinere velit, partim quia in iis vera intercedat venditio, adeoque contractus licitus, non uſurarius: verum num moralitatis intuitu inter uſuras & reditus annuos multum interſit, alii viderint. De cætero ex ſupra dictis jam quodammodo patebit, autorem hoc in opere ea potiſſimum juris capita complecti voluiſſe, quorum præ aliis uſus frequentior eſt & magis neceſſarius: omnia enim & ſingula hic quidem pertractare noluit. Sic non agit de materiis fiſcalibus, municipalibus, criminalibus, ordine judiciario & officio judicis, tum quod materiæ hæ per Regias

Galliæ

Digitized by Google

Galliæ ordinationes certam formam acceperint; tum quia magnam partem ad jus publicum ſpectent, adeoque hujus loci proprie non ſint. Quia tamen & earum intuitu in legibus variæ habeantur regulæ naturales, adeoque in hoc quoque regno uſu non carentes, utut Ordinationibus non comprehenſæ, alium & peculiarem illis Librum deſtinat; quo ſimul & eas materias comprehendere ſtatuit, quæ in Gallia conſuetudinariæ ſunt, adeoque Romano juri incognitæ, attamen ad ejus capita commode reduci poſſunt.

Der Europæiſchen Reiche Hiſtoriſche und Genealogiſche Erläuterung ꝛc. i. e.

Regnorum Europæorum Hiſtorico-Genealogica Illuſtratio, XLII Tabulis comprehenſa, autore Georgio Lohmeiero, Luneburgenſis Illuſtris Gymnaſii Inſpectore ac Profeſſore.

Luneburgi, apud J. G. Lipper, 1690, in fol.

UT Generoſæ Juventuti, cujus moderatur ſtudiis, rectius conſuleret clariſſimus Autor, Tabulas haſce adornandas cenſuit, quarum ductu Regnorum, quæ in Europa hodie florent, Hiſtoriam Auditoribus ſuis exponeret. Eæ vero comparatæ ita ſunt, ut inſignem uſum præbere & aliis poſſint, qui elegantiores haſce litteras ſeu docendo, ſeu diſcendo tractant, minimeque adeo viſæ ſunt indignæ, quæ in lucem Eruditi Orbis proferrentur. Utique non minus ad res geſtas diſtinctius comprehendendas, quam ad eaſdem memoriæ firmius imprimendas, & per compendiũ, ubi placuerit, repetendas plurimum valet ea, quam Autor adhibuit, methodus; cum & Reges ipſi, eorumque fratres, ſorores, agnati, quorum quidem in Hiſtoria momentum fuit, obtutui, ut in Genealogicis fieri Tabellis conſuevit, ſiſtantur, & ſingulorum geſta præcipua ſuccincte enarrentur, anno etiam, quo quidq; contigit, adſcripto: adeo ut & Genealogica, & Hiſtorica, & Chronologica Regnorum notitia hauriri inde poſſit, inprimis ſi idoneus interpres acceſſerit, qui paucis indicata verbis uberiori diſcurſu illuſtret. Cæterum Tabularum harum quod nuper admodum in lucem prodiit, Volumen primo loco Domum Auſtriacam, inde Hiſpaniæ, Navarræ, Portugalliæ, Franciæ, Angliæ, Scotiæ, Daniæ, Sueciæ, Poloniæ, Ungariæ, Bohemiæq; Reges complectitur. Quod ubi non diſplicuiſſe Lectori Autor intellexerit, pari ſe ratione Electorum quoque ac Principum Germaniæ Hiſtoriam editurum pollicetur.

Digitized by Google

ACTA
ERUDITORUM
publicata Lipſiæ
Calendis Aprilis Anno M DC LXXXX.

SEBASTIANI SCHMIDT IN LIBRUM POSTEriorem Samuelis Commentarius.

Argentorati, impenſis Joh. Frid. Spoor, 1689. in 4.

Conſtat plagulis 149.

ECcleſiæ orthodoxæ reique publicæ literariæ merito gratulamur vegetum ſenium feliciſſimi Bibliorum exegetæ *Sebaſtiani Schmidii*, Theologorum ac Profeſſorum Argentoratenſium Senioris, eccleſiaſticiq; conventus Præſidis benemerentiſſimi. Novis enim is indies adminiculis inſtruit illos, qui in veram verbi divini mentem penetrare cupiunt; nec ſatis eſſe ratus, in tot, eosque difficillimos utriusque fœderis libros, annotationes edidiſſe, (in *Actis Eruditorum* A. 1684. p. 532. A. 1685. p. 353. 355. A. 1687. p. 429. recenſitas,) in *poſteriorem* quoque *Samuelis librum* commentarium eodem, quo ante triennium *priorem* explicarat, filo nuperius contexuit. Namque & heic videas ſingula capita nova *verſione* literali Latina, *argumento* & *analyſi* logica, *annotationibus* ſuccinctioribus, prolixioribus *quæſtionibus*, *locis* denique *communibus* practicis explanari. Notior hæc eſt Schmidii methodus, quam ut multis eam exemplis illuſtrare opus ſit. Lubet tamen, dubia aliquot, quæ magnam hactenus crucem fixerunt interpretibus, nova autem aut certe minus trita via a Noſtro expediuntur, heic recenſere, quo Exteris præſertim, ad quos ob commercia literaria, Martis furore per totam fere Europam maximopere impedita aut ſufflaminata, ſerius forſan deveniet Commentarius iſte, prægustare eum quadantenus liceat.

Amalekitam *Cap. I. v. 6. 7. 8. 9. 10.* mentitum eſſe, vulgo creditur. pag. 21.

ditur. Schmidius autem a mendacio eum abſolvit, ſed regicidii reum agit, ideoque rem univerſam hoc ordine geſtam eſſe, non paucis argumentis firmat: Saul, antequam ad eum veniret Amalekita, ſumſit gladium, יפל *& cecidit* ſuper illum, *1. Sam. XXXI, 4.* Armigerherum expiraſſe perſuaſus, ſibimet ipſi manus intulit, atque revera obiit. Utut autem Saul allegato loco ex vulnere mortuus dicatur, non id tamen immediate factum eſſe, credendum fuerit. Cum enim cor ipſum, aberrante gladio, loricaque obſtante, non feriiſſet, ad ſe rediit, ſentiensque Amalekitam ad ſe appropinquantem, apprehenſa, quæ pone jacebat, haſta, ſuperiorem corporis partem erexit, ut quisnam adventaret, circumſpicere poſſet. Oravitque ita ac exoravit Amalekitam, ut agonizantem ſeſe novo vulnere conficeret. Id quod hic eo lubentius fecit, quod noſſet eum, lethaliter vulneratum, non victurum אחרי נפלו *poſtquam ceciderat*, (2. Sam. I, 10.) ſuper gladium puta; quemadmodum eandem vocem *1. Sam. XXXI, 4.* hoc ſenſu adhibitam eſſe, ſuperius diximus.

pag. 35. *Eod. cap. v. 18.* ספר הישר *liber Recti citatur.* Per *Rectum* ſive *Juſtum*, Deum ipſum intelligit Schmidius, cum id nominis eidem ἐξοχικῶς plus ſimplici vice Scriptura Sacra tribuat. Libro vero iſthoc recenſita fuiſſe putat univerſa ea, quæ Deus cum Iſraele ejusve cauſſa aliquot ſeculorum ſpatio egit; adeo ut & argumento, & titulo non abſimilis fuerit *libro Bellorum Jehovæ*, Num. XXI, 15. memorato.

Verſu 21. diræ in Gilboæ montes effunduntur, quas, cum injuſtæ videri queant, his omnino verbis explicatum ac defenſum ivit

38. Schmidius: Obſervandum erit, quod tum benedictiones & bona vota, tum maledictiones atque devotiones, maxime piorum hominum, ſæpe cum conditione accipi debeant. Sub qua conditione ſummum animi affectum teſtantur, non tamen abſoluti quid inferunt aut volunt, quin potius voluntatem ſuam alienæ voluntati ſubmittunt. Sic Paulus Rom. IX, 3. dicit: *Optarim ipſe ego anathema eſſe a Chriſto pro fratribus meis, qui ſunt conſanguinei mei ſecundum carnem.* Quæ vero devotio non abſolute intelligenda eſt, ſed ſub

39. conditione poſſibilitatis & juſtitiæ, q. d. *Optarim ipſe ego, ſi juſte & utiliter fieri poſſet, anathema eſſe a Chriſto pro fratribus meis.* Sicut Gal. IV, 15: *Teſtimonium perhibeo vobis, quod, ſi poſſibile, oculos veſtros*

ſtros effodientes dediſſetis mihi. Hac ratione ſi acceperis etiam maledictionem Davidis montibus Gilboæ maledicentis, declarabit illa nobis omnino ingentem tum dolorem, tum amantis animi affectum; neque tamen opus habebimus peccati eum accuſare. Senſus enim verborum: *O montes in Gilboa, ne ſit ros, neve pluvia ſuper vobis, aut agri oblationum*; hic erit: *O montes in Gilboa, ſi juſtum hoc eſſet & in mea poteſtate, optarim, neque rorem, neque pluviam ſuper vobis eſſe, aut agros oblationum; in ſignum perpetuum doloris & luctus mei, quem ſuper morte fortium, qui in vobis occiſi ſunt, concepi.* Et eo minus hoc peccatum erit, quia res in ſe non impia aut mala foret: ſicut in ſe non fuit malum, ficum cui Chriſtus innocenti maledixit, arefactam fuiſſe. Maledictio tamen Chriſti effectum habuit, quod non merus homo eſſet, adeoque absque conditione jubere poterat, ut ficus exareſceret. Davidis autem maledictio effectu caruit, quoniam ipſe idipſum abſolute nec voluit, nec velle debuit, quin, vi conditionis ſubintellectæ, voluntatem ſuam juſtæ liberæque Dei voluntati ſubjecit. Hæc Schmidius ad Caput primum.

Chronologica controverſia ex *Cap. II. v. 10. 11.* enaſcitur, dum Iſchboſcheth non niſi duos annos ſuper Iſraelem regnaſſe fertur; unde videri poſſet, Davidem non annos ſeptem cum dimidio regnaſſe ſuper ſolam Jehudæ tribum, (quod tamen ibidem dicitur,) niſi forte Iſraelitas poſt fata Iſchboſchethi ultra luſtrum integrum absque Rege fuiſſe, fateri volueris. Obſervat hic ſagaciſſimus Interpres, pag. 75. quod, quando h. l. & infra *c. V. v. 4. 5.* Davidis regimen in duas partes diſpeſcitur, quarum altera annos ſeptem cum dimidio, altera triginta tres complectitur, eæ ſibi non eatenus opponantur, quod illa ſuper ſolam Jehudæ tribum, hac ſuper univerſum Iſraelem regnarit, ſed quatenus Hebrone illo tempore, hoc Hieroſolymis ſedem regni conſtituerit; uti id ipſum 1. Reg. II, 10. clarius habetur. Davidem igitur Hebrone degentem biennio a morte Saulis proximo, dum Iſchboſcheth in vivis eſſet, ſoli Jehudæ tribui imperaſſe, poſtmodum & univerſo Iſraeli. Hoc ipſum tamen Hebroniticum regimen quandoque ad Jehudam duntaxat reſtringi, ob initium ſuum, per quod a regimine Hieroſolymitano œcumenico diſtingui poterat.

Cap. III. v. 29. inquit David: *Permaneant* (ſine remisſione) *ſuper capite Joabi, & ſuper tota domo patris ejus* (ſanguines Abneri) *& non*

& non exſcindatur e domo Joabi fluxum patiens, & leproſus, & apprehendens ſcipionem, & cadens gladio, & indigus panis. Verba non
pag. 141. prædictoria tantum ſunt, ſed & optativa. Neque enim dicitur:
142. לא יכרת *Non exſcindetur*; ſed: אל יכרת *ne exſcinditor.* Cæterum monet Schmidius, Davidem non ſingulis Joabi poſteris, ſed aliquibus, ſingulis generationibus viventibus, hæc imprecatum fuiſſe, præſertim cum eſſet præſumtio, uti nullam, ita nec Joabi gentem ab improbis, talique pœna dignis, deſtitutam fore. Diras autem has non ex vindictæ cupiditate, ſed in innocentiæ ſuæ & criminis Joabi teſtimonium, per ſingulas generationes ſuperſtes futurum, effudiſſe piiſſimum Regem. Utque eo magis Davidis votum ab iniquitate liberet Noſter, hoc quoque expendi cupit, non imprecatum eum eſſe ſpiritualia mala & æternam condemnationem, ſed tantum pœnas temporales, easque *ex jure talionis contemperato:* pro ſanguine Abneri effuſo, fluxum corporis & lepræ: pro cæde per gladium, caſum per gladium vel famem: pro feſtinatione ad retrahendum Abnerum, ægritudinem & tarditatem pedum.

Longum eſſet, per ſingula Libri ſacri capita ire. Sufficiant itaque ex prioribus tribus, ſpeciminis gratia, a nobis excerpta. Id ſolum addere opus eſt, tum in ambos *Regum* libros *commentaria*, tum *novam totius* codicis Ebræi *verſionem*, brevibus *ſcholiis* ſtipatam, a ſumme reverendo ſene ad editionem parari. Quod ut feliciter fiat, idoneas ei vires ab optimo Numine cordicitus adprecamur.

JOHANNIS LAUNOJI CONSTANTIENSIS, Pariſienſis Theologi, Epiſtolæ omnes octo partibus comprehenſæ, nunc demum ſimul editæ. Acceſſerunt indices quatuor, cum præfatione apologetica pro reformatione Eccleſiæ Anglicanæ.

Cantabrigiæ, impenſis Edvardi Hall, 1689, fol. Plag. 222.

JOhannes Launojus Pariſienſis Theologus, anno hujus ſeculi ſeptuageſimo octavo, cum totidem pæne annos vixiſſet, mortuus, ſcriptis ſuis immortalem ſibi famam comparavit. Edidit enim præter tractatus quosdam Gallice ſcriptos, Latino idiomate, octo epiſtolarum

rum volumina; Academiam Pariſienſem illuſtratam, ſeu Gymnaſii Navarræi hiſtoriam; tractatum de Regia in matrimonium poteſtate; opuſcula quædam de duobus Dionyſiis; diſſertationem de Victorino Epiſcopo & Martyre; diſſertationem de Autore vero profesſionis fidei, quæ Pelagio, Hieronymo & Auguſtino tribui vulgo ſolet; diſſertationem de Autore librorum de imitatione Chriſti; diſſertationem de vera notione plenarii apud Auguſtinum concilii, in cauſa rebaptizantium; confirmationem ejusdem diſſertationis; diſſertationem de recta canonis 6. Niceni intelligentia; ejusdem diſſertationis propugnationem, contra Henricum Valeſium; opuscula de commentitio Lazari & Maximini, Magdalenæ & Marthæ in Provinciam appulſu, quibus accedit tractatus de cura eccleſiæ pro Sanctis, & ſacris officiis ab omni falſitate vindicandis; diſſertationes tres, quarum una Gregorii Turonenſis de ſeptem Epiſcoporum in Gallia adventu, altera Severi Sulpitii de primis Galliæ Martyribus locum defendit, tertia in primi Cenomanorum Antiſtitis epocham inquirit; diſpunctionem epiſtolæ Petri de Marca de tempore, quo primum in Galliis ſuſcepta eſt Chriſti fides; diſſertationem duplicem, cujus una pars judicium de Autore vitæ S. Mauritii Andegavenſis Epiſcopi continet, altera Renati Andegavenſis Epiſcopi hiſtoriam attingit; librum de Sacramento unctionis infirmorum; librum de mente concilii Tridentini, circa contritionem & attritionem in Sacramento pœnitentiæ; diſſertationem de mente concilii Tridentini, circa ſatisfactionem in Sacramento pœnitentiæ; explicatam eccleſiæ traditionem circa canonem: *omnis utriusque ſexus*; venerandam eccleſiæ Romanæ circa Simoniam traditionem; librum de frequentis confesſionis & euchariſticæ communionis uſu, atque utilitate; judicium de Hadriani Valeſii diſceptatione, quæ de baſilicis inſcribitur; diſſertationem de autoritate negantis argumenti, cum appendice adverſus Johannem Baptiſtam Thiers; diſſertationem de vera cauſa ſeceſſus S. Brunonis in eremum; judicium de controverſia, ſuper exſcribendo Pariſienſis eccleſiæ martyrologio exorta; diſſertationem de veteri ciborum delectu in jejuniis, & maxime in quadrageſima; de veteri more baptizandi Judæos & Gentiles, & de priſcis ac ſolennioribus baptiſmi temporibus; librum de cura eccleſiæ pro miſeris & pauperibus; inquiſitionem in chartam fundationis &

 privi-

privilegia monaſterii Vindocinenſis; inquiſitionem in privilegia Ordinis Præmonſtratenſis; cenſuram reſponſionis, qua Fr. Norbertus Caillocius ſeſe mendaciis atque erroribus novis irretivit; Capituli Laudunenſis jus apertum in monaſteria Præmonſtratenſium; inquiſitionem in privilegium, quod Gregorius I. monaſterio S. Medardi dediſſe fertur; inquiſitionem in chartam immunitatis, quam B. Germanus ſuburbano monaſterio dediſſe fertur; aſſertionem hujus inquiſitionis; diſſertationes 5. de Simonis Stochii viſo, Sabbatinæ Bullæ privilegio, & ſcapularis Carmelitarum ſodalitate; ſpecimen diverſi generis erratorum, quæ in Parthenicis Nicolai Advocati Billiadi vindiciis extant; indicem locupletisſimum erratorum in libro Scriptoris Itali (Dominici Galeſii) contentorum; librum de varia Ariſtotelis in Academia Pariſienſi fortuna; tractatum de ſcholis celebrioribus, ſive a Carolo M. ſeu poſt eundem, per Occidentem inſtauratis, & notationes in cenſuram duarum propoſitionum Antonii Arnaldi. Ex his Joh. Launoji ſcriptis, notationes poſtremo loco memoratæ, cum ejusdem elogio, in Actis noſtris menſ. Jul. 1686. p. 342. recenſito, Londini, cætera Pariſiis prodierunt, nec pauca illorum aliquoties excuſa, & in poſtremis editionibus variis accesſionibus locupletata ſunt.

Cur vero Launoji Scriptoris Pontificii epiſtolæ in Anglia nunc iterum typis mandatæ fuerint, exponit *Guil. Saywell* in præfatione apologetica pro reformatione Eccleſiæ Anglicanæ, in qua notat, Launojum conſenſum traditionis & conciliorum cum ſacris Scripturis, contra Bellarminum, Baronium & alios, qui in Curiæ Romanæ gratiam traditionem & hiſtoriam eccleſiaſticam corruperint, egregie oſtendere; nec aliam methodum ab Eccleſia Anglicana in aſſerendis fidei dogmatibus uſurpari. Ne vero temere hanc Launoji methodum, & autoritatem eccleſiæ catholicæ & traditionis eccleſiaſticæ, disſidentibus eccleſiis commendare videatur, eandem ex Scriptura, praxi Apoſtolica, & recta ratione probare contendit. Adducit igitur ea Scripturæ loca, in quibus poteſtas & autoritas docendi, regendi & corrigendi eccleſias, Epiſcopis & Paſtoribus commiſſa eſt, & quæ Chriſtianis, ut Paſtores ſuos audiant iisque obtemperent, inculcant. In verbis etiam Chriſti: *dic eccleſiæ*; per eccleſiam Epiſcopos & Presbyteros intelligi aſſerit, cum ſtatim ſubjunga-

jungatur: *quodcunque ligaveritis in terra, ligatum erit & in cœlis*. Quibus præmiſſis concludit, Laicum, qui non audit Parochum, Parochũ, qui non audit Epiſcopum, Epiſcopũ, qui non audit Synodum Provinciale, Synodum Provinciale, quæ non audit Concilium generale, Eccleſiam ipſumque Eccleſiæ Dominum non audire. Ad objectionem, quod per mille annos generalia concilia habita non fuerint, reſpondet, concilium generale eſſe quidem modum, quo mentem de rebus Theologicis Eccleſia exponat, non unicum tamen, nec abſolute neceſſariũ, ſed ſufficere, ſi ex Scripturis & antiquorum ſcriptis, & uſu paſſim recepto veritas tradatur; cum norma veritatis ſit Scriptura, & Eccleſia ejusdem cuſtos & interpres, quæ per omnia ſecula in liturgiis, concionibus, conciliis particularibus, & nonnunquam generalibus, fidem evangelicam, una cum Scripturis, omnibus Chriſtianis commendaverit. Ad articulum Eccleſiæ Anglicanæ, qui concilia etiam generalia errare poſſe & actu erraſſe aſſerit, reſpondet, articulum illum non de ſex prioribus conciliis œcumenicis, ſed de aliis duodecim conciliis, quæ vulgo generalium nomine notantur, etſi talia non fuerint, intelligi debere; aut ſi de conciliis vere generalibus loquatur, mitius tamen de eorum erroribus Eccleſiam Anglicanam pronunciare, cum dicit: *errare poſſunt in pertinentibus ad Deum*, non autem: *in rebus ad ſalutem neceſſariis*. Fruſtra autem traditioni & conciliis Scripturam opponi aſſerit, cum ſua & Scripturæ ſufficientia, & traditioni firmitas, & Paſtoribus ac Conciliis autoritas ſervari debeat. Si quid enim difficile in Scripturis occurrat, ab eccleſia & traditione lumen afferri dicit; contra ſi quid in eccleſia diſceptationi obnoxium occurrat, a Scripturæ canone litem illam dirimi; ſi vero de mente Scripturæ & Eccleſiæ controvertatur, Paſtores ad hoc munus divinitus inſtructos de doctrina recepta & recto ſenſu teſtimonium perhibere. Nec meliorem pacis & unionis eccleſiaſticæ viam eſſe concludit, quam ut traditio Eccleſiæ ad normam Scripturæ, & interpretatio Scripturæ ad traditionem Eccleſiæ catholicæ, quam analogiam fidei vocat, componatur; nec opus eſſe, ut conciliũ generale ad lites, quæ inter Pontificios & Reformatos agitantur, decidendas cogatur, ſi id quod a Romanenſibus additũ eſt, auferatur, & quod a Reformatis omiſſũ eſt, reſtituatur. Attingit deinde ſpecialiter ordinationes Epiſcopales, & miratur, viros quos-

dam

dam doctos incerta pro certis, & nova pro veteribus ſubſtituere, cum etiam acerrimi ordinationis Presbyterianæ vindices, ordinationes Epiſcopales, tanquam veras & legitimas agnoſcant; unde æquum eſſe putat, ut viri Chriſtiani tutiorem & ab Eccleſia magis approbatam ſententiã, quam novitates & privatas Criticorum conjecturas ſequantur, aut ſi fidem de ordinatione Presbyteriali habent, ſibi habeant, nec ſuam ſententiã aliis obtrudant. Addit non timendum eſſe, ne rebus aliter apud ſe jam conſtitutis, eccleſiarum ſuarũ ſtatus per Epiſcopalis ordinationis reſtitutionem penitus evertatur; cum Epiſcopi & Presbyteri in Synodis Provincialibus facile ordinationes Eccleſiaſticas pro regimine Eccleſiæ ita temperare poſſint, ut turbis & querelis viam præcludant; nec neceſſitatis prætextu novitatem Presbyterialium ordinationum excuſari poſſe ab iis, qui jam dudum, ſi id ſummo ſtudio tentaſſent, a Bohemicis, Anglicis aut Græcis Epiſcopis conſecrationes Epiſcopales conſequi potuiſſent. Urget porro, ad firmandam traditionum & conciliorum autoritatem, promiſſionem Chriſti, qui pollicitus eſt, ſe Eccleſiæ ſuæ affuturum, variaque eccleſiæ elogia ex Scripturis adducit, quibus ſi non certo probari, ſaltem innui dicit, quod Spiritus Sanctus ita corda Epiſcoporum regat & diſponat, ut ſaltem in decretis & interpretationibus, quæ ad fidem & pacem eccleſiæ ſpectant, a veritate catholica non aberrent. Tandem, cum nonnulla de controverſiis, quæ Pontificiis cum Reformatis intercedunt, diſſeruiſſet, iterum ad Launojum redit, & quanto cum fructu epiſtolæ ejus legantur, indicat; aſſerens eas eſſe velut claves traditionis eccleſiaſticæ, & inſtrumentum, quo radices hæreſium & ſchismatum, quibus hodie Eccleſia perturbatur, funditus evelli poſſint.

Cæterum novæ huic editioni epiſtolarum Launoji, quæ uno volumine complectitur, quæ olim octo minoribus voluminibus continebantur, præter argumenta ſingulis antehac tomis præfixa, quatuor acceſſerunt indices, I. Autorum majoris notæ, quorum opera in dogmatibus his controverſis adhibetur, II. eorum ad quos ſcripſit Launojus, III. locorum Scripturæ, quæ vel curſim attinguntur, vel integre aut aliqua ex parte explicantur, IV. rerum, verborum, autorumque qui illuſtrantur, vindicantur vel emendantur. Numeri autem, qui in epiſtolarum margine comparent, prioris editionis paginis reſpondent.

LA

Digitized by Google

LA PHILOSOPHIE DU PRINCE, OU LA veritable idée de la nouvelle & de l'ancienne philoſophie. i e.

Philoſophia Principum, ſive Vera novæ & antiquæ philoſophiæ Idea.

Pariſiis, apud Viduam Claudii Thibout, &c. 1689, in 8.

Conſtat plagulis 39.

CUm illis, qui fingendis & inſtituendis Principum animis præſunt, opera præcipue danda ſit, ut ex philoſophia ſolum ea, ſine quorum cognitione in errore eſſe homines & in pulcherrimarum rerum ignoratione verſari neceſſe eſt, ipſos perſpicue doceant, nec mentes ad ſumma natas ſcholæ tricis implicent; non male de illis mereri cenſendus eſſet, ſi quis ex omni philoſophia ſelectiſſima colligeret, eaque claro facilique dicendi genere ita proponeret, ut alia ex aliis nexa & omnia inter ſe apta eſſent atque colligata. Quod propoſitum cum præſentis libri Autor, quisquis is eſt, ſecutum ſe eſſe præ ſe ferat, an conſecutus illud fuerit, eruditorum erit judicare. Et perſpicuæ quidem brevitatis laudem nemo facile illi denegaverit; in ipſa vero doctrina hunc ſecutus eſt ordinem, ut *primo* tractatu de logica veteri & nova, *ſecundo* de phyſica, *tertio* de mundo, *quarto* de metaphyſicis, *quinto* de morali philoſophia egerit, palmares tandem propoſitiones ſubjiciens, quæ excerptæ ſunt ex libris præcedentibus. Ut vero pauca, ex quibus eluceat, quomodo in rerum ipſarum tractatione verſetur, adferamus: In *Phyſicis* ferri ad magnetem acceſſum ab occulta qualitate, cui proprium ſit attrahere ferrum, repetit; gravium vero leviumque motum qualitatibus a gravitate & levitate productis adſcribens, prædicat inſignem ſuæ explicationis facilitatem, ſi cum Gaſſendi aliorumque cogitatis conferatur. In *Metaphyſicis* disquiſitioni, num eſſentia ab exiſtentia differat, quinq; paginas impendit, & philoſophiæ Ariſtotelico-ſcholaſticæ ſcita Principi ſuo paſſim inculcat.

JACOBI VVOLFF, PHIL. ET MED. D. ACAD. Leopoldino-Imper. Adjuncti, Scrutinium Amuleto-

rum Medicum, in quo de natura & attributis illorum, uti & plurimis illis, quæ paſſim in uſum tam in theoria, quam praxi vocari ſueverunt, ac in ſpecie de Zenechtis, vel quæ peſti opponuntur, agitur &c.

Lipſiæ & Jenæ, apud viduam Reinhardi Wæchtleri, 1690, in 4. Conſtat plagulis 93.

EA quæ de Amuletis hactenus ſcripta ſunt, aut imperfectam eorundem notitiam tradunt, aut adeo apud varios autores hinc inde diſperſa latent, ut non niſi magno molimine conquiri poſſint. Juſtum itaque de iis tractatum complecti hoc opere clariſſimus Autor voluit, ex compluribus ſcriptoribus, ad normam *Academiæ Leopoldino-Imper. Curioſorum*, cujus haud ignobile membrum exiſtit, magno ſtudio collectum. Quatuor vero capitibus liber hic abſolvitur. *Primum* in duas ſectiones diſpeſcitur, quarum priore nomenclatura amuleti exhibetur, quod quidam illud ab amoliendo, quidam ab amula, vaſculo religionis & expiationis gratia geſtato derivent. Quibus Synonyma diverſa amuletorum, generalia & ſpecialia, & æquivocarum denominationũ explanationes anneƈtuntur. In ſectione poſteriore naturam amuleti ſic declarat, ut innuat, licitorum tantum tractationem ſe ſuſcepturum. Quippe amuletum pag. 23. Noſtro, remotis aliis deſcriptionibus, dicitur externum atq; naturale medicamentum, vel res variis partibus corporis ſenſitivi, contra ipſius morbos inprimis, vel mala, curationis atque præſervationis gratia ſuſpenſa vel admota; ſive etiam quæ aliis minus ſenſitivis locis & rebus admovetur, pro variis injuriis aut malis arcendis, ac bonis accerſendis; & quæ res ut plurimum forma ſicca, integra, atque pauca prædita eſt. Hinc excluduntur omnia, quæ illicito modo, & per incantationem peraguntur. Referuntur vero huc etiam illa, quæ homines, agros, plantas a venenatarum beſtiarum morſibus tuentur &c.

Caput *ſecundum* unicam ſectionem continet, in qua ſecundũ alphabethi ordinem, plurimi corporis humani affectus, variaque, quorum vel conciliandorum, vel removendorum gratia ſolliciti ſumus, exhibentur. Ad cujusvis vero titulum varia ab autoribus variis commendata amuleta, congrua & inepta, hiſtorice utplurimum cum patronis & oppugnatoribus enumerantur: ſubinde tamen

Digitized by Google

tamen aut applauſu excipiuntur, aut juſta cenſura notantur. Paradigmatis loco liceat Lectori Benevolo proponere ea, quæ peſti reſiſtunt, & Zenechta appellantur, cum horum recenſionem & examen curatius aliis proſequatur. Itaque & hic rejectis merito illis, quæ characteribus variis inſigniuntur, in naturalia tantum inquirit. Inter hæc vero primo ſub limam vocat arſenicum, auripigmentum, & mercurium, aliaque ex venenatis animalibus parata. Qui arſenici Pag. 277.
uſum hunc in finem commendant pariter, ac qui diſſuadent, involu- 285.
tum licet & cum cautela applicatum, prolixius enarrantur. Atque his poſtremis, quod tutiora ſuppetant, Autor accedit. Dehinc poſteaquam plures mercurii & aſſertores & detrectatores ſuppeditavit, plurimos allegat autores, ex quibus diverſæ ex iisdem Zenechta 294.
parandi formulæ peti poſſint. Quo vero magis venenatorum ejusmodi Zenechtorum uſum ſuſpectum reddat, diverſas adducit rationes. Primo enim ſuſpectã ſiſtit eorum originem, quod nimirũ ab imperitis ob æquivocationẽ non intellectam ſubſtituta ſint taliã, quæ ab inventorũ mente ſæpe alieniſſima fuerunt. Quando e. g. interpretes inſulſi 295.
pro *Sandaracha Arabum*, gummi ſcilicet juniperino, *Sandaracham Græcorum*, ipſum noxium arſenicũ receperunt. Aut quando ab eadem imperitia profectum eſt, ut ab Arabibus ſacculus *Darſeni* commen- 297.
datus, redditus ſit *D'arſenico*. Darſeni vero cinnamomum denotat, quod etiam contra venena adhiberi adhuc apud Indos, ex Piſone & Garcia ab Horto comprobat. Secundam rationem ex eo de- 298.
promit, quod, ſi quis venenato ejusmodi periapto munitus moriatur, dubium relinquat, utrum peſtis, an veneni hujus atrocia perierit: aut ſi eva dat, victoria Zenechto adſcribi certo nequeat, cum multi peſtem ſuperent etiam tali non inſtructi. Tertio ſubleſtam eorum fidem reddit, quod quidam autores ad noxam, quam negare non poſſunt, corrigendam, eadem alexipharmacorum admiſcela mitiganda exiſtiment. Porro quod aliqui eorundem continuum uſum, alii poſt aliqualem uſurpationem eorundem renovationem imperant, argumentum ſuggerit ſuſpectæ operationis. Dubium etiam naſci- 299.
tur, an non forte, priusquam corpori admoventur, jam venenum ex aere imbiberint, & hinc inefficacia, imo noxia exiſtant. Denique in 300.
quot non partes diſcedunt, qui operationis rationem reddere ſatagunt? Alii venena hæc exterius adhibita peſtilentem aerem ex

 corpo-

corporis centro ad circumferentiam prolectare contendunt. Alii humoribus motum impertiendo, hincque ſudoris provocatione operari ea aſſerunt. Alii atomos quasdam inſpirare corpori, quæ ſpiritus roborent, dicunt. Alii interius venenis vim deleteriam, exterius alexipharmacam tribuunt. Alii duo venena dum in ſe agunt, fortius antidotum evadere debellato mitiore perhibent. Alii aliam operationem ejusmodi Zenechtorum ſibi concipiunt in infectis, aliam in ſanis. Quidam ipſis exſiccandi vim aſſignant, ratione cujus humiditati & corruptioni reſiſtant: & contra quidam per frigiditatem vim ſuam exerere autumant. Alii conſuetudine venena innoxia evadere affirmant, quod tamen per plura exempla refellitur. Arridet aliis attractionem in auxilium vocare, per quam ſimile ex corpore alliciant venenum. Imo hinc videtur aliis magis proficuum eadem corpori proximius applicare, ut ſic caliditate ſua cutem erodendo veſicatoriorum aut fonticulorum munus præſtent, quorum uſus hac occaſione examinatur & certo modo probatur. Quidam ad vim imaginationis, & efficaciam fiduciæ, quidam ad occultas qualitates, quidam ad τὸ θεῖον confugiunt, quidam vero tantum ad experientiæ teſtimonium provocant. Eandem circa araneas & bufones autorum inconſtantiam Noſter accuſat, variasque opiniones enumerat. Rabidorum & vene-
pag. 330. natorum animalium partes, pro uſu medico rejicit, pluribusque
344. exemplis etiam poſt mortem eadem nocuiſſe docet. Imo tam Helmontianum, quam Butlerianum ex bufone adeo celebratum Zenech-
357. ton, neque patronis ſuis, neque aliis ſatisfeciſſe, pluribus teſtimoniis comprobatur. Quibus rationibus adductus Autor, notat omnia ex venenis parata Zenechta; tutiora vero ex bezoardicis, cardiacis, alexipharmacis facta pronuntiat. Singula igitur in uſum adhibita, radices, gemmas, alia recenſet, illicita & ſuperſtitioſa damnat, & quod
359. ubiq; aſſolet, auctorum ſuadentium & diſſuadentium loca apponit. Ipſe vero non equidem omnem ipſis vim derogat, cum prudentia tamen adhibenda eſſe monet, cum in tanta mali hujus & effræni ferocia, alexipharmaca potentisſima, interius licet, nec in exigua doſi aſſumta elangueſcant: quid igitur mirum, ſi & ejusmodi externa fine ſuo quandoque non potiantur?

Caput

Caput *tertium* pariter unam tantum ſectionem comprehendit, in qua amuletorum modus operandi generalis indagatur. Primum etiam metallis & lapidibus, exemplo inprimis magnetis, locus inter amuleta contra Helmontium vindicatur. Hinc diverſorum auctorum placita circa modum operandi in genere enumerantur. Poſthæc pag. 470.
in ſpecie ſuccini vis attractoria conſideratur; an corallia a menſtruatis mutationem ſubeant, disquiritur; ſpeculaq; ab his corrumpi, non tam aſpectui, quam halitibus ex ore emiſſis acceptum fertur. Probabilius porro exiſtimatur, gemmas non tam morboſam amurcā concentrare 474.
& evocare, quam ex contiguo ſuo ſitu ab affluviis morboſis emanantibus affici. Poſtquam per variorum autorum ſententias diſceptatū eſt, num amuleta quædam vires corpori infundere poſſint, quibus o- 479.
bicem morbis ponere valeant, hoc per poros, emiſſione atomorum fieri affirmatur. Non enim vi occulta in animam agere, ſed corpu- 483.
ſcula emanantia per cutem, quo teneriorem eo facilius, ad arterias ferri, & ope circulationis cum toto corpore communicari ait, & per complura autorum teſtimonia confirmat. Ut vero hæc eo penitius pateant, inſipida quoque & inodora in amuletorum numerum adoptat, quoniam aquā inſipida licet nihilominus nutrit, fontes ſoterii utplurimū inſipidi ſunt, quædā legumina, ſemina, radices, &c. videntur inſipida, arte chymica vero reſoluta partes ſatis efficaces tradunt; in metallis etiā & mineralibus, inprimis mercurialib9 & antimonialibus, efficaciainſignis, ſapor fere nullus deprehenditur. At illis utpluri- 480.
mū lapides aliquid debent, & hinc contriti integris efficaciores, utpote partibus ſic magis evolutis, exiſtunt. Refert poſtea aliorum opi- 484.
niones, qui nunc recipiendo, nunc emittendo, nunc per ſympathiam, nunc per antipathiam, nunc per vim opiatam, ſeu figentem amuleta 493.
operari contendunt. Taliſmata poſtea, vanique tilſemarum 500.
effectus enarrantur, & notantur. Quæ a ſignaturis & ſimilitu- 502.
dine lateris affecti, coloris, & numeri rerum, a quibus medicamenta recipiuntur, cum morbis quibus medentur, deſumuntur argumenta, in utramque partem referuntur, & vanitatis notam incurrunt. Qua occaſione etiam illi, qui numeri imparis, rerum colore nigro aut rubro notatarum, in adhibitione medicamentorum curam gerunt, recenſentur & refelluntur. Ubi pariter, quid de panni rubri uſu in variolis judicandum ſit, excutitur. Præterea imaginationis 513.

 vis

pag. 520. vis examinatur, eiq; aliquid in amuletis efficaciæ conceditur, ſicuti
& quandoq; caſu æger convaleſcat, quod amuletis falſo adſcribitur.
Omnem vero amuletorum, uti & reliquorum medicamentorum o-
perationem potiſſimum exeri ſuſpicatur, motum & evacuationem
variam promovendo, obſtructiones deoppilando, conſolidando,
530. humores noxios alterando, fluxiles incraſſando, aut opiatorum in-
ſtar operando. Tandemque Veterum placitis de actionibus totius
ſubſtantiæ, & occultis qualitatibus operoſius perveſtigatis, quædam
periammata inſenſibiliter vires ſuas exerere conceditur. Imo &
Deum, & ex hujus permiſſione dæmonem amuletorum effectus va-
rios moderari, perhibetur.

Cap. IV & ultimum tribus ſectionibus abſolvitur, in quibus ſpe-
cialius amuletorum effectus Autor perſcrutatur. In prima ſectio-
ne, improbanda & illicita pendacula rejiciuntur. Et hinc poſt va-
rias cauſas, cur illicita in uſum vocata ſint periapta, ex Hildebrando,
541. Longino, Sandæo, Sennerto, Freitagio, aliisque notæ generales,
quibus illa dignoſci queant, allegantur. Proinde quæcunque a dæ-
545. monis conſilio profecta ſunt, etiamſi boni ſpeciem præ ſe ferant, re-
probantur. Ubi variæ ſimul incidentes quæſtiones Autorum, qui eas
moverunt, evolutioni committuntur. At nihilominus licere dicitur
548. medico immiſſorum a dæmone morborum curationem per media
naturalia aggredi. Opus vero eſſe ea cautela, ut non ſtatim morbos
quoscunque chronicos, convulſivos, aliosve pertinaciores ſolito &
pravi moris, pro diabolicis judicet; atque ut in medicina applicanda
ſuſpenſa manu procedat, cum ea nec ſemper, nec ſupernaturalem
552. edat effectum. Siquidem per plura exempla docetur, eam eſſe ca-
codæmonis diſſimulantis aſtutiam, ut ſæpe ſæpius illicita maxime
remedia pro licitis tamen habeantur. Adhæc ea, quæ a morboſis
556. corporibus demta viis publicis exponuntur, ut apprehendentes affi-
ciant, cane pejus & angue fugienda eſſe præcipiuntur. Neque im-
merito vanitatis aut levitatis accuſantur, quæ Dei favorem concili-
andi, aut fortunam propitiam reddendi ergo, appenduntur periam-
mata. Gemmas quod attinet, earum patroni & oſores, inprimis
ſculptarum recenſentur, ubi ſimul Trithemii & Alberti Magni ſcri-
pta notantur, quamvis huic falſo quædam imputari credatur.

Autor

Autor veró non indifferenter earum virtutes admittit, ſed experientiæ trutinæ relinquit. Varias dehinc ſententias de annulis, cur in digito prope minimum geſtentur; item an gemmæ ex annulis excidentes mortem prædicant, exponit. Magicis vero aut ex ferro, quo ſuſpenſi muniuntur, conflatis omnimode interdicit. Omnem etiam uſum tilſemarum, characterum, cabalarum, ſigillorum, ſchedularum variis carminibus, verbis, aut ſignis notatarum, verborum Ebræorum abuſum, fiduciam illicitam, & ſuperſtitioni innixam, peregrinaque quævis vocabula, & characteres, quia ſæpe occulta in illis diaboli invocatio latet, rejicit. Eandemque maculam ſuperſtitioſæ S. Literarum, benedictionis, ceremoniarum variarum, crucis, numeri &c. adhibitioni inurit. Rerum aqua luſtrali ſacratarum, curationum Homericarum, niceteriorum, literarum Epheſiarum &c. efficaciam ridet. Ubique tamen autorum utrique parti faventium loca ſubminiſtrat. Magiam, cujus inventorem Zoroaſtrem exiſtimat, etiam albam ſic dictam vix licitam eſſe profitetur, quod ſæpe aſtus dæmonis ſub illa celetur. Adeoque medici eſſe concludit, ut ſecundum methodi re- pag. 603.
gulas procedens, ab omnibus ejusmodi periaptis quantum poſſit abſtineat.


Sectio II. diffidit amuletis alioquin licitis, propter characterem quadantenus ſuſpectum. Quippe licita etiam ſæpe vix ſine ſuperſtitione adhibentur, aut majori, quam par eſt, fiducia coluntur, ut Dei gloria poſtponatur. Quandoque operatio ex aliis circumſtantiis, aut remediis ſimul adhibitis procedit. Sic hæmatites frigidita-
te ſua, æque ac alia, ſanguinem ſiſtit, & diverſi generis deſiderata pel- 634.
licea ob calorem, quem fovent, in colica proſunt. Accedit, plura amuleta non per experientiam confirmatam, ſed per credulitatem commendari, atque autoritati ſuadentium ſæpe nimiam fidem adhi-
beri: imo aliquoties contrarios iisdem effectus aſſignari, ut hinc 629.
non pauci ipſis nuntium mittant ex cordatioribus. Exempli loco 623. 632.
ætitem commemorat, quem nunc partus pellendi, nunc retinendi cauſa alligant, cum ſæpe effectus a ligatura proveniat. Dubi-
am eorum porro fidem reddit origo, quam alia mulierculanum 635.
ſuperſtitioni, alia plebejorum ingenio, qui nihil inexpertum relinquant, alia venatorum vafritiei, alia pravæ nationis conſuetudini,

alia

alia medicis priſcis, aut paganæ, aut pontificiæ ſuperſtitionis labe infe-
pap.647. ctis, debent; ubi ſimul Paracelſus ſuſpectus redditur. Quinimo etiam
naturalia quamvis, ſi ad eorum uſum verba certa, aut tempus inſue-
tum exigantur, ſuſpicionis notam incurrunt. Quædam joco com-
653. mendata caſu profuerunt, & hinc male intellecta adhiberi cœpe-
runt: ſimili ratione, ac hieroglyphicæ quædam Alchymicorum
notæ ab imperitis in abuſum convertuntur. Imagines magnatum
primum devotionis gratia geſtatæ, uti niceteria in præmium victo-
riæ, poſtea amuleta, illæ ad fortunam, hæc ad victoriam conciliandam
evaſerunt. His variorum de Palladio, Ancili, aliiſque cœlitus dela-
pſis ſententias Autor adjungit. Tandem pluribus erroribus anſam de-
diſſe ediſſerit amphibolias vocum non recte intellectas, quæ omnia
variis exemplis, autorumque teſtimoniis declarat. In Sectione III.
applaudit amuletis licitis & tolerandis. Dari amuleta tam curativa,
quam præſervativa, & ratione & autoritate comprobat. Illa exem-
plo cantharidum demonſtrat, poſſe quædam in corporis partes etiam
diſſitas agere, cum illæ manu tractatæ urinam cruentare valeant.
Hæc recenſione magnorum in medicina nominum, quæ amuletis
675. delectata fuerunt, ſtabilitur. Accedit etiam, nonnulla quandoque
686. effectus quoſdam edere, eoſque ab experientia confirmari, quamvis
ratio adeo manifeſte non pateat. Lucem ſiquidẽ ipſis accendi aliquã,
679. quod certa animalia certis amuletis gaudeant, imo certis alimentis
utantur pro pabulo, atq; eorum quædam in quibuſdam locis vivere
680. non poſſint. Quapropter licere in morbis atrocibus undecunque
remedia conquirere, & ſic etiam cum aliis medicamentis applicare
amuleta refert, inprimis infantibus aut delicatulis, qui interna me-
dicamenta averſantur, aut illis quibus ore propter morbum occluſo,
eadem aſſumere non conceditur, cum ſæpe opinioni aliquid litan-
dum ſit. Ope vero circulationis ad partes ferri, quod cap. III. jam
innuit, hic repetit; hinc partibus iis alliganda eſſe præcipit, quibus
arteriæ proximius ſubjacent, cum hac ratione ſæpe citius, & integra
683. magis, quam interne aſſumta medicamenta per tot anfractus inteſti-
norum & vaſorum, ad ſanguinem pertingant. Resq; tandem eo re-
cidit, ut amuleta non ſola, ſed aliis medicamentis jungenda, atque
plurimis in locis ſimul applicanda, & diutius continuanda concedat,
ne morbo nondum ſufficienter profligato recidiva metuenda ſit.


Quan-

Digitized by Google



Digitized by Google

TAB. VI. ad A. 1690. pag. 169. ſqq.



Digitized by Google

Quandoquidem media incedens via clariſſimus Autor amuletis neque nimis multum æſtimii indifferenter aſſignat, neque omnem exiſtimationem omnibus iis detrahendam ſtatuit. pag. 687.

CURVA GEOMETRICA, QUÆ SEIPSAM ſui evolutione deſcribit, aliasque inſignes proprietates obtinet, inventa a D. T.

I. Cum multi hoc ævo Geometræ curvam, quæ cyclois vocatur, accuratum ſub examen vocarint, primus tamen nobiliſſimus Vir, Dn. Chriſtianus Hugenius, illam *ſui evolutione ſeipſam deſcribere* in Horologio ſuo Oſcillatorio demonſtravit. Hæc autem proprietas quia tam ſingularis eſt, ut ſummus ille Geometra l. c. p. 11, *an alii præter hanc lineæ curvæ data ſit*, ambigat; non ingratum eruditis me facturum putavi, ſi certiores ipſos facerem, eandem a me in curva obſervatam fuiſſe non mechanica, in quarum cenſu cyclois habetur, ſed cujus omnia puncta Geometrice determinantur. Eſt vero hæc *curva* illa ipſa, *quæ a radiis Solaribus in ſpeculo ſpharico reflexis* generatur, cujus facillimam conſtructionem nuper in Actis Erud. menſis Februarii aperui, demonſtrationem ex fundamento generali omnes curvas a radiis Solaribus determinante deducens; quo factum eſt, ut demonſtratio illa paullo ſit prolixior, quæ in certis curvarum ſpeciebus perbrevis nonnunquam exiſtit. Talis ergo cum in præſenti quoque caſu locum habeat, quæque calculi Algebraici cognitionem non requirit; illam, antequam ad evolutionem curvæ accedam, afferam in medium, in gratiam amicorum, qui eam ut publicarem, a me petierunt.

II. In *figura prima* diametrum DB ſecet normaliter linea LN, eique fiat æqualis LH; ſi jam in eadem ſumatur LG, æqualis dimidio ordinatim adplicatæ LP, dico punctum G eſſe in curva EGB, & hoc ipſum ita demonſtro: Ducatur KM perpendicularis diametro DB, & eidem æqualis fiat KI, ſecans lineam LH in G, junganturque KL & HI; erit *primo* arcus KM = arcui KI, ſed quia arcus KM = arcubus MN, NL, LK, & arcus KI = arcubus KH & HI, erunt arcus MN, NL, LK = arcubus KH & HI. Sed denuo arcus MN = TAB. VI. *Fig. 1.*

LK, & LN=LK & HK, adeoque erit arcus LK ter ſumtus una cum arcu HK=arcubus KH & HI. Unde ablato arcu communi KH, ſemper arcus HI triplus eſt arcus KL. *Secundo* propter triangula ſimilia KLG & HIG, erit ut KL ad HI, ſic LG ad IG. Jam ſi concipiantur radii MK & NL indefinite parvo intervallo diſtare, lineæ KL & HI cum arcubus circularibus KL & HI, & recta IG cum recta HG coincident, adeoque tunc erit, ut arcus KL ad arcum HI, ſic LG ad GH, h. e. per modo oſtenſa, ut 1 ad 3, atq; hinc LG erit quarta ſemper pars lineæ HL ſeu dimidia LP. Q. E. D.

III. Hanc porro Curvam evolutione ſui ſe deſcribere, facillima, quæ ſequitur, demonſtratio docebit. Sit INF (Fig. 2.) Curva
Fig. 2. Cauſtica, cui in puncto I affixum filum curvam integram INF ambiens, filum vero dum evolvitur, deſcribat curvam FPM; ajo hanc curvam evolutione deſcriptam eſſe cauſticam ſpeculi ſphærici MGH, cujus radius CM duplus eſt radii CL. Producatur enim NO in P, & ad lineam NP ſit perpendicularis QPR a circumferentiæ punctis Q & R terminata, quæque proinde ex lege evolutionis, Curvam MPF tangat. SWQ ſit ordinatim adplicata, puncta vero O & Q conjungantur recta OQ. Hiſce ita poſitis, recta NOP continue æquatur curvæ NF, necnon NO & EO (juxta theorema, quod de radio incidente & reflexo ſemper æqualibus cuidam curvæ olim exhibui) ſunt æquales curvæ NF, adeoque NOP=NO & OE: ablato autem communi NO, erit OE=OP. Quæ proprietas facilem hujus curvæ deſcriptionem ſuppeditat, plurimumque facit ad ſequentium intellectum. Jam vero quia in triangulis OPQ & OEC recta OP=OE, & angulus EOC=NOC=QOP, item angulus OEC=OPQ; patet reliqua quoque latera horum triangulorum inter ſe eſſe æqualia, h. e. OQ=OC & QP=CE. Porro propter triangula ſimilia OWQ & OEC, erit ut OC ad CE, ſic OQ ad WQ. Jam OQ=OC, ut modo oſtenſum, Ergo WQ=CE. Tandem quia SW=CE, erunt tres rectæ SW, WQ & QP ſibi æquales, quia omnes æquales rectæ CE. Ex quibus efficitur, eandem eſſe conſtructionem Curvarum MPF & INF, (quippe cum, uti in hac NO=dimidiæ ordinatim adplicatæ OE, & angulus NOC=COE, ita in illa quoque QP ſit=dimidiæ ordinatim adplicatæ SQ, & angulus WQO=OQP) atque adeo illas ejusdem eſſe naturæ.

IV. Cum

Digitized by Google

IV. Cum autem hic curvæ Geometricæ & mechanicæ conſenſus adhuc obverſaretur animo, ſuborta eſt ſuſpicio, dari aliam ejus generationem, quæ a vulgari cycloidis per circuli revolutionem delineatione non abluderet, & ſic curvarum Geometricarum numerum cycloide ſui generis poſſe augeri. Nec mea me fefellit ſententia, uti ex demonſtratione, quam mox ſubjiciam, elucefcet. Eſt enim Cauſtica noſtra ex earum genere curvarum, quas acutiſſimi Vir ingenii Iſaacus Nevvtonus in opere doctiſſimo, quod principia philoſophiæ naturalis mechanica complectitur p. 148, conſideravit, ad ipſamque facile Theoremata ingenioſe ibidem inventa, & proprietates non vulgares comprehendentia, referri poterunt. Ego vero recenſione illorum, quæ citato loco videri poſſunt, Lectori tædio eſſe nolo, ſed potius rem ipſam, una cum facili demonſtratione, exponam. Sit (Fig. 3.) diametro CA = radio CI circulus deſcriptus, *Fig.* 3. roteturque ille circa quadrantem CH, dico punctum ejus A curvam cauſticam AFH, de qua nobis ſermo fuit, delineare. Nam cum dimidia circumferentia ABC ſit æqualis quadranti CGH, erit arcus HG = arcui GF = arcui CB, & reliquus arcus CG = reliquo arcui AB, & proinde, quia recta AC = CI, angulus CIG in centro = angulo ACB in circumferentia = EGF = KGI. Sed angulus KIG quoque = IGR, atque hinc anguli KGI & IGR ſemper ſunt æquales. Porro GF curvæ AFH ad angulos rectos occurrit, ut a multis oſtenſum fuit, ideoque recta LF curvam AFH tangit in puncto F. Quapropter ob triangula ſimilia GFL & GRI, erit ut LG ad GF, ſic IG ad GR; ſed antecedentes GL & GI ſunt ex hypotheſi æquales, ergo & conſequentes GF & GR. Quoniam ergo utriusq; curvæ hujus eadem eſt conſtructio cum illa, quæ in Curva cauſtica locum habet, dum nimirum ſemiordinata RG = GF poſito angulo KGI = IGR; (Vid. n. 3.) patet cycloidem hanc AFH eſſe curvam illam Geometricam, quæ a radiis Solaribus in ſpeculum ſphæricum incidentibus & hinc reflexis generatur, ſitumque ejus genuinum eſſe AFHMNA, cum tota circuli ABC gyratio abſolvitur.

V. Circa dimenſionem quantitatum, de quibus hactenus actū nobis eſt, ſequentia non contemnenda ſeſe obtulere:

1. (Fig. 2.) Quia recta NP = curvæ NF, PO vero ſemper *Fig.* 2. dupla eſt NO, portio Cycloidis Geometricæ NF ſemper tripla eſt Tangentis NO.

 2. Eo-

Digitized by Google

2. Eodem modo pars MP tripla eſt tangentis QP, vel æqualis tangenti PR.

3. Curva IN eſt ad Curvam NF, ut recta LB ad rectam BC. Curva vero FP eſt ad curvam PM, ut recta FE ad rectam CE, & hinc curvæ illæ facile in data ratione ſecantur.

4. Pars evolutæ NF eſt ad partem evolutione formatam FP, ut OE ad duplam EF.

5. Evoluta integra INF dimidia eſt curvæ integræ FPM per evolutionem deſcriptæ.

6. Quadrans circuli LCF ope curvæ cauſticæ INF in ſpatia, quæ ſunt ut numerus ad numerum, dividitur; eſt enim ſpatium ILQF quarta pars Quadrantis LCF.

7. Spatium cycloidale, circumferentia ALF & cycloide Geometrica AMPF contentum, æquatur circulo ALFD, ſeu eſt quadruplum circuli genitoris cujus diameter LM.

8. Spatium FPMQG eſt æquale circulo genitori, cujus diameter LM.

9. Segmentum circuli EOF ſemper eſt quadruplum ſpatii FNO.

10. Spatium FOP eſt ſemper duplum ſegmenti circuli EOF.

11. Spatium FNP eſt ſemper noncuplum ſpatii FNO.

12. Spatium MQP eſt ſemper æquale ſegmento circuli LBO.

13. Spatium FOP eſt ad ſpatium OLMP, ut in quadrante circuli ſpatium FOE ad ſpatium EOLC.

14. Spatium vero MQP eſt ad reliquum QPFG, ut in quadrante circuli ſegmentum LBO ad reliquum ſpatium BOFC.

Fig. 3. 15. Spatium HGF (vid. fig. 3.) ſemper eſt quadruplum ſegmenti GF circuli genitoris.

16. Spatium vero ALF ſemper duplum eſt ſegmenti FL ejusdem circuli genitoris.

In his autem demonſtratione confirmandis non opus eſt ut ſim prolixus, cum quædam ex illis ſatis obvia ſint, nonnullas vero quantitates & totas & quoad omnes partes ſuas dimenſus fuerim; oſtendens hoc pacto Lectori erudito viam facillimas eliciendi demonſtrationes.

HISTO-

Digitized by Google

HISTOIRE DE L' EGLISE DU JAPAN, PAR Mr. l' Abbé de T. i. e.

Hiſtoria Eccleſiaſtica Japoniæ, Abbatis de T. Tomus I.

Lutetiæ, apud Stephanum Michallet, 1689. in 4.

Conſtat plagulis 87.

QUi Operis hujus amplitudinem, diſpoſitionem & ſtylum conſiderabunt, nullum forte exiſtimationi ſuæ detrimentum allaturum fuiſſe Autorem judicabunt, ſi nomen ſuum clarius indicaſſet. Licet enim fateatur, hiſtoriam hanc a *Solierio* Jeſuita compoſitam eſſe, non parum tamen præſtitit mutando in melius ordinem, expoliendo dictionem ad hodiernam linguæ Gallicæ elegantiam, & continuando poſt annum 1624, in quo Solierius deſiit, rerum narrationem. Obſervari poteſt fatum librorum, qui linguis popularibus ſcribuntur, quo fit, ut gratiam fere perdant, quam primum aliquam archaiſmi maculam contraxerint; niſi fortaſſe iniquius cum iis agitur, nec ſemper laudem habet, ſed curioſæ levitatis eſt, linguæ patriæ ſubinde novandæ pruritus. Diverſa eſt mortuarum, quas vocant, linguarum conditio, Latinæ inprimis. Quo enim quisque probatam antiquitatem diligentius imitatur, tanto majorem ſcriptis ſuis æſtimationem & longiorem ætatem ſperare poteſt. Exemplum ab ipſa hiſtoria Japonica allegare licet. Quis enim epiſtolas ſuperiori ſeculo a Jeſuitis ex Japonia Luſitanice ſcriptas, a *Johanne Petro Maffeio Bergomate*, ejusdem Societatis viro, Latine verſas ob eximium ſtyli nitorem non ſumma legat cum voluptate? Illas Abbas hic noſter, ut fontes & fundamenta hiſtoriæ, quam condit, celebrat, plenamque illis fidem tribuit. Facit id pro optima, quam ubique de Societate Jeſuitica profitetur, opinione. Ignotæ tamen non ſunt dubitationes, quæ non modo ex Proteſtantium, ſed & ex Romana Eccleſia non ſpernendi moverunt autores. Sed de illa lite hic non pronuntiamus. Compendium totius Operis ob diffuſiſſimam rerum copiam in tot regnis ſive provinciis, in quas Japoniæ Imperium diviſum eſt, exhiberi difficillime poteſt, magnoque labore conſtitit Autori, tot barbarorum Regum nomina, flagitia immania, bella perpetua, aliosq; varios & horrendos caſus, tum plurimas

& peragendas in illa preces & meditationes præſcribens. Cum vero non ſolum profanæ plebis plurimas contumelias, ſed & Eccleſiaſticorum magiſtratuum, apud quos hæreſeos aliorumque criminum ſuſpectus non una vice factus eſt, rigorem ſumma cum patientia toleraret, deinde liberalitate eorum, quibus ſuum inſtitutum probaverat, fœminarum potiſſimum, juvaretur, magnam curam ad ſublevationem pauperum attulit, & ægrotis, fœdo licet morbo laborantibus, viliſſima præſtitit miniſteria. Ita non ſolum magnæ ſanctimoniæ famam adeptus eſt, ſed & ſocios, & primo quidem paucos, nec ultra novem adſcivit, inter quos duo illi, qui in Japoniam venerunt, ſupra nominati memorantur. Approbationem Pauli III Pontificis, cujus & ſucceſſorum obſequio ſtrictiori, quam omnes alii monachorum ordines, nexu ſe & ſodales devoverat, & ad ſacros ordines antea promotus erat, A. 1540 impetravit, & ſub *Præpoſiti Generalis* titulo Romæ reſidens, Societatem ſuam per annos XVI rexit, tanto cum ſucceſſu, ut A. 1556 moriens, jam fere centum Societatis domos ſive collegia numeraret, in duodecim provincias diſtributa. Cum igitur præter cætera quæ diximus, primarium Jeſuitarum inſtitutum eſſet, ut plebem rudem, & eousque in regnis & provinciis Chriſtianis (iis quæ Evangelicam reformationem inſtituerant, exceptis) in ſumma religionis Chriſtianæ ignorantia neglectam erudirent ſive catechizarent, & inter barbaras gentes idem facerent, inde meruerunt, ut ante alios ad hoc munus adhiberentur. Hoc fine rogatus a Rege Luſitaniæ Ignatius in Indiam expedivit Xaverium, qui Goæ collegium inſtituit, ex quo operarii in meſſem illam Japonicam miſſi ſunt. Inter hos ut conſtat ex relationibus, quæ, ut dictum eſt, à Maffeio verſæ extant, inclaruerunt, quorum geſta primo hoc Tomo Hiſtoriæ deſcribuntur, poſt Turrianum, qui cum Xaverio Japoniam adierat, *Eduardus a Sylva, Ludovicus Almeida, Balthaſar Gagus, Ludovicus Froës, Melchior Nonius, Alexander Valignanus, Franciſcus Capralis &c.* Horum aliorumque diligentia, iisque de quibus dictum eſt methodis & artibus, intra annos quinquaginta (quorum hiſtoria tomo hoc primo traditur) cœtus Chriſtianorum, qui ultra hominum ducenta millia continebat, in Japonia conſtitutus eſſe dicitur, non ex vili ſolum plebe, ſed & Regibus & Magnatibus, & ex Nobilitate & flore provinciarum, neque perſecutionibus jam tum exortis pro-

Digitized by Google

tis progreſſus impediri potuit. Majora tamen pericula poſtmodum exorta ſunt, de quibus Tomo II. agitur. Ex his quæ diximus, uno conſpectu apparet, quæ fuerit Jeſuitarum in Japonia plantandi Chriſtianiſmum ratio. Fundatoris enim ſui inſtituta exacte ſecuti ſunt, atque ideo cum principiis fidei Chriſtianæ, quæ ſacræ literæ exhibent, & per totum orbem inter Chriſtianos agnoſcuntur, unum Deum in tribus perſonis, meritum Chriſti, pœnitentiam, fidem, opera pietatis & honeſtatis confitentes, cætera quoque Romanæ Eccleſiæ placita non minori zelo & ſtudio gentibus illis inculcarunt, ſacrificia nempe Miſſæ, confeſſiones exactiſſimas, cultum Sanctorum & inprimis B. Virginis, cœlibatum Sacerdotum, dogma de purgatorio, ſacrificiis atque precibus pro defunctis; neque obliti ſunt præconii de Pontificis Romani ſuprema poteſtate. Acceſſerunt religioſe venerandæ reliquiæ, agni ex cera formati, grana, aqua, & tot alia quæ conſecrantur, & in veneratione habentur, totaque Ignatii ſupellex, præter quam nihil fere in ſcriniis ejus poſt mortem repertum eſſe dicit Maffejus, in allegata vitæ ejus narratione Lib. III. cap. 1.

Etſi vero hæc ſufficere, & judiciū de tota hac hiſtoria præbere poſſint, ne tamen labori in tractando Volumine ſat magno peperciſſe videamur, ex *libris* Tomi hujus I. *decem*, quædam veluti digito indicabimus, quæ notabiliora viſa ſunt, & a lectoribus, ſi lubet, evolvi atque inſpici tanto facilius poſſunt. Ex miraculis *Xaverii* potiſſimum referuntur, reſuſcitatio puellæ ex morte, & reſponſio miraculoſa, qua plurimis diverſa quærentibus uno effato ſatisfeciſſe perhibetur, itemq; donum linguarum. Autor quidē in præloquio pollicitus eſt, ſe de miraculis in Japonia editis nihil eſſe relaturum, ne delicatiores quosdam in dubitationes potius adduceret, quam ad credenda quæ referuntur, moveret; interim non pauca in toto hoc opere recenſentur, & quædam ſatis liberaliter. Certe ſi non aliam autoritatem, quam ſequeretur in narratione de miraculis Xaverii, habuit, quam quæ in Narratione de rebus a Societate Jeſu in India & Japonia ſeculo ſuperiori geſtis pluries edita ſumi potuit, plus ſcripſit quam in iſta legitur, aut tacuit, quæ indicari debuiſſent. Nam in Narratione illa (edit. Colon. A. 1574. p. 11,) Xaverius ipſe interrogatus de reſuſcitatione puellæ in promontorio *Comorini*, factum confiteri noluit. Excuſatio vero ab exemplo Chriſti, quædam miracula ſua divulgari vetan-

Lib. I. pag. 77. 102. 103.

tus, vix locum habere poteſt, ceſſante ſpeciali & temporaria Chriſti ratione. Poſtea enim miraculorum donum ad confirmandam doctrinam Evangelii datum, minime occultarunt Apoſtoli, ſed publice ad ea provocarunt. Deinde de reſponſionis prodigioſo modo Relationis veteris Autor diſerte nihil dicit, imo illam diſtinguit & ſeparat ab actis Xaverii admirabilibus, ut adeo diverſæ illæ quæſtiones una diſtinctione, vel explicatione univerſalis alicujus principii ſolvi potuerint. Majus etiam donum hoc fuiſſet, quam quod Apoſtoli in feſto Pentecoſtes acceperunt. Sed hæc & alia ejusmodi lectorum judicio permittimus, non ignari tamen, ex aliis & recentioribus relationibus conſtare, quod *Miſſionarii* quos vocant, ultro fateantur, donis miraculorum in barbaris illis regionibus edendorum ſe non pollere; ſic enim excuſant, quod aliis modis acceſſum ad Reges & Magnates quærant, diſciplinis nempe mathematicis, medicina, pictura, aliisque etiam exilioribus miniſteriis. Quapropter dubio non carent, quæ Autor in præfatione ſtatuit, ac ſi miracula etiam hodie ad propagandam Evangelii doctrinam neceſſario requirantur; de quo videbunt Theologi. Iidem conſiderabunt, quæ Lib. II.

Lib. II. pag. 115. traduntur de apparatu externo, ſive pompis, ad autoritatem ſacris Chriſtianis conciliandam, ad quas adhibendas Xaverius a mercatoribus Luſitanis perſuaderi ſe paſſus eſt, contra vetus ſuum inſtitutum, quod utique cum Apoſtolorum exemplo exactius conveniebat. Autor ipſe annotavit, invitum & reluctantem adactum ad eas eſſe: ſed proniores ad has habuit ſucceſſores. Memorabilia ſunt, quæ ex diſputationibus ejus adducuntur cum ſacerdotibus idolorum, quos Bonzios vocant, de commendatione paupertatis, quam Japones ſpernunt & pro ſummo malo execrantur;

121. de transmigratione animarum, quam illi ſtultiſſime ſomniant, & impudentibus mendaciis confirmare non verentur;

128. de agnitione Dei ex pulchritudine & ordine creaturarum;

135. de Juſto Dei judicio adverſus gentes, quæ naturali ejus cognitione male uſæ, in fœdam idololatriam prolapſæ ſunt; item cur Deus Diabolo permittat, ut pios tentet, & cur in pios ad æternas pœnas damnet.

155. Laudanda eſt cura a Jeſuitis adhibita, & Lib. III. relata, de colligenda ſtipe ad alendos pauperes, quod pietatis genus Barbaris plane incognitum fuiſſe dicitur.

Lib. III. pag. 179. Refutatur etiam quidam ex Proteſtantibus, qui converſionem Jeſuitarum non niſi ad pau-

Digitized by Google

peres & mendicos,& ad ſacra Chriſtiana eleemoſynarum diſtributione emtos pertinuiſſe ſcripſerit: plurima enim exempla Nobilium pag. 177.
& Sacerdotum opulentorum in contrarium adducuntur. Magnifica exequiarum pompa deſcribitur, novo itidem exemplo ad alliciendos Barbaros inventa. Inſigni elogio honoratur *Melchior Nonius*, Provincialis Jeſuitarum in India, ſed in Japoniam profectus, ut & *Ferdinandus Mendeſius Pinto*, qui relicta divite mercatura, in Jeſuitarum Societatem conceſſit. An hic idem ſit, cujus hiſtoria incredibilium pene eventuum relatione referta extat, compertum nobis non eſt. Primum martyrium fœminæ cuidam Chriſtianæ, ſervilis quidem conditionis, contigiſſe narratur A. 1557. Converſio *Bonzii* cujusdam ex illorum ſecta, qui diabolico plane invento nihil aliud meditantur, quam ut omnem de exiſtentia Numinis opinionem ex animo extirpent, lectu digna eſt; ſed verſio epigrammatum quæ adſcribuntur, alium habet ſenſum, quam Latina, quæ etiam longe breviora ſunt. Vid. Epiſt. Japon. ſupra citatæ Lib. III. ep. 1. & Maffejus Lib. II. ep. ſelect. ep. 1. Libro IV primus ex Regibus, qui baptiſmum a *Coſmo Turriano* A. 1563 accepit, Rex fuiſſe dicitur *Amura*, aſſumto nomine *Bartholomæi*. Idem mox regno quidē pulſus fuit ſubditorum paganorū conjuratione, Jeſuitis id pro ſolatio ei proponentibus, quod Chriſtiani perſecutionibus non poſſint non ſubjecti eſſe; reſtitutus tamen poſtea. Libro V notanda eſt horribilis converſio omnium rerum in Japonia, evecto ad Imperium infimæ ſortis homine, *Nobunanga*, forti quidem & bellicoſo, ſed fallaciis & dolis pleno, ſævo itidem, rapaci & ſuperbiſſimo, utpote qui idola gentis, una cum ſacerdotibus non aliam ob cauſam crudeliſſime perſecutus eſt, magnaque ex parte ſuſtulit, quam ut ſeipſum pro Deo colendum populo obtruderet. Toleravit interim utilitatis cauſa Chriſtianos, & Jeſuitarum eruditionem æſtimare viſus eſt. Habita coram eo fuit diſputatio de immortalitate animæ inter Jeſuitam & Bonzium quendam. Narratur porro mors *Johannis Ferdinandi* Ulyſſiponenſis, qui ex divite mercatore, cum ducentos homines, in ſacello quodam Jeſuitico, flagellatione pœnitentiam teſtari vidiſſet, ſocius Xaverii factus, Indiam & Japoniam adiit, multumque eloquentia homiletica & morum ſanctimonia profeciſſe ad converſionem Japonum dicitur: mors itidem & elogium *Coſmi Turriani*, A. 1570, cum magno Chri-

Marginalia: 180. 188. 205. 218. Lib. IV. pag. 246. Lib. V. pag. 303. 325. 340.

ſtianorum luctu extincti. Is XXI annis, ſacris in Japonia præfuit,
tanta cum abſtinentia, ut nec carne, nec piſcibus, ſed ſolis legumi-
nibus male coctis uteretur, neque vinum biberet, & nudis pedibus
plerumque incederet. Libro VI. baptiſmus Regis Bungitani, cui
Franciſci nomen datum eſt, memoratur. Magna hujus pietas ex inſti-
tutis Jeſuiticis celebratur, præſertim in obſervando jejunio & in
Lib. VI. cultu B. Virginis, quem Autor ita defendit, ut dicat, veriſimile eſ-
pag. 395. ſe, *cum ad Patrem non eatur niſi per Filium, ita non iri ad Filium*
niſi per Matrem, & hanc conſtitutam eſſe matrem omnium electo-
rum, cum ei ſub cruce ſtanti Johannes Apoſtolus commendaretur. Sed
quod hæc veriſimilitudo a magna Chriſtianorum parte rejiciatur,
422. ſatis notum eſt. Regis iſtius tria vota referuntur, primum de ſervan-
da caſtitate conjugii: alterum de ſervandis non ſolum præceptis, ſed
& quæ vocantur, & religioſos ſolum obligare creduntur, conſiliis
Evangelicis: tertium de non deſerenda fide Chriſtiana, etſi omnes
424. ab ea deficerent. Miracula ſubjunguntur expulſi per reliquias dæ-
427. monis, & reſtituti quinque cæcis poſt acceptum baptiſmum viſus.
434. In fine libri notatur, A. 1581, cum Alexander Valignanus ex Japonia,
cui præfuerat, decederet, reliquiſſe eum ſocios LIX, non computato
magno diſcipulorum ex juventute Japonica numero; cæterorum
Chriſtianorum centum quinquaginta millia, templa ducenta. Libro
VII legatio Regum in Japonia Chriſtianorū, Franciſci Bungitani, Pro-
taſii Arimenſis, & Bartholomæi Amurani in Europam, & præcipue ad
Pontificem, qui tunc erat Gregorius XIII miſſa deſcribitur. Legati
fuiſſe dicuntur duo ex Regum ſtirpe, duo ex Nobilitate, juvenes ſe-
decim annorum. Navem conſcenderunt cum Valignano Nanga-
ſaqui d. 22. Febr. A. 1582; Goam venerunt menſe Martii 1583, Ulyſſipo-
Lib. VII. nem A. 1584 d. 10. Aug. Romam vero d. 20. Martii 1585. Literæ Regum
pag. 456. ad Pontificem, dona illi oblata, oratio a Caſparo Conſalvo Jeſuita
illorum interprete habita, reſponſum Pontificis, qui paulo poſt d.
10. Apr. deceſſit, dimiſſio honorifica a ſucceſſore ejus Sixto V data,
magnifica exceptio eorum in urbe Veneta, luculenter hoc libro de-
pag. 459. ſcribuntur. Goam reverſi ſunt d. 15. Auguſti A. 1586, idea magnitudi-
476. nis Eccleſiæ Romanæ, quam Autor impenſe laudat, repleti. Impe-
tratum eſt inter alia hac legatione, ut munus Epiſcopi, quo huc usque
caruerant Chriſtiani Japones, Jeſuitis conferretur, ut ſacerdotes con-
ſecrare

Digitized by Google

ſecrare,firmare neophytos, & alia præſtare poſſent, quæ ex diſciplina Romanæ Eccleſiæ Miniſtris non conceduntur, ſed ſolis reſervantur Epiſcopis. Primus ex Jeſuitis, cui in Japonia hoc munus collatum eſt, fuit *Sebaſtianus Moralis*, ſed in itinere mortuus ſucceſſorem habuit *Petrum Martinez*, hujusq; adjutorem *Ludovicum Cerqueram* Libro VIII narratur, quomodo tyranni, divinitatem ſtolide affectantis, inſania finem ex merito habuerit. Pro templo enim & ſtatua, quam vivus ſibi erexerat, mortem invenit, conjuratione ſubita oppreſſus & Lib. VIII.
flammis in palatioq ſuo conſumtus. Exempla apparitionum B. Virgi- pag. 488.
nis, mortem tum cuidam, qui religionis Chriſtianæ pene oblitus erat, tum alii ſatis devoto nunciantis, & utrique ad conſequendam æternam ſalutem opitulantis, adducuntur. Mors Ludovici Almeidæ Jeſuitæ A. 1584, item Bartholomæi & Franciſci Regum Chriſtianorum A. 1587, eorumque pietas multis deſcribitur. Libri IX 521. 523.
ſumma hæc eſt: Cum jam Chriſtianorum numerus ad ducenta Lib. IX.
millia excreviſſet, magnaque amplioris ſucceſſus ſpes eſſet, a no- pag. 529.
vo Japoniæ Imperatore, qui non vulgariter favere Jeſuitis videbatur, iisque nova privilegia conceſſerat; ſubita mutatio facta eſt, offenſo Imperatore a Luſitanis mercatoribus & navarchis, minus ei quam cupiebat obſequentibus, eorumque malis moribus, ex quibus occaſionem nacti ſunt æmuli Chriſtianorum, ut hos de hypocriſi, & Jeſuitas ſpeciatim de inſidiis ad ſubjiciendam peregrino imperio Ja- 531.
poniam calumniarentur. Acceſſit tyranni, anteceſſore non melioris, eadem inſania affectati divini cultus, & indignatio in Chriſtianos, qui turpitudinem libidinum, quibus indulgebat, non poterant non reprehendere. Objecit inter alia Jeſuitis, quod carnem bubulam 835.
comederent, qua tamen illis nunquam fuerat interdictum, quaq; parati erant non minus, quam Japones ſolent, abſtinere. Publica- 539.
vit itaque edictum, quo intra XX dies Jeſuitæ omnes Japonia excedere jubebantur, commercio tamen Luſitanis ut antea permiſſo. Verum Jeſuitæ habita deliberatione manere, mutata veſte latere, & ſacra in occulto procurare conſtituerunt, favore Magnatum Chri- 543.
ſtianorum adjuti, ex quibus etiam duo inſignes militiæ duces, Auguſtinus & Simon, gratiam Imperatoris & præfecturas ſuas retinuerunt. Non obſtante hac Eccleſiæ calamitate, Regina quædam, prohibente licet marito, Chriſti fidem ſuſcepit, baptizata a famula, quam Jeſuitæ,

Digitized by Google

quibus aditus ad Reginam non concedebatur, inſtruxerant; vetuerunt tamen, ne etiam peccata confitentem audiret, aut abſolutionem
pag.547. petenti impertiretur. Refertur ejus epiſtola ad Jeſuitam quendam
550. ſcripta, & mors pia, quæ illi A. 1600 contigit. De belli, quod Japoniæ Imperator contra potentiſſimum Sinarum regnum, auſu temerario & ut Chriſtianos ſubditos in illo conſumeret, molitus eſt, læto principio, ſed funeſto fine, & de ſtrenua opera, quam duces militiæ Chriſtiani illi navarunt, memoratu digna hoc libro recenſentur,
573. ſed quæ ad res Eccleſiaſticas parum pertinent. Propius ad eas ſpectat figura crucis, in medio arboris cujuſdam, non ſine prodigio, ut Au-
590. tor putat, inventa; item reditus Legatorũ ex Europa d. 21. Julii A. 1590. Illi tamen per octo annorum abſentiam & jam adulti vix agnoſcebantur, & ægre fidem invenerunt, cum viſa a ſe narraſſent; auditi tamen
606. ſunt ab Imperatore cum admiratione, literis Proregis Luſitani in India inſtructi: poſtea omnes in Jeſuitarum Societatem conceſſerunt, ex qua illo tempore CXL religioſi in Japonia verſabantur, ſed magna cum cautione cultum ceremoniasque celantes.

Libro X. narratur aucta calamitas Chriſtianorum ex delatione Hiſpani cujuſdam ex Inſulis Philippinis, qui Luſitanos, a quibus in
Lib. X. cauſa injuſta pro voto non erat tractatus, apud Imperatorem crimi-
pag.620. natus eſt: nec parum nocuiſſe dicitur imprudentia monachorum, qui ex ordine Dominicano & Franciſcano in Japoniam venerant, ſed apertius ſacra procurabant, quam ut latere id hoſtes religionis poſ-
632. ſet. Parum itaque profecit reditus Valignani in Japoniam, licet Legati a Prorege Luſitano perſonam ſumſiſſet, & munera afferret. Mira ſunt, quæ hoc libro leguntur de luxu & opibus Imperatoris, ejusdemque tyrannide & ſævitia, qua etiam in nepotem, quem ſibi ſucceſſorem deſtinaverat, hominem quidem immaniſſimum, uſus eſt. Interim in ſecreto continuabatur cultus a Jeſuitis inſtitutus, nec defuiſſe dicuntur ſanctitatis & conſtantiæ exempla, aliquando & miracula. Hæc ex primo hujus Operis tomo excerpta ſunt; ſecundum alio menſe enarrabimus.

AD ILLUSTRISSIMUM DOMINUM DN. MAURITIUM HENRICUM L. B. A MILTIZ, Dynaſtam Bazdorffii &c. Seren. ac Pot. Elect. Sax. ad comitia Ratisbonenſia Legatum Excellentisſimum, Epiſtola Chriſtfridi Wachtleri, D.

Dres-

Dresdæ, ſtanno Riedeliano, 1690, in fol. 3. plagularum.

OBſequium ſuum Illuſtriſſimo Domino Baroni probaturus Autor, examinandam in hac Epiſtola ſumſit novam Johannis Spenceri theſin de *Legibus Hebræorum ritualibus, earumve rationibus:* facere nunc itaque non poſſumus, quin noſtram in *Actis Anni 1686. p. 120.* datam Lectori fidem liberemus, Epiſtolæque hujus argumentum recenſeamus breviter. Dicto autem in opere Anglorum doctiſſimus id egerat, ut ſuaderet, *totam illam temporum annorumque diſtinctionem, & menſium etiam diſcrimina, quibus olim Hebræorum adſtringebantur ſacra, in obſtaculum aliquod idololatriæ, paſſim tunc obviæ, objecta unice a Deo fuiſſe: Gentilium enim feſtis, in Lunæ honorem ſub menſis alicujus & anni initium celebrari ſolitis, invitatum fuiſſe Deum, ut eadem ſub tempora inſtitutis diebus feriatis Hebræorum animas religioſis officiis diſtrictos teneret, eosque ab Ethnicorum ſacris ad cultum ſibi ſoli exhibendum avocaret.* Et quamvis ſatis παράδοξος ſit hæc ὑπόληψις, non raro tamen, ut Poeta ait,

Addit & invalidæ robur facundia cauſæ.

Quo ergo rectius, quid veri firmique eidem ſubſit dijudicari queat, in fundamenta ejus, & autoritates, ad quas Spencerus ſubinde provocarat, paulo accuratius inquirit doctiſſimus Autor, obſervatque initio, in Scriptore quodam Arabico, quem & Hottingeri *Hiſtoria Orientis* citatum habeat, fruſtra mendum quæri a Spencero. In utraque editione enim, anni 1651, & 1660 conſtanter, & absque ſuſpicione lapſus, diem octavum nominari, non decimum; ab eodem ſcriptore quoque ritus Zabiorum recentiorum tantum eſſe conſignatos; de ſuo vero Spencerum addere, *quod propagata illa ſine dubio ſint a majoribus ipſorum, qui Abrahami temporibus Charan ſeu Meſopotamiam coluerint.* Hinc Spencerianæ opinionis originem propius attingens, digito quaſi eam monſtrat in Maimonide, qui Seculo XII floruit, & Muhammede aliquo Ben Iſaac, ex cujus tractatu manuſcripto, & Hottingerus Zabiorū ſacra ſecundum menſes ipſorū ſingulos, initio a menſe Niſan ſumto, recitarit. Spencerum itaque, ubi ſacra menſis eorum primi Niſan, cum Sacris ſeptimi Hebræorum menſis Tisri comparaſſet, deprehendiſſetq; aliquam dierum hic conformitatem, putaſſe, Deum perverſis ſeculi iſtius moribus cultum melio-

rem,

LK, & LN=LK & HK, adeoque erit arcus LK ter ſumtus una cum arcu HK=arcubus KH & HI. Unde ablato arcu communi KH, ſemper arcus HI triplus eſt arcus KL. *Secundo* propter triangula ſimilia KLG & HIG, erit ut KL ad HI, ſic LG ad IG. Jam ſi concipiantur radii MK & NL indefinite parvo intervallo diſtare, lineæ KL & HI cum arcubus circularibus KL & HI, & recta IG cum recta HG coincident, adeoque tunc erit, ut arcus KL ad arcum HI, ſic LG ad GH, h. e. per modo oſtenſa, ut 1 ad 3, atq; hinc LG erit quarta ſemper pars lineæ HL ſeu dimidia LP. Q. E. D.

III. Hanc porro Curvam evolutione ſui ſe deſcribere, faciliima, quæ ſequitur, demonſtratio docebit. Sit INF (Fig. 2.) Curva Cauſtica, cui in puncto I affixum filum curvam integram INF ambiens, filum vero dum evolvitur, deſcribat curvam FPM; ajo hanc curvam evolutione deſcriptam eſſe cauſticam ſpeculi ſphærici MGH, cujus radius CM duplus eſt radii CL. Producatur enim NO in P, & ad lineam NP ſit perpendicularis QPR a circumferentiæ punctis Q & R terminata, quæque proinde ex lege evolutionis, Curvam MPF tangat. SWQ ſit ordinatim adplicata, puncta vero O & Q conjungantur recta OQ. Hiſce ita poſitis, recta NOP continue æquatur curvæ NF, necnon NO & EO (juxta theorema, quod de radio incidente & reflexo ſemper æqualibus cuidam curvæ olim exhibui) ſunt æquales curvæ NF, adeoque NOP=NO & OE: ablato autem communi NO, erit OE=OP. Quæ proprietas facilem hujus curvæ deſcriptionem ſuppeditat, plurimumque facit ad ſequentium intellectum. Jam vero quia in triangulis OPQ & OEC recta OP=OE, & angulus EOC=NOC=QOP, item angulus OEC=OPQ; patet reliqua quoque latera horum triangulorum inter ſe eſſe æqualia, h. e. OQ=OC & QP=CE. Porro propter triangula ſimilia OWQ & OEC, erit ut OC ad CE, ſic OQ ad WQ. Jam OQ =OC, ut modo oſtenſum, Ergo WQ=CE. Tandem quia SW= CE, erunt tres rectæ SW, WQ & QP ſibi æquales, quia omnes æquales rectæ CE. Ex quibus efficitur, eandem eſſe conſtructionem Curvarum MPF & INF, (quippe cum, uti in hac NO=dimidiæ ordinatim adplicatæ OE, & angulus NOC=COE, ita in illa quoque QP ſit=dimidiæ ordinatim adplicatæ SQ, & angulus WQO= OQP) atque adeo illas ejusdem eſſe naturæ.

Fig. 2.

IV. Cum

Digitized by Google

IV. Cum autem hic curvæ Geometricæ & mechanicæ conſenſus adhuc obverſaretur animo, ſuborta eſt ſuſpicio, dari aliam ejus generationem, quæ a vulgari cycloidis per circuli revolutionem delineatione non abluderet, & ſic curvarum Geometricarum numerum cycloide ſui generis poſſe augeri. Nec mea me fefellit ſententia, uti ex demonſtratione, quam mox ſubjiciam, eluceſcet. Eſt enim Cauſtica noſtra ex earum genere curvarum, quas acutiſſimi Viri ingenii Iſaacus Nevvtonus in opere doctiſſimo, quod principia philoſophiæ naturalis mechanica complectitur p. 148, conſideravit, ad ipſamque facile Theoremata ingenioſe ibidem inventa, & proprietates non vulgares comprehendentia, referri poterunt. Ego vero recenſione illorum, quæ citato loco videri poſſunt, Lectori tædio eſſe nolo, ſed potius rem ipſam, una cum facili demonſtratione, exponam. Sit (Fig. 3.) diametro CA = radio CI circulus deſcriptus, *Fig. 3.* roteturque ille circa quadrantem CH, dico punctum ejus A curvam cauſticam AFH, de qua nobis ſermo fuit, delineare. Nam cum dimidia circumferentia ABC ſit æqualis quadranti CGH, erit arcus HG = arcui GF = arcui CB, & reliquus arcus CG = reliquo arcui AB, & proinde, quia recta AC = CI, angulus CIG in centro = angulo ACB in circumferentia = EGF = KGI. Sed angulus KIG quoque = IGR, atque hinc anguli KGI & IGR ſemper ſunt æquales. Porro GF curvæ AFH ad angulos rectos occurrit, ut a multis oſtenſum fuit, ideoque recta LF curvam AFH tangit in puncto F. Quapropter ob triangula ſimilia GFL & GRI, erit ut LG ad GF, ſic IG ad GR; ſed antecedentes GL & GI ſunt ex hypotheſi æquales, ergo & conſequentes GF & GR. Quoniam ergo utriusq; curvæ hujus eadem eſt conſtructio cum illa, quæ in Curva cauſtica locum habet, dum nimirum ſemiordinata RG = GF poſito angulo KGI = IGR; (Vid. n. 3.) patet cycloidem hanc AFH eſſe curvam illam Geometricam, quæ a radiis Solaribus in ſpeculum ſphæricum incidentibus & hinc reflexis generatur, ſitumque ejus genuinum eſſe AFHMNA, cum tota circuli ABC gyratio abſolvitur.

V. Circa dimenſionem quantitatum, de quibus hactenus actũ nobis eſt, ſequentia non contemnenda ſeſe obtulere:

1. (Fig. 2.) Quia recta NP = curvæ NF, PO vero ſemper *Fig. 2.* dupla eſt NO, portio Cycloidis Geometricæ NF ſemper tripla eſt Tangentis NO.

 2. Eo-

Digitized by Google

2. Eodem modo pars MP tripla eſt tangentis QP, vel æqualis tangenti PR.

3. Curva IN eſt ad Curvam NF, ut recta LB ad rectam BC. Curva vero FP eſt ad curvam PM, ut recta FE ad rectam CE, & hinc curvæ illæ facile in data ratione ſecantur.

4. Pars evolutæ NF eſt ad partem evolutione formatam FP, ut OE ad duplam EF.

5. Evoluta integra INF dimidia eſt curvæ integræ FPM per evolutionem deſcriptæ.

6. Quadrans circuli LCF ope curvæ cauſticæ INF in ſpatia, quæ ſunt ut numerus ad numerum, dividitur; eſt enim ſpatium ILOF quarta pars Quadrantis LCF.

7. Spatium cycloidale, circumferentia ALF & cycloide Geometrica AMPF contentum, æquatur circulo ALFD, ſeu eſt quadruplum circuli genitoris cujus diameter LM.

8. Spatium FPMQG eſt æquale circulo genitori, cujus diameter LM.

9. Segmentum circuli EOF ſemper eſt quadruplum ſpatii FNO.

10. Spatium FOP eſt ſemper duplum ſegmenti circuli EOF.

11. Spatium FNP eſt ſemper noncuplum ſpatii FNO.

12. Spatium MQP eſt ſemper æquale ſegmento circuli LBO.

13. Spatium FOP eſt ad ſpatium OLMP, ut in quadrante circuli ſpatium FOE ad ſpatium EOLC.

14. Spatium vero MQP eſt ad reliquum QPFG, ut in quadrante circuli ſegmentum LBO ad reliquum ſpatium BOFC.

Fig. 3. 15. Spatium HGF (vid. fig. 3.) ſemper eſt quadruplum ſegmenti GF circuli genitoris.

16. Spatium vero ALF ſemper duplum eſt ſegmenti FL ejusdem circuli genitoris.

In his autem demonſtratione confirmandis non opus eſt ut ſim prolixus, cum quædam ex illis ſatis obvia ſint, nonnullas vero quantitates & totas & quoad omnes partes ſuas dimenſus fuerim: oſtendens hoc pacto Lectori erudito viam facillimas eliciendi demonſtrationes.

HISTO-

Digitized by Google

HISTOIRE DE L' EGLISE DU JAPAN, PAR Mr. l' Abbé de T. i. e.

Hiſtoria Eccleſiaſtica Japoniæ, Abbatis de T. Tomus I.

Lutetiæ, apud Stephanum Michallet, 1689. in 4.

Conſtat plagulis 87.

QUi Operis hujus amplitudinem, diſpoſitionem & ſtylum conſiderabunt, nullum forte exiſtimationi ſuæ detrimentum allaturum fuiſſe Autorem judicabunt, ſi nomen ſuum clarius indicaſſet. Licet enim fateatur, hiſtoriam hanc a *Solierio* Jeſuita compoſitam eſſe, non parum tamen præſtitit mutando in melius ordinem, expoliendo dictionem ad hodiernam linguæ Gallicæ elegantiam, & continuando poſt annum 1624, in quo Solierius deſiit, rerum narrationem. Obſervari poteſt fatum librorum, qui linguis popularibus ſcribuntur, quo fit, ut gratiam fere perdant, quam primum aliquam archaiſmi maculam contraxerint; niſi fortaſſe iniquius cum iis agitur, nec ſemper laudem habet, ſed curioſæ levitatis eſt, linguæ patriæ ſubinde novandæ pruritus. Diverſa eſt mortuarum, quas vocant, linguarum conditio, Latinæ inprimis. Quo enim quisque probatam antiquitatem diligentius imitatur, tanto majorem ſcriptis ſuis æſtimationem & longiorem ætatem ſperare poteſt. Exemplum ab ipſa hiſtoria Japonica allegare licet. Quis enim epiſtolas ſuperiori ſeculo a Jeſuitis ex Japonia Luſitanice ſcriptas, a *Johanne Petro Maffeio Bergomate*, ejusdem Societatis viro, Latine verſas ob eximium ſtyli nitorem non ſumma legat cum voluptate? Illas Abbas hic noſter, ut fontes & fundamenta hiſtoriæ, quam condit, celebrat, plenamque illis fidem tribuit. Facit id pro optima, quam ubique de Societate Jeſuitica profitetur, opinione. Ignotæ tamen non ſunt dubitationes, quæ non modo ex Proteſtantium, ſed & ex Romana Eccleſia non ſpernendi moverunt autores. Sed de illa lite hic non pronuntiamus. Compendium totius Operis ob diffuſiſſimam rerum copiam in tot regnis ſive provinciis, in quas Japoniæ Imperium diviſum eſt, exhiberi difficillime poteſt, magnoque labore conſtitit Autori, tot barbarorum Regum nomina, flagitia immania, bella perpetua, aliosq; varios & horrendos caſus, tum plu-

rimas Jeſuitarum miſſiones, harumque ſucceſſus, lætos ab initio aut tolerabiles, ſed funeſto ut plurimum fine, ita exponere, ut confuſio locorum & temporum evitaretur, nec lectores eventuum ſimilitudine obruerentur. Utilis lectu ante omnia eſt notitia regionis geographica, phyſica & politica. Tractarunt quidem eandem veteres & recentes ſcriptores variarum nationum, ut adeo nihil novi proponi potuerit; concinne tamen & terſe pleraque exhibentur. *Japan* (ut ſummatim aliquid indicemus) ſive *Japonia* in extrema Aſia, orientem verſus, plurimarum inſularum veluti coacervatio eſt, intra 30 & 40 latitudinis ſeptentrionalis gradum. Sunt tamen hodie qui continentem eſſe malint, junctamque a ſeptentrione regioni, quæ *Jezzo* dicitur. Terrarum ſpatium in ducentarum leucarum longitudinem extendi ferunt, ſed inæquali latitudine, quam interfuſum mare efficit, ubi maxima eſt, LX, ubi minima, X leucarum. Quo tempore a Luſitanis navibus adiri cœpit, in plus quam ſexaginta Dynaſtias diſtribuebatur, quas hodie etiam auctas tradunt, ſed unius Imperatoris poteſtati ut olim ſubjectas, cujus regia *Jedo* eſt, immenſæ urbs magnitudinis. Cætera de fœcunditate & natura ſoli, fol. L. 54. ingenio incolarum, eorumq; moribus & ſacris, ex Autore ipſo petenda ſunt, qui etiam figuras quaſdam Operi inſeruit. Incredibilis eſt ſacerdotum idololatricorum & monachorum utriusque ſexus inter Barbaros iſtos multitudo, ſed magis admiranda diſciplina, quam Autor Hierarchiæ Romanæ legibus ritibusque multum convenire non diffitetur, veteres novasque relationes ſecutus. Habent etiam ſummi Pontificis inſtar, cui cæcum obſequium reliqui omnes deferunt. Sed cenſura, quam Autor occaſione hujus rei in Proteſtantes exercet (tanquā iniquiores & ſtupidiores Barbaris illis, ut quod illi ex lumine naturali & ſenſu communi facere videntur, hi tamen non agnoſcant, unum nempe caput Eccleſiæ quod cultui divino præſit, & de controverſiis in religione pronuntiet,) dudum retuſa & eliſa fuit ab iis, qui Eccleſiæ longe aliud regimen convenire & a Chriſto conſtitutum eſſe obſervant, quam quod ſolius naturæ ejusque corruptiſſimæ inſtinctu gentes mundi ſequuntur; neque honorem ab immanibus illis dæmonū cultoribus ex inſtituti circa ſacra ſimilitudine, ſed ignominiam ad Eccleſiam Chriſtianam redundare exiſtimant. Sunt qui inde conjiciunt, Chriſtianiſmo imbutos olim Japones fuiſſe, quo per idolorum cultum oppreſſo externa illa facies ſuperfuerit. Veriſimilius

miſſus ſentirent, niſi recentiora eſſent iſtiusmodi inter Chriſtianos inſtituta, aut in aliis quoque orientis regionibus inter Barbaros reperirentur, penes quos eadem quæ in Japonia reperire non licet.

Hiſtoria ipſa incipit a prima Japonicarum inſularum cognitione, quæ Luſitanis circa annum 1541 contigiſſe fertur; aut potius a primo ex Japonibus, qui in Goam, Luſitanorum in India emporium & metropolin delatus, A. 1548 feſto Pentecoſtes Chriſti fidem Baptiſmo accepto profeſſus eſt, *Pauli*que nomen adeptus, cum antea *Anger* vocaretur. Ex hujus enim relationibus motus eſt *Franciſcus Xaverius*, ex primis Ignatii Loyolæ Jeſuitici Sodalitii fundatoris ſociis, ut cum Neophyto illo, & *Coſmo Turriano* itidem Sacerdote Jeſuita, in Japoniam navigaret, ubi in portu *Cangoxumæ*, Pauli patria, d. 15 Aug. 1549 appulit. Si quis ſummatim methodum in propaganda inter Barbaros religione, qua Xaverius & alii illum ſecuti uſi ſunt, cognoſcere cupiat (id quod non facilius ſaltem, ſed & utilius eſt, quam ſingulorum actiones inveſtigare) is inſtitutum Loyolæ conſiderare debet, quod ex hiſtoria & regulis ab illo conſtitutis, maxime vero ex *Maffeii* ſupra laudati libris tribus *de vita Loyolæ* luculenter percipitur. Scribunt enim Loyolam equeſtri familia in Cantabriæ parte, quæ hodie, *Guipuscoa* dicitur, A. 1491 natum, deſerta militia, in qua ordines duxerat, mutataque vitæ luxurioſæ ratione, ad pietatis & literarum ſtudia converſum eſſe, cum jam triginta annorum ætatem ſuperaſſet. Nec contentus ſuorum morum emendatione, aliis quoque exemplo præire, ut tradunt, voluit, paupertate voluntaria, habitu viliſſimo, nudus pedes, victu tenuiſſimo & non niſi emendicato, jejuniis frequentiſſimis, flagellationibus corporis fere quotidianis, aſſiduitate in audiendis Miſſis, confeſſionibus ſingulis ſeptimanis edendis, ſequente uſu Sacramenti, colendis imaginibus & ſingulari devotione in invocatione Virginis Deiparæ, a qua tantum continentiæ donum accepiſſe dicitur, ut per reliquã vitam, quam ad annum ætatis LXV produxit, omni libidinis ſtimulo caruerit. Sed quod præcipue ad populi profectum pertinere credebatur, conciones erant, quas, antequam vel literas didiciſſet, aut ſacros ordines accepiſſet, in compitis habuit, & accurrentem plebem a vitiis dehortatus, ad cultum, quem ipſe ſequebatur, incitavit, & exercitia quæ vocabat, ſpiritualia inſtituit, ſeceſſum in ſolitudinem quandam

Lib. I. pag. 55.

& per

& peragendas in illa preces & meditationes præſcribens. Cum vero non ſolum profanæ plebis plurimas contumelias, ſed & Eccleſiaſticorum magiſtratuum, apud quos hæreſeos aliorumque criminum ſuſpectus non una vice factus eſt, rigorem ſumma cum patientia toleraret, deinde liberalitate eorum, quibus ſuum inſtitutum probaverat, fœminarum potiſſimum, juvaretur, magnam curam ad ſublevationem pauperum attulit, & ægrotis, fœdo licet morbo laborantibus, viliſſima præſtitit miniſteria. Ita non ſolum magnæ ſanctimoniæ famam adeptus eſt, ſed & ſocios, & primo quidem paucos, nec ultra novem adſcivit, inter quos duo illi, qui in Japoniam venerunt, ſupra nominati memorantur. Approbationem Pauli III Pontificis, cujus & ſucceſſorum obſequio ſtrictiori, quam omnes alii monachorum ordines, nexu ſe & ſodales devoverat, & ad ſacros ordines antea promotus erat, A. 1540 impetravit, & ſub *Præpoſiti Generalis* titulo Romæ reſidens, Societatem ſuam per annos XVI rexit, tanto cum ſucceſſu, ut A. 1556 moriens, jam fere centum Societatis domos ſive collegia numeraret, in duodecim provincias diſtributa. Cum igitur præter cætera quæ diximus, primarium Jeſuitarum inſtitutum eſſet, ut plebem rudem, & eousque in regnis & provinciis Chriſtianis (iis quæ Evangelicam reformationem inſtituerant, exceptis) in ſumma religionis Chriſtianæ ignorantia neglectam erudirent ſive catechizarent, & inter barbaras gentes idem facerent, inde meruerunt, ut ante alios ad hoc munus adhiberentur. Hoc fine rogatus a Rege Luſitaniæ Ignatius in Indiam expedivit Xaverium, qui Goæ collegium inſtituit, ex quo operarii in meſſem illam Japonicam miſſi ſunt. Inter hos ut conſtat ex relationibus, quæ, ut dictum eſt, à Maffeio verſæ extant, inclaruerunt, quorum geſta primo hoc Tomo Hiſtoriæ deſcribuntur, poſt Turrianum, qui cum Xaverio Japoniam adierat, *Eduardus a Sylva, Ludovicus Almeida, Balthaſar Gagus, Ludovicus Froës, Melchior Nonius, Alexander Valignanus, Franciſcus Capralis &c.* Horum aliorumque diligentia, iisque de quibus dictum eſt methodis & artibus, intra annos quinquaginta (quorum hiſtoria tomo hoc primo traditur) cœtus Chriſtianorum, qui ultra hominum ducenta millia continebat, in Japonia conſtitutus eſſe dicitur, non ex vili ſolum plebe, ſed & Regibus & Magnatibus, & ex Nobilitate & flore provinciarum, neque perſecutionibus jam tum exortis pro-

tis pro-

Digitized by Google

tis progreſſus impediri potuit. Majora tamen pericula poſtmodum exorta ſunt, de quibus Tomo II. agitur. Ex his quæ diximus, uno conſpectu apparet, quæ fuerit Jeſuitarum in Japonia plantandi Chriſtianiſmum ratio. Fundatoris enim ſui inſtituta exacte ſecuti ſunt, atque ideo cum principiis fidei Chriſtianæ, quæ ſacræ literæ exhibent, & per totum orbem inter Chriſtianos agnoſcuntur, unum Deum in tribus perſonis, meritum Chriſti, pœnitentiam, fidem, opera pietatis & honeſtatis confitentes, cætera quoque Romanæ Eccleſiæ placita non minori zelo & ſtudio gentibus illis inculcarunt, ſacrificia nempe Miſſæ, confeſſiones exactiſſimas, cultum Sanctorum & inprimis B. Virginis, cœlibatum Sacerdotum, dogma de purgatorio, ſacrificiis atque precibus pro defunctis; neque obliti ſunt præconii de Pontificis Romani ſuprema poteſtate. Acceſſerunt religioſe venerandæ reliquiæ, agni ex cera formati, grana, aqua, & tot alia quæ conſecrantur, & in veneratione habentur, totaque Ignatii ſupellex, præter quam nihil fere in ſcriniis ejus poſt mortem repertum eſſe dicit Maffejus, in allegata vitæ ejus narratione Lib. III. cap. 1.

Etſi vero hæc ſufficere, & judiciū de tota hac hiſtoria præbere poſſint, ne tamen labori in tractando Volumine ſat magno pepercisse videamur, ex *libris* Tomi hujus I. *decem*, quædam veluti digito indicabimus, quæ notabiliora viſa ſunt, & a lectoribus, ſi lubet, evolvi atque inſpici tanto facilius poſſunt. Ex miraculis *Xaverii* potiſſimum referuntur, reſuſcitatio puellæ ex morte, & reſponſio miraculoſa, qua plurimis diverſa quærentibus uno effato ſatisfeciſſe perhibetur, itemq; donum linguarum. Autor quidē in præloquio pollicitus eſt, ſe de miraculis in Japonia editis nihil eſſe relaturum, ne delicatiores quoſdam in dubitationes potius adduceret, quam ad credenda quæ referuntur, moveret; interim non pauca in toto hoc opere recenſentur, & quædam ſatis liberaliter. Certe ſi non aliam autoritatem, quam ſequeretur in narratione de miraculis Xaverii, habuit, quam quæ in Narratione de rebus a Societate Jeſu in India & Japonia ſeculo ſuperiori geſtis pluries edita ſumi potuit. plus ſcripſit quam in iſta legitur, aut tacuit, quæ indicari debuiſſent. Nam in Narratione illa (edit. Colon. A. 1574. p. 11,) Xaverius ipſe interrogatus de reſuſcitatione puellæ in promontorio *Comorini*, factum confiteri noluit. Excuſatio vero ab exemplo Chriſti, quædam miracula ſua divulgari vetan-

Lib. I. pag. 77. 102. 103.

tis, vix

tis, vix locum habere poteſt, ceſſante ſpeciali & temporaria Chriſti ratione. Poſtea enim miraculorum donum ad confirmandam doctrinam Evangelii datum, minime occultarunt Apoſtoli, ſed publice ad ea provocarunt. Deinde de reſponſionis prodigioſo modo Relationis veteris Autor diſerte nihil dicit, imo illam diſtinguit & ſeparat ab actis Xaverii admirabilibus, ut adeo diverſæ illæ quæſtiones una diſtinctione, vel explicatione univerſalis alicujus principii ſolvi potuerint. Majus etiam donum hoc fuiſſet, quam quod Apoſtoli in feſto Pentecoſtes acceperunt. Sed hæc & alia ejusmodi lectorum judicio permittimus, non ignari tamen, ex aliis & recentioribus relationibus conſtare, quod *Miſſionarii* quos vocant, ultro fateantur, donis miraculorum in barbaris illis regionibus edendorum ſe non pollere; ſic enim excuſant, quod aliis modis acceſſum ad Reges & Magnates quærant, diſciplinis nempe mathematicis, medicina, pictura, aliisque etiam exilioribus miniſteriis. Quapropter dubio non carent, quæ Autor in præfatione ſtatuit, ac ſi miracula etiam hodie ad propagandam Evangelii doctrinam neceſſario requirantur; de quo videbunt Theologi. Iidem conſiderabunt, quæ Lib. II.
Lib. II. pag. 115. traduntur de apparatu externo, ſive pompis, ad autoritatem ſacris Chriſtianis conciliandam, ad quas adhibendas Xaverius a mercatoribus Luſitanis perſuaderi ſe paſſus eſt, contra vetus ſuum inſtitutum, quod utique cum Apoſtolorum exemplo exactius conveniebat. Autor ipſe annotavit, invitum & reluctantem adactum ad eas eſſe: ſed proniores ad has habuit ſucceſſores. Memorabilia ſunt, quæ ex diſputationibus ejus adducuntur cum ſacerdotibus idolorum, quos Bonzios vocant, de commendatione paupertatis, quam Japones ſper-
122. nunt & pro ſummo malo execrantur; de transmigratione animarum, quam illi ſtultiſſime ſomniant, & impudentibus mendaciis confir-
128. mare non verentur; de agnitione Dei ex pulchritudine & ordine
135. creaturarum; de Juſto Dei judicio adverſus gentes, quæ naturali ejus cognitione male uſæ, in fœdam idololatriam prolapſæ ſunt; item cur Deus Diabolo permittat, ut pios tentet, & cur in pios ad
155. æternas pœnas damnet. Laudanda eſt cura a Jeſuitis adhibita, & Lib. III. relata, de colligenda ſtipe ad alendos pauperes, quod pietatis ge-
Lib. III. pag. 178. nus Barbaris plane incognitum fuiſſe dicitur. Refutatur etiam quidam ex Proteſtantibus, qui converſionem Jeſuitarum non niſi ad pauperes

peres & mendicos,& ad ſacra Chriſtiana eleemoſynarum diſtributione emtos pertinuiſſe ſcripſerit: plurima enim exempla Nobilium pag. 177.
& Sacerdotum opulentorum in contrarium adducuntur. Magnifica exequiarum pompa deſcribitur, novo itidem exemplo ad alliciendos Barbaros inventa. Inſigni elogio honoratur *Melchior* 180.
Nonius, Provincialis Jeſuitarum in India, ſed in Japoniam profectus, ut & *Ferdinandus Mendeſius Pinto*, qui relicta divite mercatura, in 188.
Jeſuitarum Societatem conceſſit. An hic idem ſit, cujus hiſtoria incredibilium pene eventuum relatione referta extat, compertum nobis non eſt. Primum martyrium fœminæ cuidam Chriſtianæ, ſervilis quidem conditionis, contigiſſe narratur A. 1557. Converſio *Bonzii* cujusdam ex illorum ſecta, qui diabolico plane invento nihil aliud 205.
meditantur, quam ut omnem de exiſtentia Numinis opinionem ex animo extirpent, lectu digna eſt; ſed verſio epigrammatum quæ adſcribuntur, alium habet ſenſum, quam Latina, quæ etiam longe breviora ſunt. Vid. Epiſt. Japon. ſupra citatæ, Lib. III. ep. 1. & Maffejus 218.
Lib. II. ep. ſelect. ep. 1. Libro IV primus ex Regibus, qui baptiſmum a *Coſmo Turriano* A. 1563 accepit, Rex fuiſſe dicitur *Amura*, aſſumto Lib. IV.
nomine *Bartholomæi*. Idem mox regno quidẽ pulſus fuit ſubditorum pag. 246.
paganorũ conjuratione, Jeſuitis id pro ſolatio ei proponentibus, quod Chriſtiani perſecutionibus non poſſint non ſubjecti eſſe; reſtitutus tamen poſtea. Libro V notanda eſt horribilis converſio omnium rerum in Japonia, evecto ad Imperium infimæ ſortis homine, Lib. V.
Nobunanga, forti quidem & bellicoſo, ſed fallaciis & dolis pleno, ſævo itidem, rapaci & ſuperbiſſimo, utpote qui idola gentis, una cum ſacerdotibus non aliam ob cauſam crudeliſſime perſecutus eſt, magnaque ex parte ſuſtulit, quam ut ſeipſum pro Deo colendum populo obtruderet. Toleravit interim utilitatis cauſa Chriſtianos, & Jeſuitarum eruditionem æſtimare viſus eſt. Habita coram eo fuit diſputatio de immortalitate animæ inter Jeſuitam & Bonzium quendam. Narratur porro mors *Johannis Ferdinandi* Ulyſſiponenſis, qui ex divite mercatore, cum ducentos homines, in ſacello quodam Jeſuitico, flagellatione pœnitentiam teſtari vidiſſet, ſocius Xaverii factus, Indiam & Japoniam adiit, multumque eloquentia homiletica pag. 303.
& morum ſanctimonia profeciſſe ad converſionem Japonum dicitur: 325.
mors itidem & elogium *Coſmi Turriani*, A. 1570, cum magno Chri- 340.

 ſtianorum

ſtianorum luctu extincti. Is XXI annis, ſacris in Japonia præfuit, tanta cum abſtinentia, ut nec carne, nec piſcibus, ſed ſolis leguminibus male coctis uteretur, neque vinum biberet, & nudis pedibus plerumque incederet. Libro VI. baptiſmus Regis Bungitani, cui *Franciſci* nomen datum eſt, memoratur. Magna hujus pietas ex inſtitutis Jeſuiticis celebratur, præſertim in obſervando jejunio & in
Lib. VI. cultu B. Virginis, quem Autor ita defendit, ut dicat, veriſimile eſ-
pag. 395. ſe, *cum ad Patrem non eatur niſi per Filium, ita non iri ad Filium niſi per Matrem, & hanc conſtitutam eſſe matrem omnium electorum, cum ei ſub cruce ſtanti Johannes Apoſtolus commendaretur.* Sed quod hæc veriſimilitudo a magna Chriſtianorum parte rejiciatur,
422. ſatis notum eſt. Regis iſtius tria vota referuntur, primum de ſervanda caſtitate conjugii: alterum de ſervandis non ſolum præceptis, ſed & quæ vocantur, & religioſos ſolum obligare creduntur, conſiliis Evangelicis: tertium de non deſerenda fide Chriſtiana, etſi omnes
424. ab ea deficerent. Miracula ſubjunguntur expulſi per reliquias dæ-
427. monis, & reſtituti quinque cæcis poſt acceptum baptiſmum viſus.
434. In fine libri notatur, A. 1581, eum Alexander Valignanus ex Japonia, cui præfuerat, decederet, reliquiſſe eum ſocios LIX, non computato magno diſcipulorum ex juventute Japonica numero; cæterorum Chriſtianorum centum quinquaginta millia, templa ducenta. Libro VII legatio Regum in Japonia Chriſtianorũ, Franciſci Bungitani, Protaſii Arimenſis, & Bartholomæi Amurani in Europam, & præcipue ad Pontificem, qui tunc erat Gregorius XIII miſſa deſcribitur. Legati fuiſſe dicuntur duo ex Regum ſtirpe, duo ex Nobilitate, juvenes ſedecim annorum. Navem conſcenderunt cum Valignano Nangaſaqui d. 22. Febr. A. 1582; Goam venerunt menſe Martii 1583, Ulyſſipo-
Lib. VII. nem A. 1584 d. 10. Aug. Romam vero d. 20. Martii 1585. Literæ Regum
pag. 456. ad Pontificem, dona illi oblata, oratio a Caſparo Conſalvo Jeſuita illorum interprete habita, reſponſum Pontificis, qui paulo poſt d. 10. Apr. deceſſit, dimiſſio honorifica a ſucceſſore ejus Sixto V data, magnifica exceptio eorum in urbe Veneta, luculenter hoc libro de-
pag. 459. ſcribuntur. Goam reverſi ſunt d. 15. Auguſti A. 1586, idea magnitudi-
476. nis Eccleſiæ Romanæ, quam Autor impenſe laudat, repleti. Impetratum eſt inter alia hac legatione, ut munus Epiſcopi, quo huc usque caruerant Chriſtiani Japones, Jeſuitis conferretur, ut ſacerdotes con-

ſecrare

ſecrare, firmare neophytos, & alia præſtare poſſent, quæ ex diſciplina Romanæ Eccleſiæ Miniſtris non conceduntur, ſed ſolis reſervantur Epiſcopis. Primus ex Jeſuitis, cui in Japonia hoc munus collatum eſt, fuit *Sebaſtianus Moralis*, ſed in itinere mortuus ſucceſſorem habuit *Petrum Martinez*, hujusq; adjutorem *Ludovicum Cerqueram* Libro VIII narratur, quomodo tyranni, divinitatem ſtolide affectantis, inſania finem ex merito habuerit. Pro templo enim & ſtatua, quam vivus ſibi erexerat, mortem invenit, conjuratione ſubita oppreſſus & Lib. VIII. flammis in palatio ſuo conſumtus. Exempla apparitionum B. Virgi- pag. 488. nis, mortem tum cuidam, qui religionis Chriſtianæ pene oblitus erat, tum alii ſatis devoto nunciantis, & utrique ad conſequendam æternam ſalutem opitulantis, adducuntur. Mors Ludovici Almeidæ Jeſuitæ A. 1584, item Bartholomæi & Franciſci Regum Chriſtianorum A. 1587, eorumque pietas multis deſcribitur. Libri IX 521. 523. ſumma hæc eſt: Cum jam Chriſtianorum numerus ad ducenta Lib. IX. millia excreviſſet, magnaque amplioris ſucceſſus ſpes eſſet, a no- pag. 529. vo Japoniæ Imperatore, qui non vulgariter favere Jeſuitis videbatur, iisque nova privilegia conceſſerat; ſubita mutatio facta eſt, offenſo Imperatore a Luſitanis mercatoribus & navarchis, minus ei quam cupiebat obſequentibus, eorumque malis moribus, ex quibus occaſionem nacti ſunt æmuli Chriſtianorum, ut hos de hypocriſi, & Jeſuitas ſpeciatim de inſidiis ad ſubjiciendam peregrino imperio Ja- 531. poniam calumniarentur. Acceſſit tyranni, anteceſſore non melioris, eadem inſania affectati divini cultus, & indignatio in Chriſtianos, qui turpitudinem libidinum, quibus indulgebat, non poterant non reprehendere. Objecit inter alia Jeſuitis, quod carnem bubulam 835. comederent, qua tamen illis nunquam fuerat interdictum, quaq; parati erant non minus, quam Japones ſolent, abſtinere. Publica- 539. vit itaque edictum, quo intra XX dies Jeſuitæ omnes Japonia excedere jubebantur, commercio tamen Luſitanis ut antea permiſſo. Verum Jeſuitæ habita deliberatione manere, mutata veſte latere, & ſacra in occulto procurare conſtituerunt, favore Magnatum Chri- 543. ſtianorum adjuti, ex quibus etiam duo inſignes militiæ duces, Auguſtinus & Simon, gratiam Imperatoris & præfecturas ſuas retinuerunt. Non obſtante hac Eccleſiæ calamitate, Regina quædam, prohibente licet marito, Chriſti fidem ſuſcepit, baptizata a famula, quam Jeſuitæ,

quibus aditus ad Reginam non concedebatur, inſtruxerant; vetuerunt tamen, ne etiam peccata confitentem audiret, aut abſolutionem
pag.547. petenti impertiretur. Refertur ejus epiſtola ad Jeſuitam quendam
550. ſcripta, & mors pia, quæ illi A. 1600 contigit. De belli, quod Japoniæ Imperator contra potentiſſimum Sinarum regnum, auſu temerario & ut Chriſtianos ſubditos in illo conſumeret, molitus eſt, læto principio, ſed funeſto fine, & de ſtrenua opera, quam duces militiæ Chriſtiani illi navarunt, memoratu digna hoc libro recenſentur,
573. ſed quæ ad res Eccleſiaſticas parum pertinent. Propius ad eas ſpectat figura crucis, in medio arboris cujusdam, non ſine prodigio, ut Au-
590. tor putat, inventa; item reditus Legatorũ ex Europa d. 21. Julii A. 1590. Illi tamen per octo annorum abſentiam & jam adulti vix agnoſcebantur, & ægre fidem invenerunt, cum viſa a ſe narraſſent; auditi tamen
606. ſunt ab Imperatore cum admiratione, literis Proregis Luſitani in India inſtructi: poſtea omnes in Jeſuitarum Societatem conceſſerunt, ex qua illo tempore CXL religioſi in Japonia verſabantur, ſed magna cum cautione cultum ceremoniasque celantes.

Libro X. narratur aucta calamitas Chriſtianorum ex delatione Hiſpani cujusdam ex Inſulis Philippinis, qui Luſitanos, a quibus in
Lib. X. cauſa injuſtą pro voto non erat tractatus, apud Imperatorem crimi-
pag.620. natus eſt: nec parum nocuiſſe dicitur imprudentia monachorum, qui ex ordine Dominicano & Franciſcano in Japoniam venerant, ſed apertius ſacra procurabant, quam ut latere id hoſtes religionis poſ-
632. ſet. Parum itaque profecit reditus Valignani in Japoniam, licet Legati a Prorege Luſitano perſonam ſumſiſſet, & munera afferret. Mira ſunt, quæ hoc libro leguntur de luxu & opibus Imperatoris, ejusdemque tyrannide & ſævitia, qua etiam in nepotem, quem ſibi ſucceſſorem deſtinaverat, hominem quidem immaniſſimum, uſus eſt. Interim in ſecreto continuabatur cultus a Jeſuitis inſtitutus, nec defuiſſe dicuntur ſanctitatis & conſtantiæ exempla, aliquando & miracula. Hæc ex primo hujus Operis tomo excerpta ſunt; ſecundum alio menſe enarrabimus.

AD ILLUSTRISSIMUM DOMINUM DN. MAURITIUM HENRICUM L. B. A MILTIZ, Dynaſtam Bazdorffii &c. Seren. ac Pot. Elect. Sax. ad comitia Ratisbonenſia Legatum Excellentiſſimum, Epiſtola Chriſtfridi Wachtleri, D.

Dres-

Dresdæ, ſtanno Riedeliano, 1690, in fol. 3. plagularum.

OBſequium ſuum Illuſtriſſimo Domino Baroni probaturus Autor, examinandam in hac Epiſtola ſumſit novam Johannis Spenceri theſin de *Legibus Hebræorum ritualibus, earumve rationibus:* facere nunc itaque non poſſumus, quin noſtram in *Actis Anni 1686. p. 120.* datam Lectori fidem liberemus, Epiſtolæque hujus argumentum recenſeamus breviter. Dicto autem in opere Anglorum doctiſſimus id egerat, ut ſuaderet, *totam illam temporum annorumque diſtinctionem, & menſium etiam diſcrimina, quibus olim Hebræorum adſtringebantur ſacra, in obſtaculum aliquod idololatriæ, paſſim tunc obviæ, objecta unice a Deo fuiſſe: Gentilium enim feſtis, in Lunæ honorem ſub menſis alicujus & anni initium celebrari ſolitis, invitatum fuiſſe Deum, ut eadem ſub tempora inſtitutis diebus feriatis Hebræorum animas religioſis officiis diſtrictos teneret, eosque ab Ethnicorum ſacris ad cultum ſibi ſoli exhibendum avocaret.* Et quamvis ſatis παράδοξος ſit hæc ὑπόληψις, non raro tamen, ut Poeta ait,

Addit & invalidæ robur facundia cauſæ.

Quo ergo rectius, quid veri firmique eidem ſubſit dijudicari queat, in fundamenta ejus, & autoritates, ad quas Spencerus ſubinde provocarat, paulo accuratius inquirit doctiſſimus Autor, obſervatque initio, in Scriptore quodam Arabico, quem & Hottingeri *Hiſtoria Orientis* citatum habeat, fruſtra mendum quæri a Spencero. In utraque editione enim, anni 1651, & 1660 conſtanter, & abſque ſuſpicione lapſus, diem octavum nominari, non decimum; ab eodem ſcriptore quoque ritus Zabiorum recentiorum tantum eſſe conſignatos; de ſuo vero Spencerum addere, *quod propagata illa ſine dubio ſint a majoribus ipſorum, qui Abrahami temporibus Charan ſeu Meſopotamiam coluerint.* Hinc Spencerianæ opinionis originem propius attingens, digito quaſi eam monſtrat in Maimonide, qui Seculo XII floruit, & Muhammede aliquo Ben Iſaac, ex cujus tractatu manuſcripto, & Hottingerus Zabiorũ ſacra ſecundum menſes ipſorũ ſingulos, initio a menſe Niſan ſumto, recitarit. Spencerum itaque, ubi ſacra menſis eorum primi Niſan, cum Sacris ſeptimi Hebræorum menſis Tiſri comparaſſet, deprehendiſſetq; aliquam dierum hic conformitatem, putaſſe, Deum perverſis ſeculi iſtius moribus cultum melio-

rem,

rem, diebus non mutatis, opponere voluiſſe. Verum opportune Autor hic Spencero in memoriam verba revocat ejusdem Maimonidis: *Particularia non ſunt ita ſolida; quorum cauſſæ nobis abſcondita, & utilitas ignota, inprimis cum illæ opiniones & ſecta mille abhinc annis interierint, & nomina illorum deleta ſint: & quia ego per auditum quædam de ritibus Zabiorum ſcio & didici, opera eorum ipſi non vidi.* Quibus quoque Hottingerum non temere permotum conjicit, ut in iſto Muhammedis Manuſcripto tenue momentum putaret collocandum. Seldenum vero, ſolertem admodum Judaicorum indagatorem documentorum, cenſoremq; ſatis cautum ingenue fateri, libros de Zabiorum ritibus nullibi fuiſſe a ſe repertos.

Præterea nec ipſa rerum dogmata ſatis inter ſe docet congruere. Dato enim, quod menſium peregrinorum nomina diu forte retinuerint Hebræi & Scriptores ſacri: poſitoque Zabios perinde ut Hebræos, a menſe Niſan annum eſſe auſpicatos; non videri tamen conſentaneum, Deum menſe demum ſeptimo Tisri, corrigere apud ſuos voluiſſe, quæ Zabii peccaſſent menſe primo. neq; pugnare magis cum ratione feſtos Sabbatici menſis dies, quam annum totum Sabbaticum, imo quam apparatus illius Moſaicarum legum partem haud exiguam. Importunum quicquam hic cogitare nefas eſſe, quod de Deo diviniſq; inſtitutis non niſi modeſte, ſancte, & reverenter ubique ſit ſentiendum.

Porro opponitur Spencero, neminem hactenus docere liquido potuiſſe, quod Ægyptii, aut vicinarum gentium aliqua menſe ſeptimo, Nilo tum regreſſo ſolum ſiccante, ſtatis dierum ejusmodi ſolennibus ſacra ſua ſub Moſis tempora jamjam diſtinxerint; cum ne menſium quidem accuratam atque certam rationem, juſtumve ordinem, pro iſta ruditate artium, didicerint ſervare; ſed annum quaſi agricolarem ſequi cogerentur. Subſidium, quod Ebræorum magiſtri in menſis Weadar intercalandi peritia hic quærant, ipſi Marshamo videri incertum, neque ullum intercalationis ejusmodi, aut chronologiæ technicæ veſtigiũ, ſtante primo Templo, literis in ſacris reperiri. Novilunia, ut & plenilunia gentium, in feſtorum Judaicorum ſeriem transfundi perperam propterea, quod Neomenias ſuas Hebræi non a nova luna, ut gentiles, ſed a novo menſe potius deduxerint. Miſſa igitur Spenceri ſententia, ſtatuendum Autor arbitratur, ante-

Digitized by Google

antequam Ebræi liberam ipſi rempublicam, adulta jam velut poſt exodum eccleſia, inchoarent, præter ſeptimi forte diei cultum ignota reliqua ſacrorum dierum ſolennia fuiſſe, primumque per Moſen, citra diſcrimen Solarium menſium aut Lunarium, qui ſemper inſtabiles, ſuo quodam ordine determinata eſſe ſingula atque compoſita; a gentilibus autem in novilunia & plenilunia, imo in cultum Lunæ atque ſiderum deformata miſere.

A qua ſententia nec dimoveri ſe Beroſi teſtimonio patitur, apud Athenæum forte affirmantis: *Decimo ſexto die menſis Loi feſtum, Sacean dictum, Babylone dies quinque celebrari*; quod multa Athenæi, obſervante Caſaubono, non ex ipſis, quos citavit, autoribus deprompta ſint, ſed alibi reperta, eoq; ab erroribus non usque quaque immunia: nec aliud citata Athenæi oratione probari, quam *quod Romanorum Saturnalia ſumta ſint a Græcis*. Quod licet concedatur, inſtitutum tamen iſtud Græcorum, vel Perſarum etiam, aut Scytharum, longo ſatis intervallo ab Abrahami, Moſisque ætatibus remotum & ſecluſum deprehendi. Neque Loi menſis nomine poſſe alium intelligi, quam Macedonicum, primum quidem Lunarem decimum, poſtea ubi Macedones Græciæ dominatu potirentur ſub Philippo, in Solarem cum reliquis mutatum; id quod uberius ipſius Philippi, quas Demoſthenes recitavit, literis confirmatur, & Galeni teſtimonio. Neque in aliam quam Philippi hujus ætatem, Metonem, Euctemonem, & Eudoxum Aſtronomos incidere. Et quanquam hic in ordinandis anni partibus Chaldæos ſecutus videatur; præſertim cum & Obſervationum cœleſtium ab Ægyptiis & Babyloniis miſſarum, ſecundo de Cœlo meminerit Ariſtoteles; illa tamen ipſa mediocrem præ ſe ferre vetuſtatem, nec niſi a Nabonaſſari (ſub quo Beroſus floruit) initio, quod olympiade prima poſterius eſt, deduci. id quod Syncelli autoritate mox roboratur. Colligit hinc Autor, rudimenta quidem Aſtrologiæ ab Ægyptiis, Aſtrologiam ipſam vero a Græcis Ægyptienſibus potiſſimum elaboratam, atque demum excultam eſſe: adeoque ſupervacuum plane & præpoſterum videri, longe antiquiorum rituum originem ex recentioribus populorum moribus derivatum ire, atque vel Deo vel Moſi quidquam velle ad imitandum inde proponere.

His defunctus, monitu alio loco jam laudati Viri Illuſtriſſimi, ad excutienda loca Autor progreditur, quæ ex Porphyrii libris de *animalium abſtinentia*, a Spencero partim, partim a Marshamo, in argumentis de origine Sabbati Judaici, de ciborum diſcrimine, de politis lapidibus templo, rudibus autem altari extruendo deſtinatis, de graduum ad altare ducentium altitudine, de mellis uſu a ſacrificiis remoto, de cornibus ad altaris ornatum pertinentibus producuntur; adductiſque integris Porphyrii locis, & collatione jucunda inſtituta, oſtenditur, in eorum nullo, quod Spencerianæ cauſæ præſidium vel minimum præſtare queat, reperiri.

DICTIONAIRE PHARMACEUTIQUE, ou Apparat de Medecine, Pharmacie & Chymie,

id eſt,

Dictionarium Pharmaceuticum, ſive Apparatus Medicus, Pharmaceuticus & Chymicus, Autore Dn. De Meuve Medic. Doctore ac Regis Conſiliario & Medico ordinario.

Pariſiis, apud Laurentium de Houry, 1689, in 4.

Conſtat plagulis 89.

Etſi Pharmacia præſens juxta ſeriem Alphabeti digeſta multis videbitur confuſa, genioq; ejuſdem perſpicue ac diſtincte evolvendo minus conveniens, noſtro nihilominus Autori hanc potius, quam aliam, in tradenda Arte Pharmaceutica inſiſtere methodum placuit, cum libros inter artibus vel ſcientiis edocendis deſtinatos omnium utiliſſimos cenſeret Dictionaria, in quibus doctiores non minus, quæ forſan exciderunt, promte reperirent, quam tyrones elementa artis, quam anhelant, facili negotio addiſcerent. Duodecimus vero volvitur annus, e quo prima vice prælum Pharmacia hæc evaſit, quæ tamen hic ab Autore reviſa, correcta multumque aucta ſiſtitur, præmiſſa formularum nonnullarum a Medicis præſcribi ſolitarum elucidatione, ſub dictionibus Latinis tum artis & qualitatum in genere naturam, tum inſtrumenta Pharmaceutica v. g. abacum, fornaces, matratium, &c. tum remedia, ſimplicia

æque

Digitized by Google

æque e triplici Naturæ regno depromta, ac compoſita, vires eorundum e qualitatibus primis plerumque æſtimatas, quibus doſes ac operationes ſubjiciuntur, comprehendens, atque ad mentem autorum veterum & recentiorum ſingula trutinans. Adnectuntur denique duæ Tabulæ, quarum altera medicamina morbis quibusvis appropriata indigitat; altera vero indicis vice defungitur, vocabulis Gallicis Latina reſpondentia ſynonyma exprimens, quo Gallo Latinæ linguæ ignaro, hujus demum ope ea, quæ in Pharmacia noſſe expetit, liceret quærere.

VITA PONTI DE LA GARDIE, EXERCITUUM Sueciæ Supremi Campi Ducis, Regnante JOHANNE III. Cujus occaſione totius fere Livoniæ Hiſtoria exhibetur ex incorrupta veritatis monumentis regiique chartophylacii originariis documentis eruta

a

CLAUDIO ARRHENIO OERNHIELM, S. R. M. S. Hiſtoriographo.

Lipſiæ, ſumptibus Joh. Frid. Gleditſch, 1690, in 4.

Conſtat plagulis 26.

VEtuſtæ neque dum interceptæ conſuetudinis eſt, de vita & moribus rebusque geſtis illuſtrium Virorum publice commemorare, ſtylique induſtria, quicquid præclari exempli & maximæ virtutis olim eminuit, ad poſteros propagare. Non arceſſenda longius documenta ſunt, quæ hac in parte tum veterum, tum recentium ſcriptorum diligentiā ac ingenium non minus, quam picturæ artificum manus ſolertiamq; commendant. Horum itaq; inſtitutum laudemq; ſectatus nobiliſſimus *Arrhenius*, ſe operæ pretium facturum exiſtimavit, ſi *Ponti de la Gardie*, cujus in Hiſtoria ſuperioris ſeculi magnum nomen fuit, vitam accurate ornateque deſcriberet. Exorditur vero ab ipſa illuſtriſſimæ Delagardianæ Domus origine, ejusque decora omnia muniaque, & nobiliſſimas quasque gentes, per quas in Gallia potiſſimum ſurgit, ordine recenſet, ut ſupra atavos etiam deducat Lectorem, ipſumque *Raymundum du Puy*, primum ſacri ordinis Hieroſolymitanorum Magiſtrum, eumque qui primam ſuis ſodali- pag. 2.

bus Hieroſolymis regulam, Romæ A. 1154. Honorio ſecundo Pon-
tifici adprobatam, poſtea interpolatam a ſucceſſoribus, *Miræo* teſte,
ſcripſerit, inter majores cognominesque *Delagardianæ* ſtirpis me-
pag. 9. moret. Virtutis laudem jam ante *Pontus* in armis Danicis auſpica-
tus erat, quam Suecico Regi *Erico* ſuam operam miniſteriumque
juſte ac legitime addiceret. In cujus aula tam ſtrenue, prudenter
ac circumſpecte egiſſe dicitur, ut non modo periculis vacua, verum
14. æquabili etiam autoritate ac gratia ſemper floruerit, eo clementiæ
ac fiduciæ ſucceſſu, ut cum *Joach. Birgero* ad *Carolum* IX Regem
Galliæ, arma militemque accitum profligandis Danorum bellis,
quibus ex Galliis eadem allata auxilia erant, ablegaretur. Sed re-
15. verſus cum ſocio in Sueciam, turbarum ac motuum plena omnia in-
venit. Involvebatur enim fluctibus tempeſtatibusque atrociſſimis,
cum infeſta ei ſigna animis ſociati Poloni, Dani atque Lubecenſes
uno tempore inferrent. Hisque deterius malum incumbebat do-
meſticum, ſimulata potius quam bona fide culta duorum fratrum
Erici Regis & *Johannis* Ducis Finlandiæ concordia. Quæ brevi
rupta penitus, ut *Johannes* abſens inauditusque perduellionis infamia
notaretur, moxque, quaſi convictus criminis, in Gripsholmenſem car-
cerem detruderetur. Conſiliarii Miniſtrique Principis, & Sturiæ
gentis proceres, quorum nulla in Regem patriamve mala facinora,
maxima vero virtutum merita, alii aliter, plurimi indigniſſima mor-
te multabantur. Quo factum, ut poſt tot patratas innocentium
cædes, uſurpatamque crudeliter quidvis agendi licentiam, populi
benevolentia *Ericus* excideret: Quem inſigni aliquo ſpecimine boni-
tatis propitiaturus, *Johannem* carcere exemtum libertati dignitatique
priſtinæ reſtituit, eidemq; in auctoramentum fraterni affectus *Pontum*
Delagardium, ut ejus conſilio in rebus ſuis uteretur, benigne conceſſit.
Aliquanto poſt, tentatis ſubinde fruſtra principalis faſtigii connubiis,
repulſarum ignominia commotior, *Catharinæ*, *Magni* cujusdam, ſeu
Regii ſatellitis, ſeu decurionis inter milites, filiæ nuptiarum coro-
nationisque ſolennia decrevit; iisque majori apparatu celebrandis,
præter Ordinum Regni lectiſſimos, fratres Duces, ſimul ſororem
Sophiam elocaturus, invitavit. Inde rumor ſparſus, necem Princi-
16. pum Purpuratorumq; Regem animo agitare. Quod cum animadver-
terent fratres, de propulſandis vindicandisque ſemel injuriis conſili-
um cum

tim cum Proceribus ac fœdus inivere, validoque collecto exercitu
Regem nec opinantem ſecurumque Holmiæ invaſerunt, ductoribus
copiarum præcipuis *Stenone Erici* Leyonhuffwud/ Ducum avunculo,
& *Ponto Delagardio*. Quorum illo letali vulnere mortuo, hic bra-
chium perforatus bipenni, eoq; velut incentivo fortitudinis extimu-
latus, fuſo captoque hoſte, plenam Ducibus victoriam peperit. Hinc pag. 18.
exauctorato *Erico*, ſeptoque arcta cuſtodia, ad proximum natu *Jo-
hannem* Regni deferebantur inſignia, qui *Pontum* ob rem præclare
geſtam ſummum aulæ ſuæ moderatorem conſtituit, cui obtempera-
re juſſa omnia aulæ miniſteria. Poſthæc cum Danis in pacem Sue-
dicam iniquioribus, belli periclitanda alea erat, *Pontusque*, quo
loco pugnavit, adverſam adeo fortunam expertus, ut inter confer-
tiſſimos dimicans, gravi accepto vulnere, in manus hoſtium devene-
rit. Ex quibus, feliciter confecto per Stetinenſem transactionem pa-
cis negotio, liber ac ſui juris dimiſſus, ad Regem acceptiſſimus re-
diit, adeo ut poſt receptam Aulæ præfecturam mox ad alios aliosq; 19.
Honores aſpirarit, paucisq; elapſis menſibus titulo liberi Baronis, exi-
miisque bonis Ekholmenſi, cujus nomen uſurparet, Baronatui ad-
tributis exornaretur; priſca quoque gentis ſuæ inſignia multo illu- 20.
ſtriora acciperet. In cujus rei fidem majusque pondus, memorabi-
le *Johannis* Regis diploma Autor ſubjungit. Hinc *Pontus* diver- 21.
ſis ad diverſos legationibus, iisque arduis ac graviſſimis, præfectus
fuit, de quibus particulatim eo ordine, quo ſingulas obiit, Noſter
recenſuit. Cum Lubecenſibus primo omnium de ſuſpendenda na- 23.
vigatione Narvica res erat, donec æquis rationibus Rex pacaret
Moſchum, cui ex promiſcuo armorum merciumque per Narvam
illatu nervos atque vires ſuppeditari, perſuaſiſſimum habebat. His 24.
in utramque partem diſceptatis, cum negotium pro voto non poſſet
expediri, Hamburgum adiit, rebusq; ex ſententia firmatis, ad Mona-
ſterienſem Epiſcopum, Comitem Oſtfriſium, Ducem Albanum, Am-
ſtelodamenſem Antverpienſemque Senatum, totidem itineribus per-
venit, ita ut ſingulis, quæ legationi cauſam dederant, diſtincteque
ac ordine, & quibus quid modis ſuſceptum atque geſtum ſit, ab Au-
tore commemorantur, bene laudabiliterque peractis, tandem in
Sueciam ad partes veteres redierit. Ubi poſt ſolertiæ civilis recen- 73.
tia ſpecimina, militaris iterum exercendæ largam uberemque mate-

riam Livonia ſubminiſtrabat. Cui ſublevandæ, & a Moſchicis injuriis, rapinis, incendiis vindicandæ, *Ponti* virtus admovebatur.

Sed prius quam *Ponti* facta eventaque in Livonia Noſter attingit, ſigillatimque enumerat, a longiſſimis retro temporibus omnem rerum Livonicarum memoriam arceſſit. Quam olim ſub Sueciæ Holmgardiæq; ſeu Oſtrogardiæ Regibus ante tempora Chriſtianismi faciem habuerint, obiter jam ſuperius docuerat. Inde progreſſus, initia cauſasque annunciati Evangelii, & quibus vicibus ac ſucceſſibus creverit, prolixius aperit. Primum, qui Fennos Chriſti ſuoque regno ſubjecerit A. 1157, *Ericum* Nonum ſeu Sanctum Regem Sueciæ nominat, cui *Alexander* III Papa animum ſtimulumque ſuppeditarat. Idem Pontifex circa A. 1160 per literas a Nidroſienſi Archiepiſcopo, & Stavagrienſi Præſule, *Nicolaum* quendam Monachum gente Eſthonem impetrabat, cujus opera in illa gente convertenda uteretur *Fulco*, tum Eſthonum Epiſcopus. Atque eodem anno cum Livonis commercia exercendi, Germanicasque eo colonias deducendi primus aditus patefactus eſt per *Bremenſes* mercatores, tempeſtate in ſinum Livoniæ ad Dunæ oſtium perlatos,
pag. 74. qui pacto cum Livis amicitiæ mercaturæque fœdere, ſacellum exſtrui in Dunæ fluminis inſula, cui inde nomen *Kirkholm* impoſitum, curarunt. Cumque poſt promovendæ religionis negotium per *Menhardum* Segebergenſem Monachum, in easdem Livoniæ partes a mercatoribus adductum, bene proſpereque ſuccederet; idem ille per *Alexandrum* Papam, decimo poſt Bremenſium adpulſum anno, primus Epiſcopus datus eſt. Huic in Uxkel ad ripam Dunæ defuncto, *Bartholdus Locbaw* e monaſterio S. Pauli Brema ſucceſſor miſſus, qui prima urbis Rigenſis A. 1196 fundamina jecit; quam Livones, augurati fraudi damnoque ceſſuram libertati ſuæ, trucidato Epiſcopo diruerunt funditus. *Bartholdo* eodem anno *Albertus Buxhveden*, itidem ex collegio Bremenſi ſuffectus eſt, qui exciſam & everſam urbem A. 1200 reſtauravit, adſcito poſtea A. 1204 in commilitium provehendæque doctrinæ ſocietatem ſacro Enſiferorum Equitum ordine, cujus illic primus Magiſter ſeu Dux *Vinno* recenſetur. Atque hæc prima Chriſtianiſmi in Livonia velut incunabula ſunt, quibus *Bremenſes* cauſas initiaque dederunt. Hæc multæ exceperunt turbæ, plurimæ calamitates, quarum longum catalogum ordinemque Autor pertexit. A. 1222 *Walde-*

Digitized by Google

Waldemarus II Rex Daniæ *Albertum* Nordalbingiæ Comitem, co- pag. 75.
piarum ſuarum ducem, quem præcedenti anno præmiſerat, in Livo-
niam ſecutus, fere quo loco ante annos 123 *Ericus Edmundus*, poſt-
modum Rex Daniæ, virginum cœnobium dictum S. Michaelis ad
Revaliam inſtituerat, Revalienſem urbem condidit, Weſenbergam
quoq; & Narvam, ut contineret in obſequio Eſthonas, præſidiis mu-
nivit. Hoc bello delapſum cœlo labarum, *Danebroge* dictum, Scri-
ptores Danici referunt. A. 1230 mortuo *Alberto*, *Nicolaus* quartus 76.
Rigenſis Epiſcopus creabatur. Cujus in ſacro munere ſucceſſores, ut
& ordinis Teutonici Magiſtros, qui per *Conradum* Maſoviæ Ducem
paucis annis ante in Pruſſiam evocatus, juſſu Papæ *Gregorii* IX cum
Livonico coaluerat, ordinatim cum rebus geſtis domeſticisque in-
terdum contentionibus adduxit Autor. Ab A. 1520 Rigæ aliisque 77.
locis Livoniæ eniteſcere cœpit lux purioris doctrinæ Evangelicæ, cui
ad nutum monachorum vulgique ſacerdotum, Archiepiſcopus *Ca-
ſpar Lindius*, ejusq; ſucceſſor *Joh. Blanckenfeldius*, vehementer obni- 88.
tebatur. Eam tamen Rigenſibus A. 1539 integram liberamq;, indulſit
purioribus ſacris ipſemet addictus Archiepiſcopus, *Wilhelmus* Mar- 89.
chio Brandenburgicus. Atq; hic adjutore ſucceſſoreq; ſibi lecto *Chri-
ſtophoro*, propinquo ſanguine Duce Mechelburgico, in Ordinis Magi-
ſtrũ & ipſum Archi-Epiſcopum promotorẽ injurio, quamplurimis iisq;
cruentiſſimis motibus, ac Moſchicis invaſionibus, quæ ultra annos
24 omni genere cladis Livoniam afflixerunt, faculam alluxiſſe dici-
tur. Quibus, implorato a Rigenſibus auxilio, *Ericus* Rex Sueciæ 91.
tandem ὡς ἀπὸ μηχανῆς obviam ibat: invidentibus licet, bellique
telam jam tum texentibus Polonis, attracturam malorum in Sueciam
ſeriem longiſſimam. *Erici* molimina majori ex parte proſpera e- 97.
rant, mire tamen ipſi patriæque adverſa, & ferali cataſtrophe inci-
denda, dum in fratres Duces, aliosque proceres cædem exitiumque
parabat. Dimoto itaque, ut ſupra jam dictum, ſede ac dignitate 104.
Erico, ſurrogatoque in ejus locum Johanne fratre, Moſchi Livoniæ
Finnoniæque turbare omnia. Quibus depellendis, & rebus pro-
vinciæ gubernandis a *Johanne Pontus* adhibebatur. Verum & in- 111.
de retractus, illuſtriſſimis ad diverſos Principes legationibus non ſi-
ne fidei prudentiæque laude perfunctus eſt. Cumq; in expediundis 115.
apud Cæſarem *Rudolphum* negotiis Narvicæ iterum navigationis,
cujus

cujus intermiſſione Lubecenſes renuebant, minime proletariam *Pon-*
tus curam habuerit, fit, ut de antiquitate juris dominiiq; Sueo-Gothici
in ſui littoris mare, atque de Lubecæ & Sueciæ mutuis beneficiis,
poſtquam libellus a Lubecenſibus ſuperioris ſeculi A. 66 publica-
pag. 143. tus anſam dederat, Autor noſter ultro citroque diſquirat. Qui-
bus ea quæ domi atque in Livonia acciderunt, dum foris rebus ob-
166. eundis *Pontus* vacat, velut non ignobilem laciniam attexit. At
Sueciæ ſuæ redditus *Delagardius*, Regis *Johannis* filiam naturalem
174. *Sophiam Gyldenhielmiam* vitæ torique ſociam accepit. Jamque ni-
hil ad ſummi faſtigii gloriam deerat, quam ut infeſtas acies fortem-
que exercitum Regiis auſpiciis in terras ditionesque Moſchicas in-
175. funderet. Ubi belli quoque fortuna, & rebus ſecundiſſimis uſus,
181. Ingriæ Livoniæque loca quamplurima Suedico nomini obnoxia red-
didit; eo virtutis ac fortunæ ſucceſſu, qui & invidiæ apud Polonicam
gentem poterat eſſe. Unde tot tantæque lites, tot controverſiæ
ac cauſæ natæ, quibus dirimendis ſopiendisque quam ſedulo, quibus-
que legibus ac modis, laboraverit *Johannes*, ex autographis Regiis
actorumque contextu copioſius Autor deducit: usque dum ad ſu-
195. prema *Ponti* tandem dilabitur. Enimvero vanus erat cum Polo-
210. nis pacis ſecuritatisque conatus. Major in Moſchorum obſequio
ſpes affulgebat. Eo cum ſociis adjutoribusque Regio nomine ope-
212. ram navabat *Pontus*. Interim renuebant Moſchi Sueonum rata ha-
bere poſtulata, factumque adeo, ut ſuſpenſa re *Ponto* reliquisque ab-
eundi neceſſitas imponeretur. Jamque navem conſcenderat, ſe-
cundo amne Narvam appulſurus, cum dimidio ſupra urbem milliari
ex inſperato intervenit caſus, qui læſam vitiatamque everteret ratem
ac Pontum aliosque ſubmerſos undis extremo fato admoveret. Hunc
213. exitum habuit ſummus Heros: hæcque illa vitæ coronis, illaque me-
ritorum clauſula eſt, in qua ſimul Autor deſiit, finiens Liviana ſen-
tentia in gentem ſuam inflexa: *Dum nullum faſtidiretur genus, in quo eniteret virtus, crevit Suecanum imperium.*

L' ELOQUENCE DE LA CHAIRE ET DU Barreau, ſelon les principes les plus ſolides de la Rhetorique ſacrée & profane: par feu M. l' Abbé de Bretteville. id eſt:

Eloquen-

Eloquentia Cathedraria & Forenſis, ſecundum principia Rhetoricæ ſacræ & profanæ ſolidiſſima. Autore Abbate Brettevillio.

Pariſiis, apud D. Thierry 1689, in 8. Plag. 40.

USitatam ſecuturus methodum Autor, in quinque libros Sacram hanc & Profanam Eloquentiam diſpeſcuit, quorum *primo*, poſtquam contra eos, qui artem contemnunt, & naturæ omnia in eloquentiæ negotio tribuunt, prolixe diſputaſſet, de *Inventione* agit, *Locosque*, quos vocant, ad eam pertinentes recepto more enumerat, & exemplis ex ſummorum utriusque eloquentiæ principum, Chryſoſtomi, Tertulliani, Arnobii, Cypriani, Auguſtini, Ciceronis denique, ac inter Gallos celeberrimi *Patru*, aliorumque advocatorum ſcriptis illuſtrat, quorum floribus totum librum exornatum eſſe deprehendimus, ubi ſatis invenient, quod mirentur, quodq, imitentur in ſuggeſtu & foro eloquentiæ cultores. Quanquam ſacram imprimis eloquentiã excoluiſſe videatur Noſter, quia plenius eam hic proponit. Sacro autem oratori Scripturarum ante omnia ſtudium commendat, quæ doctrinæ purioris zelique ardentis fontes ſint, neque apicem quidem, Chryſoſtomo dicente, habeant, in cujus profundis non lateat grandis quidam theſaurus. Senſum vero Scripturæ literalem ex originali lingua indagari jubet, & dira ſimul iis imprecatur, qui mutent pervertantq; in Scriptura aliquid, quo vanis ſuis conceptibus patrocinentur. Magni pro ſe Apoſtoli exemplum allegat, qui dilectiſſimum Timotheum tam graviter exhortatus ad Scripturæ ſtudiũ fuerit, nec aliam, quam quæ Scripturarũ eſt, eloquentiam quæri ab ipſo voluerit, 1. ad Tim. III, 16. 17. Primos pariter, qui Evangelium prædicaverint, de ornatu exteriore, aut humani ingenii luſibus parum ſolicitos fuiſſe, ſcripta ipſorum, ſua ſimplicitate omnibus oratorum, tametſi facundiſſimorum operibus ſuperiora, teſtari exiſtimat. Nonnulla etiam de ſpirituali Scripturæ ſenſu monet, ejusque idonea e Patribus & ipſius Chriſti concionibus exempla adducit. Ineptas vero & inſipidas allegorias, quales quidem quotidie inter ſuos audiri queritur, improbat, atque ſapientem illum pronuntiat, qui norit eas evitare. Equidem negari non poſſe, quod Patres quoque allegorias nimium extenderint: at excuſandos tamen videri per ſeculi, quo vixerint, genium, hominumque quibus-

[Margin: pag. 1. — 37. — 39. — 46. — 40. — 48.]

cum ipſis agendum fuerit, gentilium conditionem; cum enim hi
averſarentur facta nonnulla, quæ in Veteri Teſtamento recenſentur,
prudenti quadam & Chriſtiana συγκαταβάσει Patres ea in
figuras allegoriasque convertiſſe, quo eo facilius ad amplectendam
Jeſu fidem iſti permoverentur. Non autem negligendam eſſe ait aut
inſuper habendam a concionatore venerandam Eccleſiæ traditio-
pag. 51. nem, & conciliorum deciſionem, hiſtoriamque eccleſiaſticam, in
52. materia præprimis fidei controverſiam concernente: quanquam
ut de controverſiis in Gallia nunc agant concionatores, neceſſarium
amplius non eſſe exiſtimet, ſed gratias potius pietati potentiæque In-
victiſſimi Monarchæ referendas dicat, qui hæreſin, quam vocat,
54. e regno prorſus exterminaverit profligaveritque. Theologiæ etiam
Syſtema concionatoribus commendat, ſed mittendos ſcholæ termi-
nos eſſe dicit, ut theologum quidem agat concionator pro ſuggeſtu,
55. 56. ſed ſacri tamen oratoris characterem non deponat. Perſuaſum in-
65. primis eſſe cupit ſuggeſtus ſacri candidato, quantumcunque et-
iam ſcientiæ meritorumque ejus ſit, verum tamen in ſuo miniſterio
ſucceſſum ipſum non habiturum, niſi cum Deo frequens ipſi interce-
dat communio, & exemplo plus quam verbis ædificet. His ita
66. declaratis, ad forenſem accedit eloquentiam, & legum ante omnia
cognitionem in advocato requirit, quas ad ſua applicare commoda
probe diſcat, earumque æquitatem & autoritatem proponat.
67. Quodſi lex contraria cauſæ ſuæ videatur, tum varietatem circum-
ſtantiarũ, quam prævidere utique Legislator non potuerit, urgendam,
legem legi opponendam, vel ambiguitatem verborum oſtenden-
dam, aut alia adhibenda media eſſe docet; quod exemplo orationis,
quæ integra adſcribitur, & lectu digniſſima eſt, celebris inter ſuos Ad-
vocati illuſtrat, qui unam cauſam caſumq; eundem de filia ab hæredi-
68, 69. tate, ob conjugium abſq; parentis conſenſu contractũ, excluſa ita tra-
ctavit, ut legem primum, qua liberi ſine parentum conſenſu matrimo-
74. nium inire prohibentur, contra filiam urgeret, tandem vero eandem
luculenter excuſaret. Poſt hæc ad Sacra regreditur, deque argu-
mentis ex ratione petitis agit, & utriusque partis, quarum altera ra-
tiocinationem humanam in negotio religionis omnino reſpuit, alte-
ra eidem omnia tribuit, argumenta axaminat ac refellit.

Secundus liber de *Diſpoſitione* tractat, ubi poſtquam de natu-

ra exor-

Digitized by Google

ra exordiorum egiſſet, optandum eſſe ait, ut Eccleſiæ quoque Miniſtris, *ceu Athenienſibus olim in Areopago oratoribus*, exordia prohiberentur. Si enim introitus ejusmodi nonniſi ad conciliandum pag. 116.
æſtimationem benevolentiamque auditorum faciant, alienum plane hunc a ſacro oratore ſcopum eſſe putat, qui non parandæ auditorum benevolentiæ, ſed oſtendendæ cœli viæ terrendorumque peccatorum cauſa ſuggeſtum conſcendat. Multo minus duplex pro 114.
eadem concione exordium probat, incognitamque iſtam concionandi rationem Patribus fuiſſe addit, qui diſcurſus ſuos a lectione certi e Scriptura loci auſpicati ſint, & præmiſſa ejus explicatione, moralia exinde ad ædificationem deduxerint. Succeſſu tem- 117.
porum, cum ſacros libros in evangelia epiſtolasque diviſiſſet Eccleſia, prælectum fuiſſe populo vel evangelium vel epiſtolam, ad quam lectionem univerſus cœtus ſumma cum reverentia attenderit(unde ſine dubio conſuetudo iſta devenerit, quod nudato, durante exordio, capite hodienum ſtare auditores conſueverint;) poſtea concionatorem prælectam iſtam pericopen fidelibus explicaſſe, indeque ſalutares quasdam inſtructiones deduxiſſe. Addit ta- 119
men Autor, evangelii aut epiſtolæ ſuccinctam ac nervoſam explicationem loco exordii adhiberi poſſe, quin & exordia alia artificioſa & benevolentiæ captationes recte inſtitui, quando cum hæreticis 130.
agendum, aliisve qui præjudiciis laborant, aut ſi parentales habendi ſermones ſint &c. De *Narratione*, tanquam parte orationis, cum agit Autor, cauſarum patronis id inprimis ſuadet, ut in re minus grata circumſtantias, quam poſſint, breviter enumerent, omnique ſtudio eo adnitantur, ut gratiorem eloquio cauſam reddant. Exemplum e præcipuo Pariſienſis curiæ advocato affert, qui generum quendam, quod ſocerum citra pravam intentionem occidiſſet, facundiſſime nec ſine rationum momentis defendit, quæ legi in Autore poſſunt. Speciale dein caput de *Homiliis* ſubjungit, 137.
& Chryſoſtomi homilias in Matthæum imitandas homiletæ commendat. Iſtas autem in explicatione ac paraphraſi evangelii con- 196.
ſiſtere ait, contradiſtinctas concioni ſecundum artis regulas efformatæ; quod docendi genus, utpote familiare, ad exponenda fidei myſteria, hominumque fidem ac mores formandos, aptiſſimum eſſe arbitratur.

pag.200. In tertio libro de *Elocutione* agit, inque limine ſtatim obſervat,
quam nihil facilius, nihilque naturæ convenientius ſit, atque figu-
ris & tropis ſermonem exornare: adeo ut ſe multa ſæpe cum dulce-
205. dine homines, ruri cætera natos educatosque, ingenioſos minimeque
vulgares inter ſe diſcurſus miſcentes audiviſſe memoret, atque in
ruborem pene datum fuiſſe fateatur, cum ſe, qui tam longo tempo-
re operam artificiali eloquentiæ dediſſet, naturali ſuperari adverte-
ret. Itaque arcanum omne verioris eloquentiæ in eo conſiſtere col-
ligit, ut quis naturam ſequatur, motusque & affectus omnes materiæ
296. rebusque explicandis accommodet. Speciatim de hyperbole mo-
net, utut frequens ejus in S. Codice ſanctisq; Patribus uſus occurrat,
concionatori tamen hodie ab eo fere abſtinendum eſſe, cum ſeculi
plane moribus repugnet, & conſultius longe ſit rem nude propone-
re. Ita de comœdiis ſi loquatur ſacer orator, omnique niſu proba-
re conetur, *mortalis illum peccati reum eſſe, qui comœdiæ ſaltationi-*
ve interſit, talem certe neminem reperturum, qui ſuo iſti aſſerto fi-
dem adhibeat: at ſi ſimpliciter, quod res eſt, pronunciaverit,
profana ejusmodi ſpectacula pernicioſa valde ſaluti, nec facile eſſe in
iisdem a mortali peccato cavere ſibi, cum locus ibi haud ſit ſperandæ,
quæ repellendis ſufficiat tentationibus, gratiæ, neminem repugnatu-
301. rum. Denique Gallicæ inprimis linguæ rationem habet, & Gallis
310. ſuis præcepta *de ſtylo* tradit.

Laudem meretur inprimis quartus liber, qui *de Paſſionibus ſeu Affe-*
ctibus prolixe ita tractat, ut natura 1. eorum exponatur, 2. media eos
ordinandi corrigendique cum exemplis ſelectiſſimis oſtendantur.
Non autem aggrediundos violenter affectus, ſed ſuaviter moderan-
dos dirigendosque eſſe ait, ſic ut innatæ v. g. divitiarum cupiditati
largiatur orator, quærendas eſſe divitias; at verum ſimul, æternum
nempe & cœleſte, ſolidumq; objectum monſtret, quo tendere ap-
336. petitus affectusque omnis debeat. Et hic mirandam eloquentiæ
virtutem exeri ait, cum affectus ſuaviter regat, & inclinationem
339. in genere largiatur, ſed ad verum inſuper objectum deducat. Deniq;
ſpeciale de noſcendis auditorum inclinationibus caput ſuperaddit,
449. in qua ſcientia primum eloquentiæ ſacræ principium poſitum eſſe
ait, ut prout diverſa eſſe ſolent auditorum ingenia, ita in concilian-
dis iſtis diverſa quoq; methodo uti orator norit. Ubi cum de diver-
ſa nationum indole diſſerit, Germanos depingi videas, velut argu-

tiarum

Digitized by Google

tiarum nihil (*n' entendent fineſſe à rien*) capientes, adeo ut vivaciſſima quæq; eloquendi ratio parum ipſos moveat, nudæ ſolidæque veritati intentos.

In quinto libro de *Actione* tractat, eamque ſacro convenire pag.448.
ſuggeſtui probat. Contra actionem, quæ in foro hodie requiritur, ſpecioſe objici putat, opus ea non eſſe, cum cauſæ juſtitiam proponere, & claris eam ſolidisq; rationibus ac legibus in territorio, in quo inſtitutus proceſſus eſt, receptis confirmare, muneris advocatorum ſit, non geſtibus rem conficere, quippe quod non exiguam deceptionis ſpeciem habere videatur. Et nihil quidem ſe videre dicit, quod re- 457.
ſponderi ad objectionem poſſit, ſi ex merito ſemper cauſæ æſtimarentur, nihilque favori aut affectibus tribueretur. At accidere ſæpius, ut præoccupati ſint adverſæ partis ſolicitationibus judices, adeoq; opus plane ſit gratia vigoreque geſtuum ac vocis excitare at- 458.
tentionem eorum & captare benevolentiam. Tandem de pronun- 468.
ciatione, ut & qualitatibus vocis ejusq; inflexione, ſecundum diver- 470.
ſitatem cauſarum, affectuum, figurarum, periodorum, partiumque 472.
orationis; geſtibus denique corporis, capitis, vultus, oculorum 489.
manuumque, ſacrum profanumque oratorem ornantibus, non pauca commentatur.

ELIÆ HENRICI HENCKELLII ORDO ET Methodus cognoſcendi & curandi energumenos ſeu a ſtygio cacodæmone obſeſſos.

Francofurti & Lipſiæ, ſumptibus Nicolai Forſteri, 1689, in 8.

Conſtat plagulis 17.

MAgnam eſſe diaboli vim, qua homines quatenus licet affligere, eorumque animos ad vitia impellere, corpora cruciatibus morbisque divexare conatur, nemo inficias ibit. Multos tamen morbos naturæ vitio aut ex alia non ſupernaturali cauſa contractos, dæmonis artibus adſcribi, & corporis infirmitate laborantes pro obſeſſis aut dæmoniacis falſo haberi, notavit, & cavendi iſtum errorẽ rationes oſtendit Danhauerus in libro inſigni Germanico, quẽ Colonienſi presbytero oppoſuit A. 16:4. Dæmoniacos ſeu energumenos cognoſcendi, iisq; medendi modos in hoc tractatu hiſtorico-medico tradidit Autor, & ne maniacos pro energumenis habeamus, in principio ejus monuit, ac cap. 2. de mania ſive delirio ejusq; cauſis, vitio corporis

ortis ab accenſione ſpirituũ naturalium, in cerebri ſubſtantia & ventriculis ſtabulantium, diſſeruit, ejusque intemperiei in cerebro externas & internas cauſas ſcrutatus eſt. Cap. 4. dæmoniacorum ſeu obſeſſorum ſigna recenſuit, quæque circa eos plerumque evenire ſoleant, ex medicorum & hiſtoricorum obſervationibus tradidit: eaque occaſione expoſuit, qua ratione diabolus corpus humanum ingrediatur *p. 60*, & ex quibus ſignis id fieri cognoſcatur *p. 112*; ſimul varia de ſomniis *p. 68*, de ſpectris *p. 83*, de voluntate hominum a diabolo cognita *p. 115*, de ignotis linguis, quas dæmoniaci proferre ſoleant *p. 119*, de oraculis *p. 139*, de lycanthropia *p. 151*, de inedia obſeſſorum *p. 162*. diſſeruit, & quare dæmoniaci plerumque epilepſia affligantur, *p. 176*. disquiſivit. Cap. 6. curationem obſeſſorum in magicam, naturalem & divinam diſpeſcens, primam quæ oraculorum ope, aut incubatione in fanis Deorum, aut fumigatione, aut exorciſmis peragitur, improbavit; ſecundam cap. 7. expoſuit, deque venæ ſectione, trepano, ac medicamentis vomitoriis, digerentibus, purgantibus, diureticis, alterantibus, roborantibus & ſpecificis, diæta item & balneis diſſeruit; tertiam, oratione & jejunio quæ conciliatur, cap. 8. propoſuit, exorciſmorum, peregrinationum votivarum, & ſacræ euchariſtiæ a Pontificiis ad expellendos dæmonas adhibitæ mentionem faciens.

DEZIUS SUO GLADIO JUGULATUS, oder kurtzer doch gründlicher Beweiß / daß die Wiedervereinigung ꝛc. i. e.

Tractatus quo breviter ſed ſolide demonſtratur, Reunionem Proteſtantium cum hodierna Eccleſia Romana nec neceſſariam ad ſalutem, nec facilem ſecundum principia eorum; potius autem Pontificiorum cum Evangelica Eccleſia Reunionem & neceſſariam ad ſalutem, & facilem juxta propriam illorum doctrinam eſſe; Autore G. H. H. D.

Anno 1690, in 8. Plag. 12.

TErtius jam annus agitur, ex quo *Johannis Dez*, Jeſuitæ minime ignoti, tractatum de Reunione Proteſtantium &c. recenſuimus,

Digitized by Google

mus, & quem ille finem ſibi ſcopumque præfixerit, abunde expoſuimus, in Actis A. 1687. p. 384. ſqq. Nec quæ nuper admodum Maxime Reverendus D. Albertus noſter *in Auguſtana Confeſſione thetice ac apologetice exhibita* eidem oppoſuit, tacemus, ſub anni quippe hujus initium, menſe Januario p. 26, 27. indicata. Nunc alium ex noſtratibus ſiſtimus, qui in eorum inprimis gratiam, qui brevem ſolidamque Deziani operis, ſermone patrio, refutationem deſiderabant, aggreſſus Jeſuitam eſt, ſtylumque in eundem ita convertit, ut *Dezii ſuo jugulati gladio* titulum libello præficere nullus dubitaverit. Tribus autem partibus tota hæc tractatio abſolvitur, quarum *prima* juxta articulorũ Auguſtanæ Confeſſionis ſeriem oſtendit, qua ratione Jeſuita ipſe articulos iſtos vel integros, vel ex parte tamen, pro apoſtolica divinaque veritate agnoſcat, adeoque Proteſtantes Auguſtanæ Confeſſionis ſocios ab antiqua & catholica Eccleſia non receſſiſſe fateatur. Unde facile concludi poſſe arbitratur Autor, Proteſtan- pag. 25.
tibus neceſſarium ad ſalutem ſuam non eſſe, ut cum vera Chri- 26.
ſti Eccleſia ſeſe reuniant, *a qua, fatente ipſomet adverſario*, in fide ſua & religione *nunquam deflexerint*. Habere ergo Argentinen- 23.
ſes cæteroſque Proteſtantes ait, quod magni inter ſuos nominis Viro in gratiis referant, qui religioni ſuæ & receptæ hactenus doctrinæ, coram univerſo Chriſtianorum cœtu, publicum infallibilis divinæque veritatis teſtimonium perhibere voluerit. Præcipue au- 24.
tem divino Numini agendas grates eſſe ſtatuit, quod calamum Jeſuitæ ſtylumque ita direxerit, ut, contra ſuam absque dubio voluntatem, evangelicam in Auguſtana confeſſione veritatem, a Pontificiis pro damnata hæreſi habitam, divulgare in Papatu ipſe, & ceu divinam & catholicam veritatem proponere debuerit; non aliter atque Judææ olim Præſes, tale nihil cogitans, Jeſum, quem cruci ipſe juſſerat affigi, Judæorum Regem mundique Meſſiam inſcriptione ſua confeſſus ſit.

In ſecunda parte, quæ a Dezio circa illos Auguſtanæ Confeſ- 28.
ſionis articulos, quibus aſſenſum *non omnino* præbuit, afferuntur, atque amplectenda Proteſtantibus proponuntur, ita expendit Autor, ut nova plane iſta, non veteris eccleſiæ orthodoxorumve Patrum dogmata, ſed errores eſſe, qui poſt Apoſtolorum tempora in Eccleſiã irrepſerint demum, oſtendat. Atque hinc concludit, nec neceſſariam

ad ſalu-

ad ſalutẽ, nec poſſibilem Proteſtantibus juxta doctrinam ſuam eſſe reunionem cum hodierna Romana eccleſia, quoad iſta per homines ſanæ ſuperaddita doctrinæ, & a Dezio iterum propoſita capita.

In tertia eaq; poſtrema libelli *parte*, prædicti Auguſtanæ Confeſſionis articuli denuo expenduntur, inq; ſingulis monſtratur, *quantum Pontificii ab antiqua & catholica*, quæ in illis continetur, *veritate rece-*
pag. 139. *dant*, iisq; doctrina & religione ſua contrarientur. Ex quo conficitur, neceſſariam potius Pontificiis ad ſalutem, & facilem ſecundum principia a Jeſuita conceſſa, ipſoque jam Concilio Tridentino propoſita, reunionem eſſe cum Eccleſia evangelica catholica. Sub finem *de tribus*, quas ſuo tractatui ſubjunxit Dezius, *concluſionibus* agitur, par-
163. timque earum falſitas oſtenditur, partim aliæ e divino verbo iis opponuntur. Inter alia, primæ concluſionis inconvenientia Jeſuitæ ponderanda relinquitur, *quod Romana Eccleſia hodieque vera Jeſu Chriſti Eccleſia ſit*; quod perinde pronunciatum eſſe dicit Autor, atque ſi quis dicat, provinciam Campaniæ, cui Dezius quoque ad-
163, 174. numeratur, eſſe regnum Galliæ. Cæterum quia Gallus eſt, cum quo decernit Noſter, de Gallicana ſpeciatim Eccleſia ſub finem nonnulla monentur, & e noviſſimis Gallorum Romanorumq̃ue ſcriptis, quam neceſſaria ei facilisq; cum Eccleſia Evangelica reunio ſit, luculenter demonſtratur. Notam quippe ſententiam eſſe, A. 1682 communibus Gallicani Cleri ſuffragiis latã, quod Papa Romanus cum decretis de-
174. finitionibusque ſuis Concilio ſubjectus ſit. Adhæc *Talonum* Parlamenti decretum ita nuper expoſuiſſe, (in *Arreſt rendu en la cour de Parlament 23. Jan. 1688. p. 20.*) ut *licentiam*, quam Pontifices ſibi in poteſtate clavium, ad ædificandum non deſtruendum conceſſa, ſumſerint, *reprimendam per Concilium eſſe* dixerit. Quodſi vero Eccleſia Gallicana Romanæ Sedi & Eccleſiæ opponere ſe, eique contradicere *in re clavium cœli poteſtatem concernente* posſit, utique palam exinde fieri, quod ſub ſalutis detrimento ad eandem non teneatur, *ſed ſeparare ſe ab ea queat, ut tamen non eſſe deſinat eccleſiæ catholicæ*
175. *membrũ.* Tametſi enim Gallicana eccleſia fateri hactenus ſeceſſionem a Romana, per illam poteſtatis Pontificiæ limitationem nolit, pro tali tamen a Romana eam haberi, quæ vel ſeceſſerit, aut ſeceſſum meditetur; ceu clare ſatis ex evulgato nuper ſcripto Italico, reſponſum ad Marchionis Lavardini proteſtationem continente, appareat, quod

quo expreſſe dicatur, *Arreſta*, ut vocant, *Gallica*, ſeu decreta de libertatibus Eccleſiæ Gallicanæ, *ad plenariam a Romana ſede ſeparationem, ex impatienti quodam furore* (ſmanioſa impazienzia) *tendere*. Quo tamen non obſtante, adeo non a defenſione jurium ſuorum abſtinuerit hactenus Gallicana Eccleſia, ut potius Romanæ hodieque contradicat, & Autor reſponſionis ad allegatum modo ſcriptum Italicum inter alia memoret, ea de cauſa jam olim a Romanis Pontificibus anathemate percuſſos Gallos fuiſſe, *quod*, repugnando decretis Papalibus, *Deo obedire maluerint*, potiusque fidelitatis habuerint jura- pag. 176. mentum, ſupremo ſuo Magiſtratui præſtitum, quam Pontificis decreta bullasve, quæ a juramento illos abſolvebant. Pariter ad ſuperiorum a Luthero inde temporum hiſtoriam in noſtram usque ætatem ponderandam Dezius remittitur, unde deprehendere facile poſſit, non alia de cauſa toties Romanis contradixiſſe, papaliumque anathematum fulmina ſuſtinuiſſe Proteſtantes Auguſtanæ Confeſſionis, quam quod repugnare Deo, Pontificum decretis ſeſe ſubmittendo, aut juramenta, quibus ſuo quisque Magiſtratui obligabatur, violare noluerint. Itaque ſi Gallis hoc in excuſationem cedat, & ad 177. conſcientiæ, ceu ipſimet absque dubio fateantur, tranquillationem faciat; ſi ſeparare ſe a Romana poſſit Gallicana eccleſia, neque tamen eapropter verum Catholicæ eccleſiæ membrum eſſe deſinat: utique nec Noſtratis cum Romana reunionem fore neceſſariam. Quod ſi tandem locum habere Dezii concluſio debeat, *communionem cum Romana eccleſia ſedeque Papali omnibus Chriſtianis ad ſalutem neceſſariam eſſe*, tum omnes Gallorum proteſtationes, de quibus dictum, omnesque de futuro Concilio comminationes, fruſtraneas fore. Neque enim de arrogata ſibi poteſtate quicquam ceſſurum Pontificem, ſed ita clavibus uſurum, ut receptæ dignitati ſuæ autoritatique nihil inde derogetur. Quicquid itaque concluſerit Concilium, 178. prætenſæ tamen ſuper Chriſtianos omnes poteſtati inſtiturum illum, eaque in Concilium quoque, tanquam partem Chriſtiani orbis, extenſa, decreta ejus, ſicubi Romanæ ſedi minus arriſerint, abrogaturum. Denique e *Thuano* heroicum Cæſaris Caroli V Hiſpan. Regis factum Jeſuitæ opponit, qui, Franciſco I. Galliarum Rege Pontifici Venetisque fœderato, A. 1527 autoritatem nominis Pontificii per omnem Hiſpaniam aboleverit; *exemplo ab Hiſpanis ipſi poſteritati re-*

lecto, poſſe eccleſiaſticam diſciplinam citra nominis Pontificii autoritate ad tempus conſervari. Quod Hiſtoricorum principis judicium quam facile ad Evangelicam applicari Eccleſiam poſſit debeatque, nemini non a partium affectuumque ſtudiis libero conſtare poſſe, doctiſſimus Autor concludit.

DES SATYRES PERSONNELLES. TRAITE' Hiſtorique & Critique de celles qui portent le titre d' ANTI.

A Paris, chez Ant. Dezallier, 1689, in 12.

Satyræ perſonarum. Tractatus hiſtoricus & criticus, enumerans libros quorum in titulis ANTI occurrit.

Pariſiis, 1689. Tomis duobus. Pagell. 38.

Litigiorum inter eruditos ſuper omnibus ſcientiis ac doctrinis varia eſſe genera cernimus, quorum iſtud habetur peſſimum, quod non tam argumentum quam auctorẽ inſectatur, & perſonarum cavillandarum majorem quam rerum impugnandarum rationem habet. Iſtud qui elegerunt, quando libros aliis oppoſitos evulgant, iisdem titulos præfigere interdum ſolent qui ANTI præ ſe ferunt: ut primo ſtatim conſpectu is, cui liber contradicat, & quem ſibi adverſarium auctor elegerit, appareat. Charactere hoc inſignitos libros enumerare in recenſu hoc inſtituit eruditus, & varia lectione plurimaque librorum notitia inſtructiſſimus Gallus, qui *Alberti Lainerii Vertoni* nomen ſibi ſumſit, ſub quo alium latere, ſcriptis inſignibus notiſſimum, judicii de ſcriptoribus quibusvis ferendi dexteritate pollentem, haud immerito ſuſpicamur. Quatuor dialogis univerſum opus abſolvit; in quibus unum e collocutoribus, cui *Rintalii* nomen imponit, e collectaneis ſchedis ſcriptores qui ab *Anti* libris ſuis titulos accerſiverunt, depromentem introducit. Hos antequam ordine enumeret, in primo Dialogo propoſiti rationes diſtincte exponit, deque argumento quod tractandum ſuſcepit, *pag. 6. & ſeqq.* differit; ſolos nimirum eos libros ſe exhibiturum affirmans, qui tituli aciem in perſonas eorum, quorũ libros ſibi confutandos propoſuerunt, ſtringant,

gant, adhibita vocula *Anti;* reliquos qui & ipſi hac particula notatum titulum oſtentant, nomen vero ejus auctoris cui adverſantur adjectum non habent, ut *Antiparadoxa*, *Antapologiæ*, *Anticriſes*, *Antiſophiſtica*, *Antibarbari*, *Antiroſaria* &c. non perſonalibus, uti vocat eas, ſed realibus ſatyris annumerans. Obſervat autem, veteres, qui & ipſi titulis ſuorum operum interdum particulam hanc admiſcuerunt, non eo ſenſu, quo hodierni ſcriptores utuntur, eam adhibuiſſe, ſed interdum ea argumentum denotaſſe: quemadmodum Julii Cæſaris *Anti Catones*, quos Cicero, Quintilianus, Plinius, Tacitus, Suetonius & Juvenalis memorant, non oppoſitos Catoni libros deſignarint, ſed Ciceroni contrarios, qui Catonis virtutem laudarat in dialogo, quod indigne ferens Cæſar duos famoſiſſimos in vitam Catonis libros edidit, eosque Anti Catonum titulo inſignivit, *p. 19. ſqq.* Sic & Hier. Cardanus *Anti Gorgiæ* elogium libro præſcripſit, quem adverſus Platonis dialogum, qui Gorgias inſcribitur & Gorgiam inſectatur, edidit, inque eo Gorgiæ adverſus Platonem defenſionem ſuſcepit, *p. 38. ſeqq.* Interdum non contradictionis, ſed imitationis indicem particulam hanc eſſe voluiſſe obſervat: ſicuti *Anti Homeri* nomine a Ptelomæo Chenno Grammatico Alexandrino, qui ſub Adriani & Traiani vixit temporibus, inſcriptum carmen non Homero oppoſitum, ſed ad imitationem Homeri viginti quatuor libris abſolutum denotavit. *p. 32. ſeqq.* quemadmodum & *Anti Claudiani* titulo ſuum Alanus ab Inſulis (de cujus ætate & operis argumento *p. 51. ſqq.* diſſeritur) inſignivit poema, non adverſus Claudianum, ſed ad Claudiani imitationem libris novem conſcriptum. Nempe particula *ἀντὶ* non ſemper contradictionem, ſed quandoque reciprocationem, quandoque permutationem, quandoque comparationem, interdum aliud quid denotat, *p. 55.* ſicut apud Latinos vocula *adverſus* non ſemper oppoſitionem, ſed nonnunquam imitationem ſignificat, notante Sirmondo p. 96. Not. ad Ennodii epigr. 124. quod inſcribitur: *Adverſus Claudianum de mulabus;* in quo acutiloquentia eum ſuperare, certe certamen inire, etſi fruſtra, Ennodium voluiſſe, annotat Barthius p. 1010. Horum operum aliam rationem eſſe, quam eorum quæ ab *Anti* denominata enarranda ſuſcepit, poſtquam monuiſſet; ordinem, quem in recenſendis iſtis ſit ſervaturus, *p. 66.* indicat, eumque poſtea exacte tenet. Libros enim alios argumenta theologica complecti, alios in explicandis ſcientiis artibusque humanioribus verſari docet.

Secundo & tertio dialogo ſcripta theologica recenſentur, quorum tituli ex *Anti* conflati ſunt, eaque diſpeſcuntur in tres claſſes, quarum *primam* Proteſtantium contra Pontificios ſcripta conſtituunt, *alteram* Proteſtantium Proteſtantibus oppoſiti libri hac particula inſigniti implent, *tertiam* Pontificiorum adverſus Proteſtantes & ſuæ religionis ſcriptores ſparſi libri hanc voculam præ ſe ferentes conficiunt. Prioris claſſis circiter quadraginta enumerantur in ſecundo dialogo, juxta literarum ſeriem, a pag. 73. ad p. 276. v. g. *Anti-Becanus, Anti Bellarminus, Anti Bertius, Anti Cochleus, Anti Cotonus, Anti Gretſerus, Anti Janſenius, Anti Piſtorius, Anti Stapletonus, Anti Tannerus, Anti Walemburgius* & alii, quorum auctores, plerique Lutherani theologi, deſignantur, eorumque vita exponitur, ac ſicubi opus eſt, certaminis hiſtoria perſpicue narratur. Poſterior claſſis in plura diſtinguitur capita, quæ dialogus tertius complectitur a p. 299. Tomi I. ad p. 98. Tomi II. proferuntur enim ibi ſcripta triginta & aliquot Lutheranorum contra Calvinianos, *Anti Alſtedius, Anti Barclaius, Anti Becmannus, Anti Calvinus, Anti Crocii, Anti Danæus, Anti Pareus, Anti Stegmannus* & alii a p. 302. ad p. 390; dein ſcripta quæ Lutherani Lutheranis adverſa evulgarunt a p. 392. ad p. 412. annotantur, *Anti Groſſius, Anti Hunnius, Anti Lubinus, Anti Mayfartus, Anti Nagelius, Anti Syncretiſta, Anti Willius, Anti Bohmius*; poſthæc Calvinianorum Lutheranis objecta ſcripta referuntur p. 414. ſqq. *Anti Oſiander, Anti Pappus, Anti Weigelius.* Scripta quibus Calviniani ſe mutuo exagitarunt, eo potiſſimum tempore prodiiſſe obſervat p. 424, quando Arminiani in Belgio Remonſtrantium nomine ſumto ab ipſis ſeceſſionem fecerunt. Proteſtantium contra Socinianos ſcripta Tomo II. a p. 4. ad p. 35. enumerantur, *Anti Crellius, Anti Enjedinus, Anti Georgius, Anti Oſtorodus, Anti Smalcius, Anti Stegmannus, Anti Zwickerus.* Adverſus Judæos autem & Turcas nullum ſe Proteſtantium ſcriptum reperiſſe, quod in titulo *Anti* contineat, obſervat p. 38. Tertiam claſſem Pontificiorum adverſus addictos alteri religioni ſcriptores editi libri conſtituentes, a p. 40. ad p. 98. Tom. II. enumerantur *Anti Arcticus* ſive *Anti Beer, Anti Calvinus, Anti-Capellus, Anti Crocius, Anti Dorſcheus, Anti Lutherus*, (qui in *Addit. p. 385.* a Jo. Clichtovæo editus ſiſtitur) *Anti Janſenius, Anti Molinæus, Anti Mornæus, Anti Tortor, Anti Theophilus* (de quo multa lectu digna in Additionibus p. 395.) & alii. Tertio

Tertio huic dialogo, in quo hæc Proteſtantium adverſus Proteſtantes & Pontificiorum adverſus eosdem ſcripta proferuntur, Digresſionis in modum a p. 277. ad p. usque 298. Tomi I. præfigitur Diſſertatio de ſingularibus argumentis, in quibus pertexendis hodie optimorum Scriptorum in Gallia exerceatur induſtria, ac librorum, qui prodituri ſint, indicantur tituli: quos (etſi ingenii gratia modo ab Auctore prolati videntur, auctores etiam, quorum in elaborandis operibus iſtis exerceri induſtriam narratur, ficti nominantur) huc opponere juvat: *Calendarium hiſtoricum* in trecentas & ſexaginta ſex partes, juxta numerum & ſeriem dierum per annum diſtribuendum, quid in orbe quovis die geſtum ſit expoſiturum. *Pœnitentiale generale* omnium temporum & locorum in eccleſia Chriſtiana, ſingula pœnitentiæ genera tradens. *Tabulæ chronologicæ*, in quibus res geſtæ potiſſimæ per Decades annorum recenſentur, & ſub finem cujusque ſæculi viri illuſtres qui in eo floruerunt, enumerantur. *De ſcriptis parrhiſiacis* (ſive *parrheſiaſticis*) *auctorum Catholico-Romanæ fidei addictorum* commentatio. *De celebrioribus Pedantibus veteris & recentioris ævi* tractatus, cum indice librorum qui in titulo *Maſtix* præ ſe ferunt. *Notitia provinciarum Imperii ab Auguſto usque ad Conſtantinum Magnum. Eccleſiæ in ſervanda diſciplina ratio. Hiſtoria ſacramentorum in Eccleſia receptorum. Martyrologium corruptum* falſos & confictos martyres exhibens. *Invectiva contra communem Eccleſiæ hoſtem*, in qua malitia ejus deſcribitur, qua optime cogitata Sanctiſſimi Patris & Chriſtianiſſimi Regis, quos collidit, eludere ſtudet. *Novum encyclopædiæ ſcientiarum ſyſtema. Lexicon criticum* omnigenæ hiſtoriæ. *Diſceptatio inter Anaſtaſium & Cyriacum* de rebus ad rempublicam Chriſtianam pertinentibus. *De hypocriſi multorum eruditorum*, qui a Judaiſmo ad Chriſtianiſmum haud bona fide converſi, perniciosis ſuis ſcriptis Deiſmo viam ſtraverunt. *Bibliotheca capitularis*, ſive ſecularium Canonicorum, qui ſcriptis inclaruerunt, recenſio. *De infelicitate litteratorum. Hiſtoria academiarum. Hiſtoria academiarũ in quibus literarũ elegantiis ſtudetur*, ubi variæ animadvertuntur ineptiæ, queis Itali, & laudatur modeſtia, qua Galli in nominibus & titulis ſuarum Academiarum utuntur. *Elogia hiſtorica paſtorum & prælatorum*, cum operum ipſorum elencho. *Hiſtoria bibliothecarum. Collectio inutilium & periculoſarum*

loſarum quæſtionum, quas philoſophia ſcholaſtica invexit. *Conjuratio univerſalis Proteſtantium* aliorumque hæreticorum in Septentrionis & Occidentis plagis, adverſus eccleſiam Pontificiam, ex compoſito cum revelationibus Prophetæ Roterodamenſis facta. *Eruditi αὐτοδίδακτοι. De patronis, fautoribus & promotoribus* bonarum literarum. *Bibliotheca generalis. Orbis Chriſtianus*, ſive Hiſtoria ſedium epiſcopalium, quæ ab Apoſtolorum temporibus usque ad hoc ævum conſtitutæ, translatæ, extinctæ, rurſusve erectæ fuerunt, cum catalogo hiſtorico omnium qui eas rexerunt Prælatorum. *Bibliotheca Auctorum homonymorum.* Sed, ut diximus, hæc ſcripta animi ſaltem gratia, aut ut unum alterumve inter eruditos pungeret, ab Auctore enarrata putamus.

Quarto dialogo ſcripta, quæ humaniores artes & diſciplinas tractant, & oppoſita aliis ſcriptoribus *Anti* in titulo gerunt, recenſentur. Primo loco ſtant, quæ in jure & ſcientia politica verſantur, *Anti Caramuel*, *Anti Choppinus*, *Anti Colazon*, *Anti Conringius*, *Anti Cujacius*, *Anti Machiavellus*, *Anti Scioppius*, *Anti Papinianus*, *Anti Tribonianus* &c. a p. 101. usque p. 165. Tomi II. Scripta philoſophica & mathematica iſthac particula *Anti* inſignita a p. 166. ad p. 199. enarrantur, ut *Anti Carteſius*, *Anti Copernicus*, *Anti Philolaus*, *Anti Piſcator*, *Anti Tycho* &c. Medica p. 200. & ſeqq. exhibentur, *Anti Argenterius*, *Anti Harvetus*, *Anti Billichius*, *Anti Deuſingius*, *Anti Silvius*, *Anti Schegkius*, *Anti Simonius*, *Anti Harveus* &c. Hiſtorica p. 228. & ſeqq. enumerantur, *Anti Anicianus*, *Anti Babau*, *Anti Baronius*, *Anti Papiſta*, *Anti Puteanus*, *Anti Sanderus*, *Anti Triſtanus.* Grammatica, philologica, critica, & quæ ad humaniores litteras pertinent, p. 271. ſeqq. proferuntur, *Anti Boſſicon*, *Anti Cruſca*, *Anti Menippus*, *Anti Morus*, *Antiphilarchia*, ac tandem *ANTIBAILLETUS.* Is nempe, cujus exagitandi gratia totum hoc opus ab Autore, ſui nominis ac famæ vindice, ſuſceptum videtur, ut ex Præfatione, & Tomi I. p. 5. 15. 62. 63. 114. 124. 143. 167. 168. 239. 354. 405, Tomi II. p. 5. 6. 41. 42. 113. 114. 116. 190. 228. 242. 243. 248. 288. ſeqq. 372. ſqq. & aliis locis apparet. Nempe librum iſtum (quem in ſuperioris anni 1689 menſe Septembr. p. 494. enarravimus) ut exoſum redderet, & iracundi ingenii malignum fœtum oſtenderet, commentationem hanc confeciſſe videtur

detur Auctor, *hiſtoriam anteceſſorum Anti Bailleti* in eo ſe concinnaſſe ipſe profeſſus, & Reſponſionem uberiorem ad eundem haud obſcure promittens. Satius autem facturum fuiſſe iſtius auctorem exiſtimat p. 293. Tomi II. ſi libro Bailleti, qui *Jugemens des Sçavans ſur les principaux ouvrages des auteurs* inſcribitur, librum objicere cupiens, eum *Contre-Jugemens* inſcripſiſſet, quam quod invidioſo & maligno *Anti Bailleti* nomine eum inſigniverit, perſonalium ſatyrarum numero hac ratione accenſendum, cum iſte titulus ſi in fronte ejus legeretur, realibus potius annumerandus fuerit, quas magis tolerabiles in republica literaria arbitratur.

Harum igitur, realium nempe ſatyrarum, ſive librorum qui in titulis ANTI oſtentant, nec auctorum tamen quibus oppoſiti ſunt nomina, ſed argumenti adverſi ſeu materiæ, in qua verſantur, ſignificationem adjectam habent, elenchum a pag. 298. usque ad p. 372. Tomi II. exhibet, ſeptuaginta circiter libros juxta ſeriem alphabeti enumerans, argumentaque & auctores exponens, qui fœtibus ſuis nomina ab *Anti* accerſiverunt; interdum ridicula ſatis & inepta, potius tamen ferenda judicans, quam ſi autoris adverſi nomen voculæ iſti ſit annexum. Tales appellationes ſunt *Anticritica*, *Anticriſis*, *Antanalyſis*, *Antanatomia*, *Antapocriſis*, *Antapodixis*, *Antapologia*, *Antibarbarus*, *Antibolus*, *Anticategoria*, *Anticatoptron*, *Anticenturia*, *Anticoronis*, *Antidiatriba*, *Antidromus*, *Anterotemata*, *Antexegemata*, *Antigramma*, *Antigratulatio*, *Antihenoticon*, *Anthyperaſpiſtes*, *Antilibellus*, *Antilucerna*, *Antimare*, *Antimotiva*, *Antiparæneſis*, *Antiparadoxa*, *Antiparaſceve*, *Antiphilippica*, *Antipericope*, *Antiprooemium*, *Antirenicum*, *Antiroman*, *Antiroſarium*, *Antiſatyra*, *Antiſophiſtica*, *Antiſtrena*, *Antitamicamicategoria*, *Antitrimaſtix*, & alia monſtroſa ac contorta eque variis linguis conglutinata nomina; quæ hybridis ſimilia paſſim irridet, in realium æque ac perſonalium ſatyrarum titulis affectationem Græculam, qua *ἀντὶ* cum Latino vel Gallico aut alterius idiomatis vocabulo combinatur, puerile aliquid & putidum ſapere ac ſcholam olere exiſtimans, & eo ubique collimans, ut librum ſibi oppoſitum, *Anti Bailleti* nomine inſignitum, lancinet. Quatuor capitibus potiſſimũ conſtare eum p. 377. notat, quæ in morum ſuorum defenſione, elogiorum collectione, convitiorum compilatione, & apologia Jo. Caſæ verſentur: ea ſingula ſub Dialogi quarti

quarti integrique operis finem excutit & aculeatis dictis, quæ juxta Plautum fodicant & ſauciant, ſubinde adverſarium ſuum petit; exemplo ſuo commonſtrans, quod p. 269. Tomi II. annotavit, nullam artem nullumque doctrinæ genus Satyris patere magis, iisque libere ſcribendis eſſe aptius, quam criticum & grammaticum, quod philologicum appellant. In iſto enim utriusque doctiſſimi Viri, qui mutuis libellis, nunc & ſuperiore anno enarratis, ſe petiverunt, exercitam induſtriam & verſatum ſtudium videmus, ex elegantiori iſta literatura plurima cognitu utilia & jucunda proferens, (quæ omnia indicare & excerpere inſtituti noſtri anguſtia prohibet) ſed ſimul ad eruditas rixas & ingenioſas lites proclive: quibus ſpectandis intenti hæc annotavimus, neutiquam arbitrium facientes, uter cauſa potior extiterit; ac ſæpius in hujusmodi argumentis contingit, ut uterque depræliantium victor diſcedat, æquo animo adverſarium ferens.

LIBRI NOVI.

S. Patris Gregorii Nazianzeni Opera, Græce & Latine. Coloniæ, ſumptibus Maur. Georgii Weidmanni, 1690, fol.

Theſaurus Locorum Communium Jurisprudentiæ ex Axiomatibus Auguſtini Barboſæ & Analectis Johannis Ottonis Taboris aliorumque concinnatus. Editio tertia prioribus longe auctior. Lipſiæ, apud J. F. Gleditſchium, 1690, fol.

Johannis von Felde *Phil. & JCti celeberrimi Commentarius de Actionibus Realibus, accurante L. Job. Wolf. Roſenfeld. Francofurti & Lipſiæ, apud Job. & Frid. Lüderwald. 1690, in 4.*

Philoſophiæ Carteſianæ adverſus cenſuram P. D. Huetii Vindicatio, in qua pleraque intricatiora Carteſii loca clare explanantur, Autore D. Andrea Petermanno. Lipſiæ, apud J. C. Meyerum, 1690, in 4.

Fridem. Bechmanni S. S. Th. D. & P. P. in Academia Jenenſi Annotationes uberiores in Compendium Theologicum Leonhardi Hutteri, Longo-Saliſſæ apud J. C. Bachmann, 1690. in 4.

C. Suetonius Tranquillus ex recenſione J. G. Grævii. Editio ſecunda, cui addita ſunt Wilhelmi Goeſii Obſervationes ſelectæ, nec non Claudii Salmaſii, Gruteri, Berneggeri, J. F. Gronovii aliorumque, & ipſius quoque Grævii Notæ auctiores &c. Ultrajecti, apud R. a Zyll & D. Schouten, 1690. in 4.

✠)(o)(✠

ACTA ERUDITORUM

publicata Lipſiæ

Calendis Maji Anno M DC LXXXX.

JODOCI HACKMANNI STADENSIS J. U. D. Reip. Patriæ Præ-Conſ. Conſil. Provinc. & Archi-Dicaſterii in Ducatibus Bremenſi & Verdenſi Aſſeſſ. Tractatus de Jure Aggerum, von Teichen und Dämmen und deren Gerechtigkeit.

Stadæ, literis Caſp. Holvveinii, 1690, in 4. Plag. 70.

ILlud munimenti genus, quo aggeribus erectis adverſus impetuoſam marium fluminumque rabiem homines ſe ac ſua defendere coguntur, utut antiquum ſatis, imo antiquiſſimũ forte ſit, & per tot ſeculorum decurſum ingenioſæ architectonicæ adminiculis ad ſtuporẽ usque excultum; in orbe tamen Juridico quaſi novum quoddam inventum prodire videtur, quandoquidem nemo hactenus extitit, qui jura Aggerum ex profeſſo, ut loqui ſolemus, excuſſerit. Ea proinde ratione invitatum ſe profitetur clariſſimus *Hackmannus*, ut vacuam hancce ſpartam occuparet, quam & felici prorſus ſucceſſu ſplendide exornavit. Quod ſi vero alias volupe eſt, vaſtiſſimas Aggerum ſpectare moles, eorundemque modo latera metiri, modo ſtupendum admirari robur; ſane majorem multo delectationem capiet, quisquis juridico aut politiori literarum ſtudio tenetur, ubi chartaceum hocce Opus, mole ſua plurimis aliis, elegantia tamen & ſoliditate nulli inferius luſtrare ſuſceperit: usque adeo nihil in eo prætermiſſum, quod vel ad accuratam & penitiorem juris notitiam, vel ad reconditæ eruditionis amœnitatem, vel ad æquabilis ſtyli concinnitatem facere poſſit. Noſtro autem officio nos ſatisfeciſſe putamus, ubi ſingulorum capitum, quorum in univerſum XX

hoc libro continentur, momenta potiora paucis recenſuerimus. Priora capita, vid. 1. 2. & 3. præliminaria hujus materiæ exponunt atq; animũ Lectoris ſcite præparant. Et primum quidē terminus Aggeris per definitionem nominalem & realem more conſueto explanatur, collatis ſemper probatiſſimorũ Autorum ſuffragiis. Graphice poſtmodum repræſentantur ſingulæ ſpecies Aggerum, prout ſunt naturales vel artificiales, publici vel privati, majores vel minores, exteriores vel interiores, hyberni vel æſtivi, marini vel fluviales. Admiſcentur ſubinde nomina, quæ ſpeciebus iſtis Germanus aut Batavus impoſuit. Altius deinceps ad indagandum originem aggerum, antiquitatem & progreſſum, univerſalis hiſtoriæ receſſibus ſemet immittit Autor, & admodum probabili conjectura infert, ante diluvium nullos extitiſſe aggeres, ſed eos a Noæ poſteris demum fuiſſe erectos; mox preſſius ex Ægypto primos aggerum natales deducit, teſtimonio Syncelli nixus, quo aſſeritur, quod ſub Bocho Rege (Abrahamum 100 annis præcedente) hiatus ad Bubaſtin contigerit. Convenientiſſimis dehinc hiſtoricorum documentis demonſtratur, quo ordine, quave occaſione gentes ſibi invicem communicaverint Aggerum conſtruendorum uſum; prout a primis magiſtris Ægyptiis hocce munimenti genus receperint Tyrii ſeu Phœnices, ab his Græci, a Græcis Romani, & ab his Germani latiori ſub ambitu ita dicti, ut Belgas quoque includant. Qua ſub connexione ubi ad proximiora ſecula deſcendit Autor, quoad rei aggeralis exaſciatam peritiam, palmam Hollandis defert, jucundeque recenſet, quo anno Zelandia, Friſia, vicinæque regiones aggeribus muniri cœperint. His adeo præliminarium loco præmiſſis, ipſa Jura aggerum quoad ſingula cauſarum genera, liberiori conſpectui propius patent. Et generatim quidem in Cap. 4. de genuinis ac domeſticis hujus materiæ in Jure noſtro ſedibus disquiritur; quem in finem ſecundum librorum ac titulorum ſeriem producuntur *l. 14. ff. de impenſ. in res dot. fact. l. 1. §. 23. l. 2. §. 5. l. 23. §. 2. ff. de A. & A. pluv. arc. l. un. §. 6. & 7. ff. ne quid in flum. publ. l. un. ff. de rip. mun. l. 10. ff. de extraord. cogn. l. un. C de Nili agger. l. 2. C. de immunit. nem. conced.* quos textus ſigillatim explanat Autor, & collatis libris Baſilικῶν & Codice Theodoſiano nihil intactum relinquit, quod declaratione quadam indigere videatur. Specialius dehinc in Cap. 5. ag-

Digitized by Google

aggerum cauſa efficiens, tum remota, tum proxima excutitur; ubi primario quæſtio illa præjudicialis, quæ circa facultatem ac poteſtatem aggerum exſtruendorum vertitur, ſecundum principia Juris Naturæ, Gentium, Civilis Romani tum antiquioris, tum recentioris, in amœnam & diffuſam diſputationem deducitur, cui rotunda hæc concluſio ſub num. 100. colophonem addit. *Jus aggerandi qua tale, & in libera ſua ex Jure Naturali & Gentium promanante facultate conſideratum, tantum dominii eſt, & a dominio cujusvis procedit. At conſolidatum hac noſtra tempeſtate cum ſuprema aggerum cura, poteſtateque cogendi ad muniendum, tanquam Jus publicum in poteſtate, tutela, & ſuperioritate Principis eſt, Regaliumque numero habetur; ac ita quidem, ut ad Regalia non fiſci ſeu minora, ſed Majeſtatis ſive majora ſpectet, competatque territorii Domino vigore ſuperioritatis territorialis &c.* Hoc fundamento jacto, affinis quæſtio ex iisdem ferme concludendi mediis deciditur, quod conceſſo a Principe caſtro cum pertinentiis, imo cum omni jure ſibi competente, neutiquam tamen privato jus ſtatuendi circa aggeres conceſſum intelligatur; modo tamen veterum refectio non inſtet, aut non interveniat aggerum mere privatorum reſpectus, aut Principis conſenſus vel expreſſus, vel ex lapſu immemorialis temporis tuto præſumtus. Sub finem capitis, intuitu cauſæ miniſterialis, claſſes & nomina operariorum recenſentur, qui in conſtruendis aggeribus operam mercenariam locare ſoleant. Sic expoſita cauſa efficiente, juſto ordine materia aggerum in Cap. 6. exhibetur. Promptum hac in parte præſidium adverſus fluctus nobis pollicetur terra imprimis argilloſa ſive lutoſa & herbida; jactant pariter robur ſuum ſaxa & lapides, quibus tamen alga palmam præripit, ubi accolarum induſtria coacervata & ſpiſſata ſenſimq; in duritiem compacta conſederit. Notat hac occaſione Autor Horatium, quod in Oda 17. lib. 3. *algam* vocaverit *inutilem*, ſed mox ultro pro favore, quo in Flaccũ fertur, monet eodem ſenſu dictã algam inutilem, quo alibi *vilem* nuncuparat, in ordine ad illius ortum & *εὐπορίαν*. Curate poſtmodum adnotantur, quæ ob publicam utilitatem, circa terram aggeralem, contra rationem Juris recepta ſunt; quandoquidẽ materiæ hujus ex fundo proprio effodien-

dæ poteſtatem reſtrictam dominus ſubinde habet, & vicino econtra ſeu non-domino, certis requiſitis & circumſtantiis præſuppoſitis, laxior circa eandem poteſtas tribuitur, in tantum, ut ne ad juſti pretii ſolutionem proprietario teneatur. In Capite 7. quod de forma Aggerum agit, præmittitur ſummaria ſtructuræ aggeralis deſcriptio, cui annectuntur regulæ ſpeciales & cautelæ, quas obſervare par eſt circa aggerum 1) ſitum, 2) quantitatem, 3) qualitatem, 4) directionis ſymmetriam. Circa aggerum finem & effectum, quos ſimul Cap. 8. explanat, ardua occurrit quæſtio, an quis ad aquarum vim cohibendam, cum incommodo vicini ripas ſuas munire ſive aggeres exſtruere, vel etiam alveum curſumque fluminis mutare poſſit? Ut controverſiæ ſtatus ejusque pondus eo clarius pateat, demonſtratur prius, qua occaſione partes hoc in negotio invicem committantur; commemorantur & proceſſus, qui hac de re in Camera Imperiali eventu admodum notabili extiterunt; poſt ipſa tractatio quæſtionis in duo membra diſpeſcitur. Circa prius membrum, Aggerum erectionem cum damno vicini quod concernit, utriusque ſententiæ rationibus late deductis, invicemque collatis & ex parte denique deſtructis, affirmativam tuetur Autor, certis tamen conditionibus adjectis, ut omnis nocendi pruritus prorſus abſit, adſit vero par utrobique periculum, & quæ his ſimiles aliæ. Poſterius quæſtionis membrum, an quis pro ripa ſua munienda adverſus impetum aquarum alveum curſumq; fluminis mutare poſſit, contrariis votis deciditur, intercedente Juris antiqui & moderni diſcordia. Specialibus de cætero diſtinctionibus finis & effectus non immoramur: innuiſſe inſimul ſufficiat, duplex objectum Aggerum in cap. 9. conſtitui, unum externum ſeu offenſionis, mare & flumina; alterum internum ſeu defenſionis, terram depreſſiorem, quæ Marſica das Marſchland communiter appallari ſuevit. Cujus vocabuli originē dubiam, ut & terrarum Marſicarum ſpecies, prout in naturales, artificiales & mixtas abeunt, digreſſionis amœnæ materiam Autori ſuppeditaſſe, quivis etiam non monitus facili conjectura advertet. Properamus ad Cap. 10, quod impenſas ac onera Aggerum, & quæ circa ea ſuboriuntur negotia hoc ordine recenſet: 1) declarantur duæ oneris aggeralis qualitates, quatenus illud valde ſumtuoſum

& ſu-

Digitized by Google

& reale eſt, quod citra cujuscunque perſonæ intuitum propter rem ipſam præſtatur, & fundis inundationi expoſitis penitus cohæret. Luſtrantur 2) rerum poſſeſſores, qui, licet alias ratione dignitatis, fori, alteriusve conditionis nimium quantum a ſe invicem diſtent, & longe diſpari jure utantur, hiſce tamen oneribus propter periculi communionem humeros conjunctim ſubmittunt. Liquido idcirco ex Jure Juſtinianeo & recentiorum Aggeralium Conſtitutionum textibus probatur, quod prædia Principis, ut & bona Eccleſiæ & clericorum, nullam reſpectu onerum iſtorum immunitatem prætendere valeant, ſed ea pro rata cum aliis privatis ſubeant. Neque hic præciſe dominii ratio habetur, ut potius facilioris exactionis gratia quis ex ſola poſſeſſione, dum interim aut æquali aut magis pleno jure res ad alium pertinet, oneri aggerali protinus ſubjiciatur. In quantum vero hiſce in caſibus regreſſus concedatur emphyteutis, colonis, conductoribus, uſufructuariis, colonis partiariis, creditoribus in bona miſſis aut antichreticis adverſus dominos directos & proprietarios, ſpecialiores quæſtiones rite determinant. Seligitur 3) modus onerum iſtorum diſtributioni apprime conveniens, & ad normam æqualitatis undiquaque conformatus, quo in negotio cataſtra, eorumque reviſionem & correctionem egregiam facilitatem ſummamque utilitatem præſtare, non minus Conſtitutionum Aggeralium autoritate, quam experientiæ quotidianæ judicio fuſius probatur. Denique 4) Aggerum refectionem affabre deſcriptam deprehendimus, quæ ratione ſtatus vel quieti vel turbidi & calamitoſi in ordinariam & extraordinariam diſpeſcitur. Circa ordinariam diſtincte edocemur, Præfectorum decretum præcedere ſemper, & minime eam privatorum arbitrio ſubjacere; certiores dehinc reddimur de tempore refectionis, ubi vernum arridet; ſevera mox pœna ſe ſiſtit, quæ negligentes & refractarios aggeratores coercet; poſt collecta aggeralis ejusque impoſitio & exactio, ſecundum mores provinciarum marſicarum, examen ſubit, cui ſex cautelæ ſubjiciuntur, quas circa refectionem aggerum nemo niſi cum ſummo diſpendio ignorat, & quæ hujus generis momenta alia. Extraordinaria refectio quo periculoſiore tempore ſuſcipitur, inundatione videlicet aut inſtante aut jam ſuborta, eo majorem quoq; ſolertiam, celeriusque auxilium deſiderat; quas arduas operas fuſius

 apud

Digitized by Google

apud Autorem legere eſt. Sicuti vero totius hujus capitis negotia in facto præcipue conſiſtunt, ita ex Jure magis fundamentum arceſſunt, quæ in ſubſequentibus Cap. 11, 12. & 13. de Aggerum dominio vel proprietate & uſu, de jurisdictione, cura & luſtratione, & de eorundem ſervitutibus proponuntur. Circa dominium aggerum, quod tanquam Regale Principi jam ſupra addixerat Autor, diſſentit modeſte ab Ulrico Hubero, qui in Digreſſ. Juſtin. l. 4. c. 22. privatorum partes hoc in articulo defendere maluit. Arctiſſimo poſtea fœdere dominio jungitur jurisdictio, quæ jura licet circa unam rem diverſis ſubjectis alias competere poſſint, dum nihil commune invicem habent, reſpectu aggerum tamen Principi ſimul inhærent. Fundata eo modo aggerum Jurisdictione exercitium ejus declaratur, dum Princeps vel ipſam jurisdictionem aggeralem per concesſionē ſive expreſſam ſive tacitam & ex lapſu temporis immemorialis elicitam, Magiſtratibus poteſtate jam munitis ſubordinate communicat; vel proprio nomine eandem per certos miniſtros adminiſtrat. Recenſentur hac occaſione Aggeralium Magiſtratuum ordines, & ſimul quædã jucunde advertuntur circa eorundem habilitatem, poteſtatem, ſalaria, functiones, quas inter haud poſtrema luſtratio & viſitatio aggerum. Circa ſervitutes aggerum ſpurias ſpecies primum excludit Autor, & duas tantum ceu legitimas ſervat, atque collatis textibus Juris Romani ſolide declarat; quarum prior hanc conditionem infert, ut quis naturales & vetuſtos aquarum decurſus aggeribus impedire prohibeatur; poſterior diſpari plane forma gaudet, dum fundi ſuperioris dominum obſtringit, ut recipiat aggeres vel foveas in ſuo, quæ aquam retineant, ne in fundum inferiorem deſcendat. Cap. 14. adjuncta & pertinentias Aggerum ſiſtit, quæ illis aut fronte præſidium inſigne præbent, ut promuralia munimenta, quibus acroteria, promontoria, pilæ, moles in mare vel flumen projectæ nominetenus æquipollere cenſentur; aut tergum eorundem, ne aquæ paluſtris pluviæque inſidiis pateat, ſecurum ac tutum reddunt, ut canales magni & alia aquarum repagula, quæ clauſtra, emiſſaria, ſepta, incilia, commata, diacopi ſenſu non adeo diſpari nuncupantur. Et quamvis hæc poſteriora munimenta, eo quod omnibus aggeribus jungi ſoleant, communia dici mereantur, & ſingularia magis priora, dum rarius & non niſi ob continuum unda-

Digitized by Google

undarum æſtum aliquibus in locis extolluntur; interim tamen id commune invicem habent, quod eodem cum ipſis aggeribus jure cenſeantur. Cap. 15. & 16. leges Aggerum & privilegia extantiora recenſent. Et fundamenti quidem loco juſte præmittuntur, quæ alias circa legũ autoritatem ex poteſtate Principis aut Superiorũ quorumvis dependentem obſervare fas eſt: modernum dehinc Aggeralis juris nomen, quo Jus Spadelandicum audit, ubi breviter tactum, ſubjiciuntur illico Juris Aggeralis ſpecies, quibus non modo Romani Juris antiquitas, ſed & recentioris Jurisprudentiæ ubertas ſummam dignitatem conciliare videtur, quandoquidem ſingulæ ferme provinciæ Marſicæ ſpecialibus de re aggerali conſtitutionibus gaudent. Laudantur hunc in finem conſtitutiones aggerales, quibus Codex Belgicus abundat, laudantur conſtitutiones aggerales atque clauſtrales Rhenolandiæ, Delflandiæ, atque Schielandiæ, & quæ alia hujus argumenti placita longe plura Friſia orientalis, Holſatia cæteræque provinciæ ſeorſim ſervant. Ex tam vaſto juris promtuario leges nonnullæ notatu admodum dignæ exhibentur, quæ ſcilicet anterioribus capitibus haud adeo commode inſeri potuerunt. Inter privilegia aggerum illa potiſſimum eminent, queis 1) ſecuritas Aggeralis, der Teich-Friede/ ſub metu atrocioris pœnæ in temeratores ſtatutæ aſſeritur; 2) creditum aggerale tacita hypotheca cum jure prælationis inſtruitur; & 3) inſtrumenta aggerum reparationi inſervientia a nexu judicialis pignoris certo modo liberantur. Poſt leges & privilegia aggerũ, congrua ſub connexione de Judicio aggerali & aliis momentis practicis in Cap. 17. disquiritur. Submittuntur vero huic Judicio non tantum lites, actiones ac prætenſiones, quæcunque reſultant ex capite aggerum, clauſtrorum ac foſſarum, nec non viarum publicarum & pontium (quæ ea ſub conditione, ut affinia aggerum in Cap. 19. declarantur plenius) ſed ex moribus nonnullorum locorum cauſæ controverſorum finium, ſervitutum prædialium, decimarum, paſtus, & pauperiei, canonis colonarii, penſionum, mercedis ac denique menſurarum, ulnarum & ponderum ad idem forum ſimul ſpectant; cujus rei haud aliam rationem reddere ſuſtinet Autor, quam uſu ita invaluiſſe. Civilibus hiſce cauſis, ut & aliis negotiis ſubjicitur in Cap. 18. aggerale crimen, quod ruptor aggerum malitioſus committit. De cujus delicti atrocitate &

pœna

pœna, utrum videlicet vivicomburiũ, de Jure Juſtinianeo in ruptores aggerum Nili ſtatutum, ex identitate rationis ad quosvis malitioſos aggerum ruptores extendi poſſit, fuſe & diſtincte diſſeritur. Colophonem denique Tractatui addunt, quæ in Cap. 20. de contrariis & deſtructivis aggerum cauſis habentur. Funeſtum hic robur exercent inundationes & diluvia, utut non eodem ſemper impetu; aliquando enim ſaltim rumpunt aggeres & perfringunt, ſalvo manente illorum pede, quandoque vero plane diruunt & ſumma imis miſcent, terrasque late patentes impune occupant, ſic tamen, ut poſſeſſoribus dominium earum non protinus auferatur, niſi forte conſtans ac per 10 annos continuatus undarum furor concurrat. Quam horrendã cladem ubi tragice deſcripſit Autor, mutat ſubito ſcenam, & terras ſqualida in hac inundatione preſſas poſtliminio quaſi redotes ſiſtit, dum in reſtitutione & exſiccatione aggerum iſtorum, pio inſuper voto addito, pulcherrime deſinit.

IL NUOVO TESORO DEGL' ARCANI FARmacologici, Galenici, & Chimici ò Spagirici,

id eſt,

Novus Theſaurus Arcanorum Pharmaceuticorum, Galenicorum & Chymicorum ſive Spagyricorum, Autore F. Felice Paſſera, Bergomenſi, Religioſo Capuccino.

Venetiis, apud Johannem Paré, 1688, & 1689. in fol.

Conſtat plagulis 204.

CUm Autor noſter ſerio ſecum reputaret, obſervationes & regulas medicas, una cum variis nobiliſſimis arcanis ſive medicamentis, non alia de cauſa oblivioni demum tradi, quam quod diverſis libris, tam impreſſis, quam manuſcriptis, ſparſim comprehendantur; ardore publicum æque commodum atque privatum adjuvandi incenſus, poſtquam ultra quinquaginta annos medicinam exercuiſſet, omnia hic colligere, deque ſuo nonnulla addere in Theſauro præſenti, *tribus* e *Libris* compoſito, ſuſtinuit. *Libro primo*, qui cum ſecundo Sereniſſimo Reipublicæ

Venetæ

Venetæ Principi conſecratus primum prodiit, *Obſervationes octoginta duæ* coacervantur, non modo Remedia ſimplicia, quoad horum cognitionem Medico & Pharmacopœo neceſſariam, tempus ac modum colligendi, ſignaturas, facultates, præparationem & conſervationem, uſum, formulas, doſin atque pondus; ſed & ſtellarum influxum, principia Chymica, inſtrumenta pharmaceutica, characteres & nomina obſcura Medicis uſitata, hominis ipſius generationem, ſtaturam, temperamentum, phyſiognomiam, annos climactericos, dies criticos, ſanguinis denique miſſionem reſpicientes, ac veterum veſtigiis tantum non ubique inſiſtentes. *Altero* autem *libro* in Ignem, Aerem, Rorem, Aquam ſimplicem, Aquas minerales in Germania potiſſimum & Italia famoſiores, Terras medicinales, Gemmas, Metalla, Marina, Radices, Ligna, Cortices, Folia, Flores, Fructus, Semina, Succos, Liquores, Gummata & Reſinas, nec non Animalia uſualia, inquiritur, quæque ſingulorum præparationes, tum Galenicæ, tum Chymicæ preſtent, Sectionibus *viginti* edocetur. Tandem *libro tertio*, ultimum edito ac Sereniſſimæ Caſtilionis Principi Lauræ Picæ inſcripto, omnis generis medicamina præparata indigitantur, v. g. Aquæ deſtillatæ, Decocta, Infuſa, Extracta, Tincturæ, Rob, Emulſiones, Gargariſmata, Apophlegmatiſmi, Errhina, Dentifricia, Vomitoria, Vina ſimplicia & compoſita, Aceta, Oxymella, Melicrata, Julepi, Syrupi, Electuaria, Opiata, Pilulæ, Trochiſci, Pulveres. Rotulæ, Conſervæ, Magiſteria, Salia, Suppoſitoria, Noduli, Balnea, Fomenta, Epithemata, Emplaſtra, Olea, Linimenta, &c. & quomodo cuncta rite præparari debeant, quibusque virtutibus gaudeant, exemplis innumeris oſtenditur; in fine quoque, quem *Sectio ſexageſima tertia* imponit, variis proceſſibus curioſis miſcellaneis, e. g. Ceram Hiſpanicam, Luta diverſa, Atramenta, Vernicem &c. conficiendi, adjectis. Cæterum ut, quæ ſinguli libri complectuntur, promte pateſcant, quinque ſubnectuntur Indices, quorum tres priores ad librum primum & ſecundum, duo poſteriores vero ad librum tertium ſpectant, & in genere, & in ſpecie, Obſervationum ac Sectionum contenta declarantes.

J. B. ANALYSIS PROBLEMATIS ANTEHAC PROPOSITI, de inventione lineæ deſcenſus a corpore gravi percurrendæ uniformiter, ſic ut temporibus æqualibus æquales altitudines emetiatur: & alterius cujusdam Problematis Propoſitio.

 Solu-

SOlutionem Problematis nudam dedit Ill. Hugenius in Nov. Rote-rod. Hanc poſtea excepit in Act. Lipſ. A. 1689. p. 195. ſqq. celeb. Auctoris Demonſtratio Synthetica. Analyſin, quam ſuppreſſit uterq;, ipſius Auctoris calculo differentiali inſtitutam nunc pando, eum in finem, ut Virum Cel. ad par officii genus publico præſtandum, tentandamque ſua Methodo Problematis deinceps proponendi ſolutionem invitem.

TAB. VII. *Fig.* 1. Intelligatur grave demiſſum ab A per curvam quæſitam BFG, in qua ſumtæ ſint particulæ infinite parvæ, adeoque pro rectis habendæ DG, FH, altitudinum æqualium GI, HL, eæque producantur in M, N, ut fiant Tangentes GM, HN, ipſique HN parallela ducatur GP. Celeritates gravis acquiſitæ in G & H eædem ſunt, cum iis quas acquireret deſcendendo perpendiculariter ab eadem linea horizontali AC, per rectas CG, EH, quæ quidem ſunt Quadrata ipſarum celeritatum, ut notum. Quibus poſitis,
CG. EH :: Quad. Celerit. in G. Quad. Cel. in H :: DGq. FHq :: DGq. GIq + GIq (HLq). FHq :: GMq. GCq + HEq. HNq :: GMq. GCq + GCq. GPq :: GMq. GPq. Unde Problema ad puram Geometriam reductum huc redit: Datis poſitione recta AC & puncto A invenire curvam BHG, talem ut applicata CG ad applicatam EH rationem habeat duplicatã ejus, quam habet tangens GM ad rectam GP parallelam tangenti HN. Patet autem, rectam AC, ad quam applicantur CG, EH, non poſſe eſſe axem curvæ, nec A verticem; cum alias applicata ad punctum A evaneſceret, ac proinde applicatarum ratio fieret infinite magna, ejusdem ſubduplicata manente finita.


q. e. a.	HL. HF :: GC. GP	a. y :: bbdyq. aadxq + aadyq,
Anal. CG = a	$dy.\sqrt{dxq+dyq} :: a.a\sqrt{\frac{dxq+dyq}{dxq}}$	$bbydyq = a^3 dxq + a^3 dyq$,
GM = b	CG. EH :: GMq. GPq	$bbydyq - a^3dyq = a^3dxq$,
AE = x	$a . y :: bb . \frac{aadxq+aadyq}{dyq}$	$dy\sqrt{bby-a^3} = dx\sqrt{a^3}$
EH = y		


Ergo & horum Integralia æquantur, np. $\frac{2bby-2a^3}{3bb}\sqrt{bby-a^3} = x\sqrt{a^3}$; poſitoque $y-\frac{a^3}{bb}=Z$, habetur $\frac{2}{3}Z\sqrt{bbz} = x\sqrt{a^3}$ | $\frac{4}{9}bbz^3 =$

a^3xx

TAB. V

Fig. 2.





Digitized by Google

$a^3xx \mid z3 = \frac{9a^3xx}{4bb}$: quare demiſſa ex A perpendiculari AB $= \frac{a^3}{bb}$, ductaque BR parallela ipſi AC, ſi vertice B, axe BR & latere recto $\frac{9a^3}{4bb}$ ſeu $\frac{9}{4}$ AB, deſcribatur Curva Paraboloidica BHG ejus naturæ, ut ſolidum ex latere recto in Quadratum abſciſſæ æquetur cubo applicatæ, habetur quæſitum. Porro quia per curvam BHG deſcendens grave temporibus æqualibus æquales altitudines percurrit, tantundem eſt quoad deſcenſus altitudinem, ac ſi celeritate in B acquiſita deinceps uniformiter deſcenderet per BS; quo caſu conſtat, eodem tempore duplo plus ſpatii confici, quam conficitur motu a quiete æqualiter accelerato; adeoque ſi BS dupla ſumatur ipſius AB, fore tempus deſcenſus per BH poſt AB = tempori per AB.

Problema viciſſim proponendum hoc eſto:

Invenire, quam curvam referat funis laxus & inter duo puncta fixa libere ſuſpenſus. Sumo autem, funem eſſe lineam in omnibus ſuis partibus facillime flexilem.

J. B. QUÆSTIONES NONNULLÆ DE USURIS, cum ſolutione Problematis de Sorte Alearum, propoſiti in Ephem. Gall. A. 1685, artic. 25.

FRequens mos obtinet, ut qui alteri pecuniæ ſummam debet, & parato ære inſtructus non eſt, cum Creditore ſuo ita paciſcatur, ut quod ſimul ac ſemel ſolvere nequit, hoc ſucceſſive & per partes ſolvere, ac interim dilationis nomine legitimam uſuram Creditori præſtare teneatur, ita quidem ut quod quavis vice ultra debitam uſuram ſolvit, hoc in partem ſolutæ ſortis venire cenſendum ſit. Accidit autem poſt aliquod tempus, ut perſoluta jam maxima parte debiti, alter ab altero debitæ & acceptæ pecuniæ rationes poſcat, quas aliter format Creditor, aliter Debitor. Creditor hunc in modum:

Sors debita initio temporis *b* - - - - - - - - - - *a*

 Hinc

Hinc uſura per tempus b, (poſito ſortem m tempore n parere uſuram p) - - - - - - - - - - - - $\frac{abp}{mn}$

Summa - - $a + \frac{abp}{mn}$

Exacto tempore b ſolvit Debitor - - - - - $f + \frac{abp}{mn}$

Reſiduum ſortis initio temporis c - - - - - $a - f$

Hinc uſura per tempus c - - - - - - - $\frac{acp - fcp}{mn}$

Summa - - - $a - f + \frac{acp - fcp}{mn}$

Elapſo tempore c ſolvit Debitor - - - - - $g + \frac{acp - fcp}{mn}$

Reſiduum ſortis initio initio temporis d, $a - f - g$

Hinc uſura per tempus d - - - - $\frac{adp - fdp - gdp}{mn}$

Summa $a - f - g + \frac{adp - fdp - gdp}{mn}$

Finito tempore d ſolvit Debitor - - $h + \frac{adp - fdp - gdp}{mn}$

Reſiduum debiti ſub finem temporis d, in die præſenti rationum - - - $a - f - g - h$.

Debitor rationes ſuas ſic diſponit:

Tabula Debiti:

Sors debita - - - - - - - - - a

Hinc uſura per tempus $b + c + d$, $\frac{abp + acp + adp}{mn}$

Summa debiti ad diem rationum - - $a + \frac{abp + acp + adp}{mn}$

Ab

Ab hac ſi ſubtrahatur ſumma ſoluti, remanet pro reſiduo debiti in diem præſentem $a-f-g-b-\frac{abcpp-abdpp-acdpp+fcdpp}{mmnn}$

Tabula Soluti:

Exacto tempore b ſolvi Creditori - - - - - - $f+\frac{abp}{mn}$

Hinc uſura per tempus $c+d$ ad diem usque rationum - - $\frac{fcp+fdp}{mn}+\frac{abcpp+abdpp}{mmnn}$

Finito tempore c ſolvi iterum - - - - $g+\frac{acp-fcp}{mn}$

Hinc uſura per tempus d ad diem præſentem, $\frac{gdp}{mn}+\frac{acdpp-fcdpp}{mmnn}$

Hoc ipſo die rationum ſolvo denuo - - $b+\frac{adp-fdp-gdp}{mn}$

Summa ſoluti

$$f+g+b+\frac{abp+acp+adp}{mn}+\frac{abcpp+abdpp+acdpp-fcdpp}{mmnn}$$

Hoc reſiduum cum a creditoris reſiduo $a-f-g-b$ differat, illoq; minus ſit tota quantitate $\frac{abcpp+abdpp+acdpp-fcdpp}{mmnn}$, quæritur uter recte?

Reſpondetur facile: Creditoris rationes probas & genuinas, Debitoris vero erroneas eſſe, & in eo fallere, quod totum hoc quod quavis vice ſolvit, in ſortem computet: cum ab illo prius detrahendum fuiſſet, quod ad eum usque diem uſuræ nomine deberet. Hinc fit, ut quantitas illa $\frac{abcpp+abdpp+acdpp-fcdpp}{mmnn}$, qua ambæ rationes differunt, præciſe exprimat uſuram, quam uſura creditori perſoluta, ut ſors ſpectata, a die ſolutionis ad diem usque rationum parere poſſet, adeoque dum hanc ſibi remitti vult Debi-

 tor

Digitized by Google

tor, uſuræ uſuram poſcere cenſendus eſt, quod regulariter in legibus prohibitum eſſe conſtat. Sed levia hæc ſunt, nec monuiſſem, niſi viderem, ejusmodi ſupputandi modum, qui in fraudem Creditorum vergit, Mercatoribus ob commodiorem calculum admodum ſolemnem eſſe.

Alterius naturæ hoc Problema eſt: Quæritur, ſi Creditor aliquis pecuniæ ſummã fœnori exponat, ea lege, ut ſingulis momentis pars proportionalis uſuræ annuæ ſorti annumeretur, quantũ ipſi finito anno debeatur? Reſp. ſi ſors vocetur a, uſura annua b, Creditori elapſo anno debebitur, $a + b + \frac{bb}{2a} + \frac{b^3}{2 in 3 aa} + \frac{b^4}{2 in 3 in 4 a^3} + \frac{b^5}{2 in 3 in 4 in 5 a^4}$ &c. in infinitũ: quæ ſumma major eſt, quam $a + b + \frac{bb}{2a}$, ut patet; ſed minor quam $a + b + \frac{bb}{2a - b}$, quoniam $\frac{bb}{2a - b}$ eſt ſumma progreſſionis Geometricæ $\frac{bb}{2a} + \frac{b^3}{2 in 2 aa} + \frac{b^4}{2 in 2 in 2 a^3}$ &c. quæ noſtra ſerie $\frac{bb}{2a} + \frac{b^3}{2 in 3 aa} + \frac{b^4}{2 in 3 in 4 a^3}$ &c. major eſt. Idcirco ſi uſura ſit ſubvigecupla ſortis, ſeu $a = 20$, & $b = 1$, debebitur poſt annum plus quam $21\frac{1}{40}$, & minus quam $21\frac{1}{39}$: ſi $a = b$, debebitur plusquam $2\frac{1}{2}a$, & minus quam $3a$. Obſervo etiam, præſentem ſeriem in re Geometrica ſuum uſum habere: nam ſi ad axem curvæ Logarithmicæ duæ rectæ applicentur, quarum minor dicatur a, ſitque portio axis inter utramq; applicatam ad portionem ejusdem inter applicatam quamcunque & reſpectivam tangentem in conſtanti ratione b ad a: exprimetur major applicatarum per eandem hanc ſeriem $a + b + \frac{bb}{2a} + \frac{b^3}{2 in 3 aa}$ &c.

Porro ſeriei hujus infinitæ occaſione recordor Problematis illius de ſorte Aleatorum, quod in Ephem. Gall. A. 1685 artic. 25 propoſui hunc in modum: Duo Aleatores A & B ludunt una teſſera, ea conditione, ut qui primus aſſignatum in illa punctorum numerum jecerit, vincat: A primo inſtituit unum jactum, & B unum, dein

dein A duos jactus conſequenter, & B duos: hinc A tres, & B tres &c. Vel, A inſtituit unum jactum, dein B duos, hinc A tres, poſtea B quatuor &c. quousque alteruter eorum vincat. Quæritur ratio ſortium? Hoc Problema cum fruſtra hactenus expectarit ſolutionem, eandem per ſeries infinitas ſic exhibeo: ſors Colluſoris A ad ſortem Colluſoris B in priori caſu ſe habet, ut $1 + \boxed{2}\,\frac{5}{6} + \boxed{6}\,\frac{5}{6} + \boxed{12}\,\frac{5}{6} + \boxed{20}\,\frac{5}{6}$ &c. $- \frac{5}{6} - \boxed{4}\,\frac{5}{6} - \boxed{9}\,\frac{5}{6} - \boxed{16}\,\frac{5}{6}$ &c: in poſteriori, ut, $1 + \boxed{3}\,\frac{5}{6} + \boxed{10}\,\frac{5}{6} + \boxed{21}\,\frac{5}{6} + \boxed{36}\,\frac{5}{6}$ &. $- \frac{5}{6} - \boxed{6}\,\frac{5}{6} - \boxed{15}\,\frac{5}{6} - \boxed{28}\,\frac{5}{6}$ &c. ad unitatis complementum. Harum ſerierũ termini repræſentant totidem poteſtates fractionis $\frac{5}{6}$, quarum indices creſcunt differentiis ſervantibus inter ſe progreſſionem Arithmeticam, cujus communis exceſſus ibi eſt binarius, hic quaternarius.

EXAMEN SIPHONIS VVURTEMBURGICI IN vertice effluentis.

Excerpta ex literis Dn. Dion. Papin. ad – – – –

Siphonem in vertice effluere Naturæ ita repugnare hactenus viſum, Tab.VII. eſt, ut non ſolum clariſſimus Dnus Hallejus & Papinius, ab Ex- *Fig. 2.* cellentiſſimo Dno Reiſelio laudati in tractatu de Siphone Wurtemburgico Studgardiæ nuper edito, ſed & totus Illuſtr. Regiæ Societatis Londinenſis conſeſſus, in quo Domini Reiſelii litteræ perlectæ ſunt, tentamen de effluxu Siphonis in vertice prorſus irritum fore judicaverint: ac ſane, quum ea ſit natura Siphonis, ut nullus in eo fiat fluxus niſi in eam partem ubi aqua propter majus perpendiculum præponderat, ſi in vertice aperiatur foramen aliquod cui valde exiguum incumbet aquæ perpendiculum, facile vincetur illud ab aqua in tota crurum altitudine: fiet igitur effluxus per foramina inferiora, dum per foramen in vertice facilis patebit aeri ingreſſus: atque ita aquæ per hoc foramen effluxus minime expectandus videtur. Nihilominus tamen, Sereniſſimi Ducis Wurtembergici auſpiciis ingenioſiſſimam methodum invenit & experientia demonſtravit clariſſimus Reiſelius, qua mediante, ſaltem repetitis vicibus, multa aqua ex vertice Siphonis poteſt obtineri, etiam ſine ſoliti fluxus interruptione: ſic:

Sipho

Sipho ABC in vertice ad D perforandus eſt, foraminique applicandus globus vitreus E, epiſtomio F & duabus cochleis G & H inſtructus; tum reſerato epiſtomio, aquæ per Siphonem transfluentis pars aliqua globum E ingreditur: aer autem inde egreſſus transfluentis aquæ impetu abripitur & per foramen A expellitur: clauſo deinde epiſtomio, aperiuntur cochleæ G & H, atque ita aqua per foramen H defluens in aliquo vaſe amplo excipitur, donec per repetitas operationes ſufficiens colligatur quantitas. Sic igitur obtineri poteſt effectus ille hactenus inſperatus, modo legitimæ ſerventur dimenſiones in capacitate globi, diametro Siphonis & altitudine crurum: ſufficiensque habeatur aquæ quantitas per Siphonem transmittenda. Quoniam vero de proportionibus illis, propter experimentorum defectum, nihil ſubjunxit clariſſimus Autor, me autem invitat, ut tam inſperato ſucceſſui ulterius promovendo incumbam: ſequens dictæ machinæ examen publicandum cenſui, quo poſſint Lectores, quacunque occaſione data, dijudicare facilius, quid facere expediat.

Suppono igitur Siphonem ABC perpendiculariter erectum, cujus diameter ſit unius digiti, altitudo cruris AB 29 pedum; altitudo vero cruris CB 16 pedum ſupra ſuperficiem aquæ cui immergitur: ſit præterea foramen in D cui exacte inſeratur epiſtomium globi E, cujus globi ea ſit capacitas, ut $2\frac{1}{2}$ libras aquæ contineat: his poſitis: 1°. notandum, quod exceſſus perpendiculi A B ſupra perpendiculum CB eſt 13 pedum: unde ſequitur quod ille exceſſus continet circiter 5 libras aquæ, juxta experimenta a Domino Mariotto edita in ſuo tractatu de motu aquarum. 2° notandum, quod aer in globo E contentus, ſi in ſummitatem Siphonis emergat, tantam ibi rarefactionem patiatur, ut duplum ſpatii ſui occupet: ac proinde locum 5 librarum aquæ, ſive longitudinem 13 pedum in tubo repleat: quia ſcilicet altitudo 16 pedum aquæ in tubo CB, reſiſtit preſſioni atmoſphæræ, cujus tota vis 32 circiter aquæ pedes æquiponderat: non poterit igitur atmoſphæra exerere vim niſi 16 pedum in aerem verſus B incluſum, qui proinde ſupradictam extenſionem patietur (juxta experimenta ab illuſtri Domino Boyleo aliisque multis edita.) Conſtat igitur, quod aer globi E ſufficiet ad replendum totum exceſſum cruris AB ſupra crus CB,

Supponamus jam quod transfluente aqua per Siphonem reſeratur

feratur epiſtomium F, cujus orificium ſit ita amplum, ut aqua per illud ingredi & aer egredi poſſint ſimul & eodem tempore: ſequitur quod globus E $2\frac{1}{2}$ aquæ libras brevi excipiet; aer vero ex globo in ſuperiorem Siphonis partem emergens totum exceſſum cruris AB ſupra crus CB replebit: fieret igitur in Siphone æquilibrium, & transfluxus interrumperetur, niſi aqua, propter impetum jam conceptum, per foramen A effluere pergeret, aerem ſecum abriperet & ex tubo expelleret: at certiſſimum eſt aerem ſic poſſe ex tubis expelli, modo non ſint nimis lati: repleto igitur globo E poterit aqua, juxta methodum ſuperius traditam extrahi; ſicque intentum habebimus. Si vero capacior foret globus E, nimiam aeris quantitatem in ſummitatem Siphonis emitteret: præponderaret enim aqua in crure CB, atque ita fluxus ſiſteretur: patet ergo, quod ſingulis operationibus non niſi $2\frac{1}{2}$ aquæ libras obtinebimus. Videndum jam, quanta aquæ copia per Siphonem hic deſcriptum interim transfluxura ſit.

Ex experimentis a Domino Mariotto libro ſupra citato editis patet, quod per foramen ejus amplitudinis, quam Siphoni aſcripſimus, ubi altitudo aquæ incumbentis eſt 13 pedum, erumpunt ſingulis minutis 448 libræ aquæ: quoniam vero aqua hic non exit per foramen in fundo ampli receptaculi 13 pedes alti, (ſicut in clariſſimi Mariotti experimentis) ſed per tubum uniformem: poteſt demonſtrari, quod quantitas aquæ egreſſura dimidia erit ejus quam ſupra diximus: deſcendent igitur ſingulis minutis 224 libræ aquæ ex altitudine 13 pedũ. Quum autem ad ſingulas operationes recludendum ſit epiſtomium F, globus E aqua replendus, claudendum iterum epiſtomium, tum cochleæ G. H. aperiendæ, globus E evacuandus, ac poſtremo cochleæ iterum claudendæ: vix poſſunt omnia illa intra unum temporis minutum perfici: ac proinde vix poterunt $2\frac{1}{2}$ libræ aquæ ad altitudinem 15 circiter pedum evehi, quin 224 libræ aquæ ex altitudine 13 pedum deſcendant, atque ita pondus delapſum ferme centuplum erit ponderis elevati, in machina qualem deſcripſimus. Vix autem meliorem ſucceſſum ſperandũ eſſe arbitror: nullam enim partium Machinæ alterationem fieri poſſe video, quæ, ſi ab una parte boni aliquid apportet, ab altera parte aliquod incommodum neceſſario non invehat.

Supponamus ex. gr. foramen verticelli F non eſſe tantæ amplitudinis, ut aqua per illud ingredi poſſit eodem tempore, quo aer egre-

Ff ditur

ditur (quod quidem in Domini Reiſelii experimentis videtur contigiſſe, quum iterato impetu & per intervalla aqua in globum irrueret) poterit quidem globus E majoris fieri capacitatis, ac proinde plus aquæ ſingulis operationibus obtineri: attamen non poterit eo usq; augeri, ut 5 libras aquæ capiat: dum enim aperietur epiſtomium, ut aquæ in globum ingreſſus pateat, aer ibi incluſus non ſolum in duplũ ſpatium ſtatim ſe extendet, ut ſupra dictum eſt, verum etiam ulterius dilatabitur: atque ita, ſi globus ſit capax 5 librarum aquæ, aer inde emergens occupabit in Siphone longitudinem plusquam 13 pedum, ſiſtetque proinde ipſius fluxum. Ratio autem, cur tanta aeris quantitas erumperet, hæc eſt: quod nimirum corpora elaſtica tenſa, dum ſeſe reſtituunt, non ſtatim ſubſiſtunt in ipſo puncto quietis, ſed impetu jam concepto ulterius pergunt, nec niſi poſt aliquot vibrationes ad quietem reducuntur. Idem igitur aeri in vaſe E deberet etiam contingere: & quanquam dictus aer in vertice Siphonis ad duplum ſpatii ſui extenſus habeat vim elaſticam vi comprimenti æqualem, atque ita videatur debere ibi quieſcere, non tamen quieſcet, ſed ulterius dilatabitur, prout aſſerueram; ſicque globus E non debet fieri 5 librarum aquæ capax: reliqua autem operatio ſic procedet. Aer plus juſto dilatatus debebit viciſſim in ſpatiũ juſto anguſtius aere premente redigi: ſicque aliqua aqua in globum E irrumpet, atque vibrationibus ſic iteratis aliqua quantitas aquæ in globo colligetur, donec motus ille tremulus conquieſcat: & tunc etiamſi globus non ſit aqua repletus, nullam tamen amplius admittet, propter æquilibrium inter preſſionem internam & externam: recurrendum igitur erit ad remedium a Domino Reiſelio præſcriptum: claudendo nimirum orificium cruris inferioris, ut aqua liberum illac exitum non amplius inveniens verſus ſuperiora reflectatur, vimque ſuam in orificium epiſtomii exerens globum ingrediatur: ſicque per iteratas, ut ita dicam, ſuccuſſiones poſſit totus globus aqua repleri. Omnibus his effectibus ſic per cauſas rite cognitis, cuivis facile patebit, amplum epiſtomii orificium, quale primo ſuppoſueram, anguſtiori eſſe anteponendum: etiamſi enim, dum foramen anguſtum eſt, capacitas globi E eo usq; augeri poſſet, ut 5 propemodum aquæ libras ſingulis vicibus ſuppeditaret; non tamen majorem aquæ copiam, dato tempore, obtineremus: propter longam moram in replendo globo, dum illum

aqua

Digitized by Google

aqua non niſi per anguſtum foramen & fluxu interrupto ſubintraret: præterea vero maximũ ſemper eſſet periculũ, ne ſecunda aeris ex globo eruptio fieret, antequã aer in crure AB primo collectus ex Siphone expulſus eſſet: ſic enim fieret, ut, propter nimiam aeris in Siphone quantitatem, ipſius fluxus prorſus ſiſteretur: ne quid dicam de difficultate in orificio inferiore per intervalla claudendo & aperiendo: hæc igitur in orificio epiſtomii alteratio plus damni profecto afferret, quam commodi.

Supponamus jam, alterationem fieri in amplitudine Siphonis: diametrum tubi ex. gr. fieri minorem: tunc equidem minor aquæ copia deſcenſura eſſet: verum minuendus itidem foret globus E: ac proinde tanto minor aquæ quantitas ſingulis vicibus obtineretur: ſi vero tubi diameter augeretur, poſſet equidem augeri globus E, & major aquæ quantitas evehi: verum augeretur itidem aquæ deſcenſuræ copia.

Supponamus nunc, mutationem fieri in altitudine crurum: augeri ex. gr. perpendiculum CB: ſic equidem aqua ad majorem altitudinem eveheretur; verum aer ex globo E erumpens tanto majorem rarefactionem in vertice Siphonis pateretur: ac proinde minuenda foret capacitas globi EC, minorque aquæ quantitas ſingulis operationibus poſſet ad uſus obtineri.

Supponamus etiam augeri altitudinem CA, ut major fiat exceſſus cruris AB ſupra crus CB: tunc equidem poſſet fieri major globus E, majorque aquæ quantitas in vertice effluere; verum aqua per inferius orificium defluens ad majorem profunditatem deſcenderet, atque ita major potentia motrix deperderetur.

Prolixitatis vitandæ gratia reliquas omittam alterationes, quæ plures adhuc induci poſſunt, ſed omnes itidem fruſtraneæ: unicumque hic ſubjungam experimentum, quod olim Illuſt. Soc. Reg. exhibui, unde patebit valde etiam metuendum eſſe, ne interrumpatur fluxus Siphonis, ſi globus E tantæ fiat capacitatis, qualem primo ſuppoſuimus. Experimentum tale eſt: Siphonem Wurtemburgicum ex tubis vitreis paravi, cruribus altis circiter pedes 11: optatum effectum, fluendo & refluendo, feliciſſime præſtitit; verum bullas aereas oſtendi in ſuperiori Siphonis parte ex aqua emergentes: quia preſſio atmoſphæræ ibi imminuta, propter perpendiculum aquæ in

cruribus contentæ, permittebat, ut particulæ aereæ in poris aquæ latitantes ſeſe expanderent, dictasque bullas efformarent: & quo major eſt altitudo crurum, eo citius & copioſius ejusmodi bullæ producuntur: ac proinde, in altitudine 16 pedum, dictæ bullæ procul dubio nonnihil conferrent ad quantitatem aeris in vertice Siphonis augendam, & ſiſtendum fluxum: unde fiet forſan, ut minor globo E indulgenda ſit capacitas.

Videtur ergo effluxus aquæ in vertice Siphonis non aliter procurari poſſe, quam per deſcenſum quantitatis aquæ, quæ ſit circiter centupla ejus quæ aſcendit: etſi altitudo aſcenſus non ſit multo major altitudine ex qua deſcendens aqua delabitur. Certisſimum eſt autem, quod in plurimis caſibus vis aquæ illius ex tanta altitudine deſcendentis longe majorem, per alia mechanemata, effectum produceret: nihilominus tamen, quum magna ſit rerum varietas, nonnulli etiam caſus dari poſſunt, in quibus hujusmodi Sipho utiliter adhiberetur: gratiæque Excell. Viro habendæ, qui primus inſperatum in vertice Siphonis effluxum & tentare auſus eſt, & experientia demonſtrare potuit. Ego vero Lectori, cui tales utendi Siphonis occaſiones offerentur, utrum opportunæ ſint, dijudicandum relinquam: mihique ſat eſt indicaſſe præcipuas cautiones in conſtructione Siphonis adhibendas, qualisque futura ſit proportio inter vim motricem & effectum ab ea expectandum: jam enim poterit quivis, ſatis tuto & facile, pro re nata, ferre judicium.

G. G. L. DE CAUSA GRAVITATIS, ET DEfenſio ſententiæ ſuæ de veris naturæ legibus contra Carteſianos.

CUm a me in his Actis demonſtratum eſſet, eandem Motus Quantitatem non ſemper conſervari poſſe, ſed aliam conſtituendam naturæ legem: conatus eſt reſpondere D. *Abbas* D. C, ſed mente mea non intellecta, imputatisque mihi opinionibus, a quibus eram alienisſimus. De quo cum fuiſſet admonitus, ſilendum putavit, ſive quod agnoſceret ſibi ſatisfactum (quod tamen profiteri æquum fuiſſet) ſive, ut alias rationes taceam, quod fortaſſe problema quoddam

dam

Digitized by Google

dam occaſione noſtræ controverſiæ a me propoſitum nollet attingere, quod poſtea prorſus ut a me factum erat, ſolvit celeberrimus *Hugenius*. Ego vero nuper demonſtrationem conſtructionis illius atque ampliationem dedi in his Actis, & ne Dn. *Abbas* vel alius ſolutionem ſibi præreptam queri poſſet, problema nonnihil immutatum ita propoſui ad exercendã Carteſianorũ analyſin: *in plano Lineam invenire, in qua deſcendens grave æqualiter æqualibus temporibus a puncto dato recedat, vel ad punctum datum accedat.* Interea alius eruditus Gallus (Cl. Dominꝰ P.) Dno *Abbati* ſuccenturiatus Carteſianorũ opinionẽ defendere aggreſſus eſt, *in Actu Erud. A. 1689. p. 183. ſqq.* qui etſi ſtatũ controverſiæ non ſatis attigiſſe videatur, volui tamen ejus quoq; dubiis ſatisfacere, præſertim cum alia non contemnenda attulerit, quæ illuſtrandi argumenti occaſionẽ præbent. Sic igitur ille: *Galilæum ſupponere*, quod grave cadens æqualibus temporibus æquales acquirat velocitatis gradus. Hoc *Blondellum* libro de Bombis experimentis probare conatum, quaſi nulla ejus daretur *demonſtratio* a priori. Sed hanc *Hugenium* dediſſe, ponendo motum materiæ, quæ gravia movet, infinitæ eſſe celeritatis, præ velocitatibus gravium cadentium quæ a nobis obſervari poſſunt, ac proinde grave ſive initio, cum adhuc quieſcit, ſive poſtea cum jam movetur, eodem modo, quoad quantitatem impreſſi motus ſeu augmentum celeritatis a motore affici, cum comparatione motoris ſemper pro quieſcente haberi poſſit. Quanta autem ſit motoris velocitas, ex *Hypotheſi Carteſiana* æſtimaſſe *Hugenium*, ponendo gravitatem oriri, dum materia quædam ſubtilis circa terram gyrata & a centro recedens alia corpora verſus terram detrudat. Itaque experimento inquiſiviſſe, quanta vis centrifuga in parvi circuli gyro gravitati æquipolleret, atque inde collegiſſe, in magno circulo, qualis metitur ambitum telluris, materiam illam tanta velocitate moveri, ut millies fere in una hora totum telluris ambitum percurrere poſſit. Atque hæc quidem pulcra ſunt & digna *Hugenio*, ſed quæ Noſter de ſuo addit, non æque admitti poſſunt. Putat ſcilicet hinc ſeſe tollere poſſe nonnullas difficultates graves, quæ doctis negotium faceſſiverunt. Nimirum Viri clariſſimi *Sturmius* & *Bernoullius* in his *Actis* mutua συζητήσει, conſideratione dignum judicaverant, qui fieret ex hypotheſi Carteſiana, quod gravia non potius *ad axem* quam centrum detruderentur. Hanc

difficultatem Noſter ceſſare putat, ſi modo conſideretur, velocitatem materiæ gravitatem efficientis incomparabiliter eſſe majorem velocitate ipſius gyri telluris: ita enim differentiam velocitatis, quæ eſt in æquatore, vel in alio quocunque parallelo, nullius momenti eſſe comparatione velocitatis illius maximæ. Eadem (ſi ipſi credimus) facilitate *meo argumento* ſatisfieri contra Carteſianos prolato. Nempe quia infinita ſit motoris gravium velocitas. Hinc perinde ac ſi grave quieſceret, ut ab initio, ſemper æqualibus temporibus tantundem ictus inprimi, adeoque vires eſſe ut tempora, non ut ſpatia aſcenſuum vel deſcenſuum, quemadmodum ego quidem exiſtimaveram. Poſtremo cum *Autor Novellarum Reipublicæ literariæ* eſſet veritus, ne ipſa materia *primi Elementi* vi centrifuga a Sole recederet, præ globulis *ſecundi* Elementi, atque ita diſpergeretur Sol, item ne vortex telluris diſpergeretur in vorticem Solis, quippe majores longe circulos deſcribentem, adeoque minore (cæteris paribus) vi centrifuga præditum; Reſpondet introducendo quandam *partium congruitatem* vel incongruitatem, quæ retineat alioquin aufugituras. Hactenus ille.

Ad quæ ſequentia repono: (1) *Galilæus* non *ſuppoſuit* tantum in gravibus motum æqualibus temporibus æqualiter acceleratum, ſed etiam rationibus atque experimentis confirmare niſus eſt, nec certe temere in eam ſententiam devenit. (2) confundit noſter objector *demonſtrationem* veritatis alicujus cum cauſæ redditione per quandam hypotheſin, nec fortaſſe *Hugenii* conſilium ſatis percepit, cujus inſtitutum (quantum aſſequi licet) in ea quam poſuimus ratiocinatione non fuit demonſtrare, eam eſſe accelerationis gravium naturam quam diximus; ſed poſito (ex phænomenis forſan) talem eſſe, explicare modum veriſimilem quo poſſit oriri. (3) abſolutam autem hujus veritatis demonſtrationem dabimus a priori in *dynamicis* noſtris, nulla hypotheſi adhibita tantum ſupponendo ex vulgaribus phænomenis, grave in loco altiore aut depreſſiore ejusdem eſſe ponderis, quod in differentiis altitudinum minoribus, utique quoad ſenſum, indubitabile eſt. (4) *Hypotheſis*, quam *Carteſianam* vocat, potius *Kepleriana* eſt, etſi a *Carteſio* magis exculta. Nam primus omnium *Keplerus* invenit gravitatis originem adumbrari poſſe, dum fluidum aliquod ex partibus ſolidioribus conſtans

in gy-

in gyrum actum & a centro recedere tentans, minus ſolida innatantia ad centrum detrudit. Hac ejus cogitatione, quemadmodum & aliis pluribus, in rem ſuam uſus eſt *Carteſius*, autorem (pro more ſuo illaudabili) diſſimulans, quemadmodum & ex *Kepleri paralipomenis in Vitellionem* ſumſit explicationem æqualitatis anguli incidentiæ & reflexionis per compoſitionem duorum motuum, & a *Snellio* didicit veram regulam refractionis. Et ſane licet vir ſummus fuerit *Carteſius*, his tamen artificiolis multum ſolidæ laudis amiſit apud judices intelligentes. (5) Etſi recte aſſumatur, incomparabiliter majorem eſſe velocitatem materiæ gravitatem facientis, quam ipſorum apud nos gravium, non tamen neceſſarium hoc eſt ad explicandam gravium accelerationem æquabilem per vim centrifugam, uti Objector exiſtimare videtur, forſan non percepta ſatis *Hugenii* mente. Quod ut appareat, fingamus tubum horizontalem TV longiſſimum, utrinque clauſum, plenum hydrargyro, in quo prope extremum V ſit in loco G, globus G vitreus vel ex alia materia factus, quæ minus denſa vel minus ſolida ſit hydrargyro, nec ab eo corrodatur. Si jam tubus hic cylindricus in eodem plano horizontali manens rotetur circa alterum extremum T immotum, tunc Mercurius recedere tentans a centro, tendensq; verſus V, inde pellet globū eumq; coget tendere verſus T, ſine ullo aſcenſu. Imo etſi tubus nonnihil ad horizontem ſit inclinatus, ita ut extremum T ſit inferius quam V, nihilominus vi circulationis ſufficienter rapidæ effici poterit, ut globus in hydrargyro alioqui nataturus deſcendat ab V verſus T, aptiſſima gravitatis repræſentatione. Cauſa autem, cur hæc vis centrifuga materiæ recedentis a centro alia minus recedentia ad centrum pellat, diſtincte ita explicari poteſt, quod materia B, (Mercurius) recedens a centro T, ſeſe inſinuare conatur inter C (Mercurium) & corpus 2G (globum) cumque Mercurius C non poſſit amplius propelli, obſtante operculo tubi V, repelletur corpus 2G verſus T ſeu ad 3G. His jam poſitis, cum continue creſcat celeritas, qua globus G tendit verſus centrum T, contra tubi circulantis celeritas verſus centrum decreſcat, fiet alicubi, velut in 2G, ut tubi circulantis, & globi recta ad centrum tendentis æqualis ſit velocitas. Nihilominus tamen, ſi tanta fingatur tubi longitudo, ut punctum 2G adhuc longe abſit a centro T, exempli cauſa multis miliaribus, tunc globo tendente porro a 2G ad 3G, interval-

TAB. VII. *Fig. 3.*

tervallo licet multorum paſſuum, non mutabitur notabiliter celeritas circulationis, nec diſcrimen erit notabile inter 2G & 3G, adeoque nec mutabitur notabiliter vis centrifuga, quæ globo inter 2G & 3G continue imprimitur; adeoque perinde erit, ac ſi globus in G eodem loco maneret, æqualibusque temporibus æquales impreſſiones reciperet. Jam idem, quod in tubo finximus, in æthere continget revera, ſi quidem ab ejus vi centrifuga oritur gravitas. Nam ob maximam a centro (nempe telluris) diſtantiam, exiguum intervallum, quo grave apud nos inter cadendum centro accedit, nullum facere poteſt diſcrimen notabile, ac proinde vel hinc orietur æqualibus temporibus æqualis celeritatum impreſſio, etſi non eſſet tanta ætheris rapiditas. At ſi gravitatem non a vi centrifuga circulationis, ſed materia quadam, gravia venti inſtar verſus terram pellente petamus, tum demum ad explicanda proportionalia temporibus gravitatis incrementa, neceſſaria eſt illa celeritas venti incomparabiliter major ea quam gravia apud nos acquirunt.

(6) Etſi valde dudum inclinaverim ipſe ad gravitatem a vi centrifuga materiæ ætheræ circulantis repetendam, ſunt tamen aliqua quæ dubitationes graviſſimas injecere. Et ut cætera nunc taceam, neceſſe eſt ætherem hunc circa terram moveri non in æquatore & parallelis, ſed in circulis magnis, quales ſunt meridiani (alioqui gravia non ad centrum ſed axem terræ tenderent) ſed ita neceſſe eſt, ætherem illum verſus polos eſſe multo confertiorem; unde non apparet, quomodo gravia eodem modo in locis æquatori & polo vicinis verſus centrum impellantur, quod tamen fieri, nec diſcrimen obſervari adeo notabile, phænomena docent. Huic difficultati ſi remedium haberetur, facilius credi poſſet excogitata a *Keplero* cauſa gravitatis. (7) Alia ejusdem aſſignari poſſet cauſa non obnoxia huic difficultati, concipiendo diſpoſitionem materiæ cujusdam ex globo telluris aut alterius ſideris in omnes partes propulſæ, quæ radiationem quandam producat, radiationi lucis analogam; ita enim habebimus receſſum a centro materiæ ætheræ, quæ corpora craſſiora eandem (ut alibi explicabo) vim recedendi non habentia verſus centrum depellet ſeu gravia reddet. (8) Cogitandum etiam relinquam, quæ cauſa globum terræ, cum fluidus eſſet, rotundarit; ſcilicet varius in omnem plagam tendens fluidi ambientis motus (qualis gut-

tas

Digitized by Google

tas olei in aqua format) qui a diverſæ naturæ partibus turbatur etiam partes telluris ad ipſam contrudat, dum interim ipſa tellus ſimiliter heterogenea, ut paulo ante diximus, expellit a ſe. (9) Miror quomodo clariſſimus Objector in animum induxerit ſuum, poſſe hypotheſi infinitæ celeritatis circulanti ætheri attributa tolli difficultatem, quæ cum alios, tum VV. Clariſſ. *Sturmium* & *Bernoullium* exercuit. Nam non ideo ad axem potius quam centrum telluris deprimi dicentur gravia, quia major celeritas gyri terreni ſub æquatore quam in parallelis, ſed quia ipſa materia ætherea in circulis minoribus æquatori parallelis gyrata, & a centris eorum recedere tentans, gravia ad centra cujusque circuli, quæ non in centrum telluris, ſed alia axis puncta cadunt, pelleret. Non igitur de celeritatis ſed directionis, differentia quæritur. Nec video quomodo in hac hypotheſi occurri malo poſſit, niſi ætheri gravitatem immediate producenti motum velut magneticum aſcribamus, non in æquatore & parallelis, ſed in meridianis, ut jam olim a me annotatum eſt, tum in ſcheda edita, tum in literis ad R. P. *Kochanskium*, qui eadem movebat. (10) Materiam *primi Elementi* Carteſiani, *globulosque ſecundi*, luminis autores non multum moror; fictitia enim ambo cenſeo, & pro demonſtrato habeo, nec primum nec ſecundum Elementum in natura dari, nec lumen in eo, quem *Carteſius* deſcribit, conatu conſiſtere. Cæterum quæ cauſa guttas liquorum format, eadem & vorticē Solarem in mundo, terreſtremq; in Solis vortice continet, exploſæque materiæ ſuos limites circumſcribit, ne dum a centro vorticis recedere tentat, diſpergatur. (11) Scilicet in omni fluido motus eſt varius in omnes plagas, qualem videmus in aqua baculo varie moto agitata; is autem interpoſitis partibus alterius texturæ motusque, nec ſatis perviis perturbatur, & obſtacula repellere ac diminuere tentat: minus autem obſtare conſtat, quæ in figuras ejusdem ſuperficiei capaciſſimas colliguntur. Porro non *vortices* tantum ſeu (nucleo demto) *bullæ*, ſed & omnes conſiſtentiæ ſeu *cohæſiones* primigeniæ, atque ut ita dicam, ſtamina rerum & baſes texturarum a cuique maſſæ propria & conſpirante motus ratione oriuntur, quibus conſtitutis primæ firmitatis cauſis, tum demum corporum (firmitatem jam hinc aliquam habentium) porro major aut minor contactus, atque inde ob ambientium reſiſtentiam nata cohæſio, in rationes venire

poteſt. Motus ſcilicet vel, ſi mavis, vis motrix id unum eſt quod materiam dividit & *heterogeneam* reddit, unde *congruitas* incongruitasq; cum per ſe continua ſit atque uniformis, ac ne figuræ quidem & partes in ea reales ſeu actu determinatæ intelligi aliter poſſint. Itaque cohæſionis quoque principium eſt, ac proinde oritur *fluiditas* a vario motu, *firmitas* a conſpirante, ut jam olim explicuimus; vel potius nihil tam fluidum eſt, quin habeat firmitatis, nihil tam firmum, quin habeat fluiditatis gradum; ſed denominationes fiunt a prædominante ad ſenſum.

(12) Sed jam tandem ad ſententiæ meæ defenſioně veniendum eſt, qua fortaſſe non magnopere indigere adverſus objectionem videri poſſit, quod in controverſia eſt aſſumentem, nec ratiocinationis meæ vim attingentem. Quia tamen Objectori tantum tribuo, ut quæ ipſum decepere, etiam alios fallere poſſe putem, vel potius quia agnoſco aliquid verbis meis ad ſummam claritatem defuiſſe, tentabo an ipſimet, tanquam æquo judici, ſatisfacere poſſim. Demonſtrabo igitur propoſitionem, quam negat, eaque occaſione rem omnem (ſpero) in clara luce collocabo, poſtremo erroris fontem detegam. Sed ante omnia logomachiæ excludenda occaſio eſt; erunt enim, qui ſibi permiſſum dicent *vim* definire per quantitatem motus, & duplicata corporis dati celeritate, vim ejus duplicatam dicere; neque hanc ego libertatem cuiquam nego, quam mihimet concedi poſtulo. Sed cum controverſia nobis ſit realis, utrum ſcilicet motus conſervetur, an vero potius eadě quantitas virium eo ſenſu, prout a me accipitur, id eſt in ratione compoſita non ponderis & celeritatis ſed ponderis & altitudinis, per quam corpus ab agente vim habente attolli poteſt, facile de verbis tranſigemus. Itaque *vim inæqualem* habere hoc loco definiam, quorũ unum ſi ſurrogare liceret in alterius locum, oriri poſſet motus perpetuus mechanicus; & ſurrogatum quidem habere dicetur *vim majorem*, alterũ vero *minorem*; quod ſi ex ſurrogatione eorum tale abſurdum, quale eſt motus perpetuus, oriri nequeat, *vires* ipſorum dicemus *æquales*. Hac definitione poſita, facile tanquam corollarium concedet Cl. Objector, *eandem vim in corporibus conſervari*, ſeu eandem eſſe potentiam cauſæ plenæ & effectus integri, vel ſtatus præcedentis & ex eo nati ſequentis. Ne ſcilicet ſuccedat præcedenti aliquid fortius, ex quo motus perpetuus mechanicus oriri

poſſet.

poſſet. Quale virium lucrum impoſſibile eſſe non diffitebitur, opinor, ut idem proinde ſit in phyſicis & mechanicis reducere ad motum perpetuũ mechanicum, & reducere ad abſurdum. Hoc autem eodẽ ſenſu neceſſe eſt quoque *vires eſſe in ratione compoſita ponderum & altitudinum*, ſeu quod idem eſt, ſummam productorum ex ponderibus in altitudines (ad quas pondera attolli ex datis poſſunt) ductis, non vero ſummam factorum ex ponderibus in celeritates, ut *Carteſiani* ſibi perſuaſerant, conſervari. Quod ita nunc demonſtrabo: ponamus (in exempli gratiam) globum A 4 librarum ex altitudine unius pedis 1 A E per lineam inclinatam 1 A 2 A deſcendere, donec in planum horizontale E F perveniat, ibique procurrat ex 2 A in 3 A, uno celeritatis gradu per deſcenſum quæſito. Porro in eodem plano horizontali quieſcat alius globus B unius libræ, in loco 1 B. Ponamus jam porro, omnem potentiam globi A transferri debere in globum B, ita ut A quieſcente in horizontis loco 3 A, ſolus deinde moveatur globus B. Quæritur quantum celeritatis accipere debeat globus B, ut tantundem virium accipiat, quantum globus A habuit. Carteſiani dicent, globum B quadruplo minorem ipſo A accepturum celeritatem 4 graduum ſeu quadruplo majorem celeritate ipſius A. Tantundem enim virium habere A, 4 librarum, celeritate ut 1. quantum B, unius libræ celeritate ut 4. Sed ego ex tali ſurrogatione oſtendam oriri poſſe motum perpetuum ſeu abſurdum. Nam corpus B libræ 1, celeritatem habens ut 4, ope ejus, motu ſurſum directo, (ut ſi procurrendo ex 1 B in 2 B, incidat in lineam inclinatam 2 B 3 B) aſcendere poterit ad 3 B ſeu ad altitudinem perpendicularem F 3 B, pedum 16: quia corpus A gradum celeritatis ut 1 acquiſierat deſcendendo ex altitudine perpendiculari pedis 1, adeoque rurſus aſcendere poſſet ad pedem 1. Ergo gradu celeritatis quadruplo aſcendi poteſt ad pedes 16. Sunt enim altitudines ad quas vi celeritatum aſcendi poteſt, ut celeritatum quadrata. Sed jam hinc oriretur motus perpetuus ſeu effectus potentior cauſa. Nam globus B unius libræ elevatus jam ad 16 pedes, a nobis porro ſic adhiberi poterit, ut rurſus inde deſcendens in horizontem, ad 4 B, facili quadã machinatione, verbi gratia ope ſtateræ rectilineæ inclinatæ, attollere poſſit globum A librarũ 4 in horizontis loco 3 A exiſtentem, ad altitudinem perpendicularem prope 4 pedum. Sit enim ſtatera pertingens a 3 A ad 3 B, in fulcro ſeu centro librationis C, di-

Tab. VII. Fig. 4.

viſa in brachia longitudine inæqualia (licet æqualia pondere) C 3 A, & C 3 B, ſic ut brachium C 3 B ſit paulo plusquam quadruplum brachii C 3 A. Itaque globus B, incidens in extremum ſtateræ 3 B, globum A, alteri extremo 3 A ſuperſtantem vincet attolletque; quia major eſt reciproce ratio diſtantiarum a centro, (nempe major quadrupla ex conſtructione) quam ponderum (quæ ex hypotheſi eſt quadrupla) & proinde B deſcendendo usque ad horizontem per altitudinem perpendicularem 3 BF, 16 pedum, ex 3 B in 4 B, attollet A ex 3 A in 4 A, ad altitudinem perpendicularem paulo minorem pedibus 4, defectu tam exiguo quam velis. In praxi ſufficit attolli A ad altitudinem perpendicularem pedum circiter 3 vel etiam adhuc minorem. Quod eſt abſurdum. Initio enim A erat tantum elevatum ad pedem 1, ipſo B exiſtente in horizonte; nunc vero in ſtatu finali, B reſtituto ad horizontem, A non reſtitutum eſt ad pedem 1, quod ad ſummum fieri poterat remotis accidentalibus impedimentis, ſed aſcendit ad pedes plus quam 3, & prope 4. Idque vi ipſius deſcenſus ſui ex unico illo pede, licet per interpoſitum corpus B, quod tamen nullam novam vim contribuiſſe, ſed ſolam vim ipſius A habuiſſe ſuppoſuimus. Ita pene triplum virium lucrati ſumus, & ut ita dicam, ex nihilo eduximus: quæ quidem abſurda eſſe nemo intelligens diffitebitur. Nec jam motus perpetuus longe quærendus eſt. Facile enim eſt efficere, ut globus A ex loco 4 A, redeat ad primum locum 1 A, & prius in itinere, (cum lapſum habeat prope trium pedum) effectum aliquem mechanicum præſtet: alia pondera elevet, machinas circumagat, &c. Similiterque globus B, ſi locus 4 B tantillo altior ponatur horizonte, interim (dum A redit ad 1 A) redire decurrendo poterit ad locum 1 B; adeoque omnia redibunt ad ſtatum priorem, effectu tamen mechanico notabili per ſupererogationem peracto; idemque porro repeti poterit luſus. Quæ utique ferri non poſſunt. Hinc ut obiter dicam, ex Methodo noſtra præſenti, inventores motus perpetui in ſpeciem plauſibilis plerumq; præbebunt occaſionem novorum theorematum, quibus fallacia detegetur, oſtendendo (quodam ut ita dicam *Algebræ Mechanicæ* genere) *æquationem* latentem *inter cauſam & effectum*, nulla arte violabilem. Et hujusmodi Æquatio nobis quoque hoc loco profuit, ad veras translationis motuum leges inveniendas. Itaque dicendum eſt,

B. (uni-

B (unius libræ) ſi deberet accipere potentiam ipſius A (quatuor librarum) ſeu ſi A quod prius ſolum movebatur, deberet redigi ad quietem, motu jam ſolum exiſtente in B quod prius quieverat; remoto omni alio agente vel patiente, quod aliquam novam vim addat, vel partem prioris abſorbeat, tunc B non niſi duplam debere accipere celeritatem ejus quam habuerat A. Ita enim B non niſi ad 4 pedes aſcendere poterit, nec A (licet ſtateram adhibeas) reſtitui niſi ad unum, nec proinde tale orietur abſurdum, ut ſtatus poſterior ſeu effectus fiat potior cauſa ſeu ſtatu ex quo fuit natus, ſed omnia præciſe compenſabuntur. Itaque eadem opera concluſimus contra *Carteſianos, non ſemper debere conſervari quantitatem motus*. Cum enim prius A exiſtente in motu, haberemus corpus ut 4 celeritate præditum ut 1; nunc poſt translationem habemus corpus 1 celeritate præditum ut 2; unde quantitas motus in poſteriore rerum ſtatu fit tantum dimidia prioris. Erunt alii caſus, ubi augebitur quantitas motus. Idemque eſt in aliis plurimis translationibus virium, dum corpora in ſe invicem agunt, ut *quantitas motus* differat a *quantitate virium* a nobis explicata (quam *quantitate effectus* æſtimari oſtendimus) adeoque ſervari nequeat. Et generaliter ſi ſit corpus A præditum initio celeritate e, corpus vero B celeritate y; at poſt actionem ſit corpus A præditum celeritate (e), corpus autem B celeritate (y). Et ſimiliter altitudines, ad quas corpora A & B aſcendere poterant, ante actionem ſint (reſpective) x & z, poſt actionem vero (x) & (z); ajo debere eſſe $Ax + Bz = A(x) + B(z)$ ut eadem ſervetur potentia; unde utiq; ſequitur, non ſemper poſſe eſſe $Ae + By = A(e) + B(y)$, ſeu non poſſe eandem ſemper ſervari quantitatem motus. Supereſt, ut *erroris fontem* paucis detegamus. Et quidem Clariſſ. Objector infinita ætheris motoris celeritate ne quidem opus habet, & libentiſſime ipſi ſine probatione concedo, celeritates acquiſitas vel perditas libero deſcenſu vel aſcenſu, eſſe ut tempora. At ego VIRES MOTRICES, id eſt *eas quæ conſervandæ ſunt*, oſtendi non eſſe æſtimandas gradibus celeritatis. Pleroſque autem doctiſſimos alioqui Viros decepit præjudicium ex ſchola, quo concipiunt motum, & celeritatem (motus gradum) tanquam realem quandam & abſolutam in rebus quantitatem; & quemadmodum eadem ſalis quantitas per minorem aut majorem aquæ copiam diffunditur, qua ſimilitudine & *Robaultius*

 (quan-

(quantum memini) utebatur. Unde mirum ipſis videtur, augeri vel minui poſſe quantitatem motus ſine miraculo Dei creantis vel annihilantis. Sed motus in reſpectu quodam conſiſtit, quin & cum rigide loquendo nunquam exiſtat, non magis quam tempus, aliaque tota quorum partes ſimul eſſe non poſſunt, eo minus mirum eſſe debet, quantitatem ejus eandem non conſervari. Sed vis ipſa motrix, (ſeu ſtatus rerum, unde mutatio loci naſcitur) eſt abſolutum quiddam & ſubſiſtens, ejusque adeo quantitatem a natura non curari. Unde etiam diſcimus *aliquid aliud in rebus eſſe quam extenſionem & motum*, quod quanti momenti ſit, ſciunt intelligentes. Etſi autem prima ſpecie videatur, duplicata celeritate ejusdem corporis duplicari & vim ejus, admitti tamen hoc non poteſt. At, inquies, ſi corpus A habeat gradum aliquem celeritatis, & eidem corpori rurſus ſuperveniat æqualis priori celeritatis gradus, utique id quod erat prius videtur perfecte duplicatũ ſeu repetitum: ſed reſpondeo negando, tum demum enim id quod prius erat, erit exacte duplicatum, cum corpori A celeritatẽ habenti ut 1, adjicietur aliud corpus B, æquale ipſi A, etiam celeritatẽ habens ut 1, quo facto fateor & vim duplicatam. Quomodo autem potentiæ multiplicatio obtineatur, corpore licet non multiplicato, habetur methodo ſupra explicata. Fuere etiam quibus errandi cauſa inde præbita eſt, quod putarunt in potentia æſtimanda non ſolius effectus, qui producitur, hoc loco habendam rationem, ſed & temporis, quo producitur. Itaque non debere potentiam æſtimari ſola ratione compoſita ponderis & altitudinis, ad quam pondus per potentiam attolli poteſt. Et ſane verum eſt, temporis rationem quoque habendam in illis effectibus producendis, ubi eadem potentia longiore tempore conceſſo majorem effectum producere poteſt. Uti fit cum globus datam habens celeritatem, potentiam habet pondus ſuum transferendi in plano horizontali per datum ſpatium tempore dato; ſed hoc in effectibus potentiisque, de quibus hic agitur, ſecus eſt, ubi vis agendo conſumitur, & quicquid vi præditum eſt, (ut arcus tenſus ad certum gradum, corpus habens certam velocitatem) ſi ſecundum unum operandi modum totam ſuam actionem impendat in datum pondus elevandum ad certam altitudinem, nulla alia machinatione vel artificio idem pondus faciet altius aſſurgere, quantocunq; tempore conceſſo, Unde fruſtranea fit temporis conſideratio.

Cum

Digitized by Google

Cum enim pondus illud ex ea altitudine delabens poſſit illam ipſam vim (ut tenſionem dictam illius arcus, velocitatem dictam illius corporis) præciſe reproducere; (abſtrahendo animum ab impedimentis accidentalibus) utique pondus altius ſublatum poſt tempus quantumcunque, mox relabendo non tantum vim dictam primam reproducere poſſet, ſed & aliquid præterea efficere, atque ita daretur modus per ſufficientem temporis longitudinem perveniendi ad motum perpetuum mechanicum. Quod eſt abſurdum.

HISTOIRE DE L' EGLISE DU JAPAN &c.

id eſt,

Hiſtoria Eccleſiaſtica Japoniæ, Abbatis de T. Tomus II.

Lutetiæ, apud S. Michallet, 1689, in 4. Plag. 87.

QUod de Draconis Athenienſis legibus dici ſolitum fuit, ſanguine potius quam atramento ſcriptas fuiſſe, id longe verius de hiſtoria hac, cujus primam partem proximo menſe Aprili enarravimus, ſtatui poteſt, neque tamen ſatis exprimi atrocitas ſuppliciorum, quæ in Chriſtianos per annos fere quinquaginta in regno illo exercita fuit. Spem aliquam moderationis attulerat A. 1596 diſſimulatio Imperatoris, cum Valignanum, quem a Prorege Indiæ cum muneribus in Japoniam miſſum eſſe ex Tomo I. ſub finem retulimus, ſatis be- Lib. XI.
nigne excepiſſet, licet eodem tempore Legatos Chinenſes ignominio- pag. 3.
ſe tractaſſet. Significari autem inſtans calamitas viſa eſt multis prodigiis, ingenti inprimis terræ motu, quo plurima regni loca vehementer quaſſata & perdita ſunt, deſtructa inter alia funditus regia 5. 12.
Imperatoris Fuximenſi, in qua ædificanda & pretioſa ſupellectile exornanda trecenti aureorum milliones, quos vocant, conſumti eſſe ferebantur. Exercuerant hucusque poſt edictum, quo regno exire 11.
juſſi erant, Jeſuitæ omnia munia ſacra, ita quidem ut hoc anno LX hominum millia baptizaverint; multa tamen utebantur circumſpe- 15.
ctione, ut in occulto fierent omnia. Sed non eadem cautela ab aliis monachis obſervata fuiſſe perhibetur. Venerant illi ex Hiſpania & inſulis Philippinis, licet Pontificum decretis ſolis Jeſuitis Japo-

nicæ

Digitized by Google

nicæ Eccleſiæ cura demandata eſſet, neſcio qua interpretatione uſi,
in Japoniam, ac intempeſtivo zelo & ſolitis cum ceremoniis ſacra per-
pag. 17. gebant in regia urbe *Meaco*. Acceſſit inconſulta & vana Hiſpani
20. cujusdam navarchi, ex iisdem inſulis vi tempeſtatum in Japoniam
21. ejecti jactantia. Hic enim inter alia interrogatus, quomodo
Rex Hiſpaniæ tot regiones & inſulas, in tractu illo orbis ab Euro-
24. pa remotiſſimo acquiſiviſſet, reſponderat, præmiſſos a Rege fuiſſe
ſacerdotes & monachos, qui Evangelium prædicarent; deinde con-
verſa ad Chriſtianiſmum magna incolarum multitudine, & hac mili-
taribus, quas Rex ſubmiſiſſet, copiis adjuncta, ſubjugatos cæteros
fuiſſe. Facile itaque in ſuſpicionem adducti ſunt Japones, idem ſi-
bi imminere, ſi Chriſtianiſmum non extirparent. Condemnati ſunt
42. inde A. 1597. & menſe Januario in crucem acti Franciſcani monachi
ſex, cum tribus Jeſuitis & ſeptendecim ex populo, interque eos pueri
impuberes, quorum nomina & elogia, quaque conſtantia mortem
53. toleraverint, prolixe tradidit Autor; deſcribit etiam formam cru-
cis, diverſam ab illa quæ vulgo pingi aut ſculpi ſolet. Alligabantur
crucibus damnati extenſis brachiis pedibusq;, aliquando etiam capite
deorſum verſo. Pro gratia erat, ſi ſtatim adacta in latus lancea
confoderentur: aliquando aeris injuriæ per aliquot dies expoſiti &
Lib. XII. inedia confecti hærebant. Eodem anno Imperator Legatum Pro-
pag. 66. regis Philippinarum de ſupplicio monachorum expoſtulantem, &
navem naufragio ad littus ejectam reſtitui petentem, duro cum re-
ſponſo dimiſit, & mox publicato edicto Jeſuitas & Religioſos omnes,
propoſita mortis pœna, excedere regno juſſit, tribus ſolum aut qua-
tuor Nangaſaqui toleratis, qui Luſitanis commercia ibi exercentibus
ſacra facerent: nolebant enim Japones mercatura illa prorſus care-
re. Deſtructa itaque ſunt Chriſtianorum templa, diſperſa ſeminaria
& ſcholæ Jeſuitarum, ritusque ſacrorum publicus plane intermiſſus
69. fuit, & plurimi Jeſuitarum palam conſcenſis navibus in Chinam aut
Indiam avecti ſunt; pauci tamen in variis regni provinciis delitue-
runt, occulte operam incolis Chriſtianis præſtantes. Deceſſit in-
ter hæc Imperator, cum paulo ante mortem *Johannem Rodericum* Je-
ſuitam, quo interprete apud Luſitanos utebatur, benigne audiviſſet,
75. nec indonatum dimiſiſſet. Proceres etiam, quorum tutelæ filii im-
puberis & regni curam commiſerat, in executione edicti aliquandiu
cuncta-

Digitized by Google

cunctati ſunt. Recruduit tamen perſecutio ex diſſidio inter tutores illos orto, ſed nihilominus cœtus Chriſtianorum auctus fuit, baptizatis A. 1599. quadraginta, & ſequenti anno triginta millibus. Hoc anno capite truncata eſt Regina Tangitana, de qua Libro IX. Tom. I. actum fuit, juſſu mariti pagani, qui rebellionis cauſa de vita ſua periclitatus, relinquere illam poſt ſe nolebat. Vehementer vero eum facti pœnituit, poſtquam periculum evitaſſet, ita ut corpus ſepeliendum Jeſuitis permitteret, dato illis 200 aureorum honorario, quod tamen hi in pauperes diſtribuerunt. Supplicio quoque affectus fuit celebris ille belli Dux *Auguſtinus* Tomo I. laudatus, cui itidem exequiæ a Jeſuitis ductæ ſunt. Poſt hæc quidam ex tutoribus *Dayfuſama*, oppreſſis collegis rerum potitus, perſecutionem redintegravit. Nihilominus A. 1603. centum & novem Jeſuitæ, & inter hos ſacerdotes quinquaginta tres, in Japonia adhuc latitarunt, ſed ad ſummam inopiam redacti, intercepta a Batavis oneraria Luſitana, qua ſubſidia ad alendos illos & pauperes ex plebe mittebantur. Inter Japones in aula Imperatoris illuſtres multi ſupplicium paſſi ſunt, cum Chriſtianiſmo renunciare nollent, inter quos magnis laudibus extollitur *Simon* quidam *Giſioius*, ſtrenuus belli dux. Nobiles etiam fœminæ martyrii gloriam reportarunt, ſuoque exemplo multos ad conſtantiam invitarunt. Anno 1604 quietem aliquam habuerunt Chriſtiani, cum tutor ille ſtabiliendæ adverſus filium Imperatoris, fidei ſuæ commiſſum, potentiæ intentus eſſet, neglecta religionis cura, ita ut Jeſuitæ Nangaſaqui publicam pompam in feſto corporis Chriſti magnifice inſtruerent. Sed offenſus novisque ſuſpicionibus turbatus fuit Imperator, tum quod Hiſpani promiſſa quædam de commerciis non impleviſſent, tum quod novæ & multæ naves milite ac apparatu bellico inſtructæ ad Philippinas appuliſſent. Sæviri itaque paſſim cœptum eſt & in Religioſos, quotquot indagari poterant, & in illuſtres quosdam viros. Hoc tempore obiit Bungi quondam Rex *Conſtantinus*, qui plus ſemel a Chriſtianiſmo defecerat, tandem vero ob conſtantem ejus profeſſionem in tantam miſeriam redactus erat, ut victum mendicando quæreret. Anno 1606. rigidiſſimum iterum in Chriſtianos edictum publicatum fuit; baptizata tamen ſunt, præter infantes, octo hominum millia, continuatis licet in omnis generis & ætatis Chriſtianos ſuppliciis. Anno 1612. vehementiſſime exarſit perſecu-

[Margin notes: pag. 79. — 88. — 92. — 104. — 117. — 129. — 125. — Lib. XIII. pag. 148. 149. — 165. — Lib. XIV. pag. 203.]

ſecutio, aucta denuo ſuſpicione contra Hiſpanos, ob dilatatum in inſulis Moluccis imperium, & temeritatẽ navarchi cujusdam, qui littora & portus Japoniæ jacta bolide palam exploraverat. Multum quoque nocuit apoſtaſia *Protaſii* Regis Arimæ, ejusque filii Michae-
pag. 208. lis, qui ita ſævierunt, ut nec neceſſariis aut fratribus parcerent. Ejecti ſunt ex aula Imperatoris proceres Chriſtiani, viri fœminæque, multaq; conſtantiæ exempla etiam a pueris puellisque edita fuerunt. Inſtituta tamen Nangaſaqui numeroſa fuit ſocietas, ſive, ut loquuntur, fraternitas, certis legibus, quibus ſe ad tolerandam religionis cauſa mortem adſtringebant. Sæviſſimis interim pœnis & ibi furebant in Chriſtianos barbari; ne tamen Luſitanos a commerciis deterrerent, Jeſuitis non niſi exilium indictum eſt, edito A. 1614 diplomate. Igitur menſe Octobri omnem Eccleſiæ ornatum navibus impoſuerunt,
274. 277. & præter XVIII ſacerdotes, ſociosque laicos IX & quosdam alumnos, itemq; aliquos aliorum ordinum monachos, qui clam remanſerant, ex portu Nangaſaqui abierunt, quo miſerrimo tempore *Ludovicus Cerqueira* Jeſuita, Japoniæ Epiſcopus Romæ conſtitutus, diem ſuum obiit. Abiit ſimul laudatus Tomo I. *Juſtus Ucondonus*, regia di-
278. gnitate functus, quem Hiſpani cum tota familia in metropoli Philippinarum *Manilia* magnifice exceperunt & liberaliter aluerunt, ibi
Lib. XV. tamen paulo poſt defunctũ. Anno 1615, dum mortuo Imperatore ſuc-
pag. 298. ceſſor filius *Xogunus* bello civili affligeretur, quies aliqua Chriſtianis fuit, ſed devictis æmulis Imperator novum edictum in illos exaſperavit, immanes cruciatus & ſupplicia in omnes conſtituens, qui ſacerdotes domi reciperent, præmia vero iis decernens, qui latentes
303. proderent. Edixit itidem, ut naves Europææ tantum in portu Nangaſaqui & Firandi reciperentur, irritatus, quod navis quædam Hiſpana alio loco XXVII. monachos Franciſcanos in littus expoſuiſſet, inter quos erant, qui peccare ſe crederent, ſi ſacra in occulto facerent; unde inter hos & Jeſuitas, ipſosque cœtus diſcordia exorta eſt.
307. Deprehenſi A. 1617 Jeſuita *Johannes Baptiſta Machadus*, & Franciſcanus qui ſe *Petrum de Aſcenſione* vocabat, capite mulctati ſunt, quod
311. etiam accidit duobus monachis, qui in regno Amaritano veſtibus ſuis induti incedebant, & exſtructo ſacello publice ſacra faciebant. Id mortis genus pro beneficio reputandum erat, cum in Japones immenſis ſæviretur cruciatibus. Temeritatem illorum, qui ſpreto Imperatoris

toris edicto palam religionis ceremonias exercebant, Autor quidem non probat, ſed nec culpare eos audet, cum ſancti fuerint & martyrii corona honorati. Anno 1618 quidam Japonicæ nationis Jeſuita lento igne cum aliis quibusdam Chriſtianis conſumtus eſt; carceris vero moleſtia extinctus *Ambroſius Ferdinandus* Jeſuita Luſitanus, qui olim mercator & miles fuerat, ſed tanta abſtinentia & religioſitate vivebat, ut pro ſancto haberetur. A. 1619 cremati ſunt *Meaci* una vice viri, fœminæ & infantes LII. Talia exempla ad annum usque 1622 magno numero in hoc libro referuntur. Imperator etiam denuo exacerbatus fuit, cum ex Philippinis inſulis monachi in Japoniam introducti eſſent, & Hiſpanus quidam popularem ſuum ex carcere vi eripuiſſet. Nihilominus eodem anno homines 2236 baptizati eſſe perhibentur a Jeſuitis, ex quorum ſocietate 36 adhuc in regno deliteſcebant. Deprehenſi ex illis novem, cum duodecim Franciſcanis & Dominicanis & triginta ex populo, ſupplicium paſſi ſunt. Inter Jeſuitas eminebat *Carolus Spinola*, illuſtri & celeberrima inter Genuates familia, qui jam tribus annis carceri incluſus incredibiles pertulerat moleſtias. Carceres in barbara illa regione ex cancellis ligneis, ſive potius ergaſtula tam anguſta conſtruuntur, ut ſingulis vix ſpatium detur, quo uno in latere cubare aut erecti ſtare poſſint: cibantur orizæ craſſioris exiguo modulo, potantur aqua impura & tepida: expoſiti ſunt omni aeris injuriæ. Nulla fit ſordium purgatio, ita ut fœtore & vermibus multi conſumantur. *Spinolæ* conſtantiam admirandam deſcribit Autor, & vitæ ejus hiſtoriam refert, etiam quasdam epiſtolas exhibet. Ille cum XXII aliis menſe Auguſto 1622 vivicomburium paſſus eſt, reliqui capite truncati ſunt, interque eos puer quatuor annorum, nomine Ignatius, qui hortatu matris ſimul necatæ, intrepidus collum porrexit. Omnibus etiam palo jam alligatis venia oblata fuit, ſi Chriſtianiſmo renunciarent. Inter plurimos alios ob miniſterium, quod geſſerant, & inſignem in morte conſtantiam, item ob miracula clariſſimi memorantur *Camillus Conſtantius Calaber*, & *Paulus Navarrus* Jeſuitæ. Hujus inſigne colloquium cum Præſide provinciæ refertur, in quo ſanctitatem religionis & innocentiam ſociorum ab imputatis criminibus maſcule defendit. Cum diuturno carcere detineretur, concionari, baptizare & confeſſiones audire non deſtitit; reliquum tempus precibus

[Margin: pag. 321. — 329. — 336. — 362. — Lib. XVI. pag. 370. — 374. 380. — 396. — 412.]

cibus impendit & verſioni tractatus de laudibus B. Virginis ab *Antonio Spinello* editi. Exiſtimavit enim, ut Autor ſcribit, & pro ſuæ re-
pag. 414. ligionis genio laudat, *nihil utilius Japonibus Chriſtianis præſtari poſſe, quam ſi devotione erga Deiparam imbuerentur, cum per hanc ad Salvatorem eundum ſit, quemadmodum hic per Mariam in mundum vene-*
429. *rit.* Anno 1623, d. 3. Decemb. in magna urbe *Jedo* quinquaginta Chriſtiani, & inter eos Jeſuita inſignis *Hieronymus de Angelis*, Siculus,
433. combuſti ſunt; mox etiam alii XXIV interemti. Anno 1624 *Jaco-*
434. *bus Caravajalus*, Jeſuitarum hoc tempore in Japonia Superior ſive *Provincialis*, novo cruciatu periit, aquæ frigidæ hyberno tempore immerſus, ſolo capite extante: eo tamen anno Japones MCLX a Jeſuitis baptizati fuiſſe dicuntur. Placare Imperatorem denuo co-
448. natus eſt Prorex Philippinarum, miſſa legatione, ſed acceſſus illi denegatus eſt, & interdictum commerciis Hiſpanis & Luſitanis omnibus, toleratis tamen Anglis & Batavis, quia, ut Autor ſcribit, ſacerdotes Romanos oderant & magiſtratibus prodebant, Batavi vero cruces & imagines, quas Chriſtiani Japones venerabantur, pedibus conculcabant. Sævitũ inde eſt ultra quam credi aut enarrari poteſt, in omnis ætatis, ſexus & conditionis homines. Accidit tamen, ut quidam adoleſcens in regno Omuræ præ cæteris animoſus, a judice juberetur digito flammæ immiſſo experiri, an ſupplicium ignis tolerare poſſet.
461. Cum vero adoleſcens ſtatim paruiſſet, totumque digitum nullo doloris ſigno edito concremaſſet, hanc fortitudinem ita miratus eſt judex, ut illum & alios, quos in vinculis habebat, Chriſtianos di-
463. mitteret. Lectu digna eſt epiſtola *Michaelis Caravajalis*, gentilis Jacobi ſupra nominati, e carcere ſuo d. 20 Febr. dicto a. 1624 data; isque paulo poſt cum quatuor aliis lento igne aſſatus fuit. Quæ huc usque narrata ſunt, hauſiſſe ſe dicit Autor ex epiſtolis *Johannis Ruys Gironis* Jeſuitæ ex India miſſis, & in hujus anni 1624 hiſtoria *Solierium* Jeſuitam finem ſcribendi feciſſe; id quod etiam in exordio Tomi I.
Lib. XVII. notaverat. Anno 1625 *Nangaſaqui*, quæ urbs veluti ſanctuarium re-
pag. 473. ligionis fuiſſe dicitur, incredibilia ſævitiæ exempla patrata ſunt. Inter martyres præ cæteris commendantur *Cajus* quidam ex Corea in-
475. ſula, & *Jacobus Coitius* Japon, miraculoſa, ut narratur, apparitione ad Chriſtum converſus. Alio loco non ignobiles viri fœminæque, quorum nomina recenſentur, XXXII lento igne extincti ſunt. Su-

per

per horum oſſibus cœleſte lumen aliquoties conſpectum eſſe, a plus quam trecentis teſtibus affirmatum eſſe traditur. Quidam ex illis, qui ſupplicium paſſi ſunt, ſingulares preces ad B. Virginem compo- pag. 483.
ſuit, quæ integræ referuntur. Eodem loco L alii capite ſunt mulctati. Sed majus damnum Eccleſiæ Japonicæ illatum eſſe dicitur combuſtis lento igne novem Jeſuitis, inter quos *Provincialis* erat *Franciſcus Paciecus* d. 20. Jun. 1626. quorum omnium vitæ & elogia 497.
luculenter ab Autore referuntur. Anno 1627 novæ cruciatus & imma- Lib. XVIII.
niſſimæ ſpecies inventæ ſunt, quibuscum comparata vivicomburia, pag. 518.
lentus ignis, aſſatio in crate, pro ludo haberi poſſent. Condemnatis ante omnia candente ferro in fronte & genis inurebatur vox *Quirixitan*, i. e. Chriſtianus. Deinde fuſtibus ad mortem pene cæſi, 519.
nudata ſuperiori corporis parte, per multas urbes ſpectaculi cauſa circumducebantur, & palis alligati plebis ludibrio exponebantur. Digitorum articuli unus poſt alterum candenti forcipe, non impetu, ſed repetitis lentisq; morſibus decerpebantur, obligatis vulneribus & interpoſita mora, ut nova abſciſſione dolores redintegrarentur. Facibus piceis toto corpore uſtulabantur, infuſa poſtea cicatricibus aqua ferventi; enatis inde in carne hoc modo corrupta vermibus, ſummo cum dolore & fœtore exedebantur. Immerſi ſtagnis igne ſubterraneo bullientibus, & inde extracti in aquas frigore concretas intrudebantur, aut novis tormentis ſubjiciebantur, aut in ergaſtulis 539. 548.
elangueſcebant. Anno 1628 inſignis quidam ex Proceribus, Lib. XIX.
atrocitatis illius pertæſus, Imperatorem mitigari poſſe credebat, ſi pag. 557.
ſummam religionis Chriſtianæ perciperet, propter quam tot homines inaudita ſævitia perimebantur. Retulit autem octo præcepta aut capita, quæ Chriſtiani obſervarent & docerent: (1) ut quilibet de adipiſcenda animi ſalute omnibus viribus ſollicitus eſſet; (2) ut parentes honoraret; (3) ut heris & magiſtratibus obediret; (4) ut neminem occideret; (5) ut non furaretur; (6) ut ab adulterio abſtineret; (7) ne deſideraret id quidem; (8) ut male licet a Principibus & magiſtratibus habitus, minime tamen rebellaret. Hæc quidem vera & bona erant, ſed quæ formam Chriſtianæ religionis non conſtituebant, nulla Chriſti Servatoris mentione facta. Putat tamen Autor, barbarum illa ſaltem propoſuiſſe, quæ in vita civili maxime utilia eſſent, & Principibus placere poſſent. Sed ſiſti hac caute-

la ſævitia non potuit. Ejus continuatione plurimi ad defectionem compulſi ſunt, neque tamen conſtantiæ exempla defuerunt, ſed inſignia Nangaſaqui edita, ad *Mutium Vitelleſcum* Jeſuitarum Præpoſi-
pag. 566. tum Generalem A. 1629 & ſeq. relata ſunt. Cum vero multi ſenio licet confecti, mulieres gravidæ, & infantes teneri, omnia tormentorum genera fortiter perferrent, & mortem læti Deumque laudantes oppeterent, Diabolico invento, ut Autor loquitur, proviſum
575. eſt ab Imperatore, ut vitæ hominum parceretur, & tormenta tamdiu per intervalla continuarentur, donec apoſtaſia ſequeretur, & hoc potiſſimum modo totam fere Eccleſiam Japonicam everſam & deſolatã fuiſſe, Autor queritur, exemplum fortaſſe haud multum diſpar in patria ſua, ſi vellet, deprehenſurus. Anno 1630. monachi quidam Auguſtiniani, & celebris Jeſuita *Antonius Iſcida* Japon, ſupplicium ſubierunt. Hujus prolixa de carcere ſuo epiſtola exhibetur. Cum
579. benigne a magiſtratibus auditus fidei confeſſionem edidiſſet, nullisque blandimentis & minis perverti poſſet, plusquam triginta dies aquæ ferventis infuſione omniumque membrorum luxatione excruciatus, & tandem vivus combuſtus fuit. Prætereunda ſunt plurima, ne nimis prolixi ſimus, quia omnes tormentorum machinas explicare longum foret. Fiſtulæ naribus immiſſæ ſunt, ſulphure aliaque materia fœtida repletæ, deinde igne ſuccenſæ: tubi ferrei acuti partibus carnoſis impreſſi, pleni carne & ſanguine retrahebantur: aqua per fauces ingurgitata repleti homines pedibus conculcabantur, ut liquorem cum ſanguine per os, nares, oculos & aures redderent; quod quidem ſævitiæ genus in bellis noſtris a militibus in colonos exercitum fuiſſe meminimus. Alii ſerra lignea non quidem medii diſſecti, ſed ita in brachiis & cruribus, repetitis vicibus læſi fuerunt, ut tandem dolori ſuccumberent & Chriſtum negarent. Fuiſſe tamen dicuntur, qui apoſtaſiam coactam deplorantes, teterrimis ſuppliciis
Lib. XX. ſeſe obtulerunt. Anno 1631. novũ tormenti genus prioribus omnibus
pag. 605. atrocius expertus eſt *Nicolaus Keyan* Japonius, Jeſuita. Foſſa Tyrannorum juſſu putei inſtar aliquot pedum altitudine facta eſt, ad quam patibulum erigebatur. Suſpenſus in hoc, pedibus ſurſum, capite deorſum verſo, vinctis manibus pedibusque, totoque corpore faſciis, ne ſanguis nimis propere in caput deſcenderet, duriter conſtricto, ad genua usque foſſæ immittebatur; hanc aſſeribus tegebant, ut in obſcuro

Digitized by Google

obſcuro penderet. Sic inteſtina hominis inverſa ventriculo incumbebant; comprimebantur nervi; ſanguis ſenſim ad caput delatus per os, oculos, nares & aures exitum quærebat: accedebat fames & ſitis, & hoc cruciatu ad aliquot dies, etiam ad nonum usque excarnificati, miſerrime moriebantur. Nicolaus quidem ille poſt triduum expiravit, & interrogatus, nullum ſe dolorem ſentire dixit, quam quod Imperatorem, omnesque Japones non poſſet ad Chriſtum
convertere. Idem tormenti & mortis genus fortiter pertulerunt Jeſui- pag.608.
tæ alii Itali & Luſitani, & ex Japonibus *Julius Nacaura* regio genere na- 610.
tus, qui inter Legatos Romã miſſos fuerat. Poſt hos & alios memoran-
tur Provinciales Jeſuitarum duo, *Matthæus de Couros* & *Sebaſtianus* 613.
Vieira Luſitanus, quorum hic cum quatuor ſociis anno 1634 necatus.
Hic ab Imperatore juvene, qui patri A. 1631 defuncto ſucceſſe- 618.
rat, juſſus, confeſſionem fidei ſuæ brevi ſcripto complexus eſt. In ea cum inter alia Imperator legiſſet, quæ Chriſtiani de immortalitate animæ ejusque ſtatu, poſtquam e corpore deceſſerit, profitentur, ſubito exclamaſſe dicitur: *væ nobis, ſi iſta vera ſunt*. Sed his & aliis libri argumentis motum & territum increpavit avunculus magnæ apud eum autoritatis, quod nugis hominis peregrini & exploratoris fidem adhibere vellet, & graviſſimum periculum oſtendit, quod incurſurus eſſet, ſi extinctam pene ſectam Chriſtianam vires recipere ſineret. Omnium quæ ultimo hoc libro operis narrantur, maxime paradoxa & creditu difficillima ſunt, quæ de *Marcello Ma-*
ſtrilio referuntur. Hic, ut Autor ſcribit, illuſtri familia Neapoli 624.
progenitus, invitis ſuis Jeſuitarũ ſocietati aggregatus, cum periculoſo morbo decumberet, *Franciſci Xaverii* frequentibus apparitionibus & colloquiis non ſolum valetudinem recuperavit, ſed tanto illius imitandi ſtudio accenſus eſt, ut flagitare Præpoſitos ſocietatis non deſineret, donec miſſionem in Indiam & Japoniam impetraſſet. Hoc ejus inſtitutum & iter magnis, ut narratur, prodigiis divinitus probatum eſt. Cum Goam appuliſſet, lapis, olim repertus, (cui crux inciſa erat, & qui ſingulis Apoſtolorum feſtis, aut ſi quid rari & novi inſtaret, colorem mutare & ſanguinem ſudare ſolebat,) guttas ſan-
guinis tanta copia emiſit, per horas XXIV, ut multa linteola iis tingi 631.
potuerint: duæ Chriſti effigies oculos ſæpius aperuerunt & clauſerunt; omitto, quæ aperto Xaverii ſepulchro & aliis modis accidiſſe
dicun-

dicuntur. Cum menſe Septembri 1637 in Japoniam veniſſet Marcellus, qui in honorem Xaverii Franciſcus dici maluit, terra ſubito
pap. 641. horribili motu concuſſa fuit. Mox cum captus judicibus Nangaſaqui ſiſteretur, capiti ejus circulus cœleſti luce coruſcus circumfundi viſus eſt. Neque tamen hoc ei profuit, quo minus aqua ingurgitata ſæpiſſime, aliisque diris modis excruciaretur, & cum ad renegandam fidem adigi non poſſet, ad mortem in foſſa condemnare-
645. tur. Nocte, quæ ſupplicium præceſſit, iterum caput ejus cœleſti lumine circumfuſum ſplenduit, & precantis corpus in altum ſublevari viſum eſt. Cum in foſſa ad quartum diem pependiſſet, & in confeſſione fidei perſiſteret, nullumque capitis tumorem aut alia corporis mala in eo viderent carnifices, magnumque feſtum idolorum inſtaret, d. 17. Octobris foſſa retractum capite truncarunt, quod ſupplicii genus dudum revelatum ſibi eſſe, & in foſſa ſe non moriturum
647. dixerat. Miraculum tamen denuo narratur, quod bis gladio percuſſus vulnerari non potuerit, & lictor attonitus gladium abjecerit, illum vero ab ipſo Maſtrilio recipere juſſus tum demum tertio ictu caput illi abſciderit. Stant hæc fide referentium, qui tamen multa allegant teſtimonia: interim ſi vera ſunt, exemplo carent, neq; de ullo viro ſancto Veteris aut Novi Teſtamenti tempore paria leguntur, & in hoc tanto magis miranda ſunt, quia nihil ab eo in converſione barbarorum præſtitum eſt, ſed omnis ejus conatus breviſſimo
650. tempore miſerabili & funeſto fine intercidit. Anno 1638 Chriſtiani in provincia Arimenſi perſecutionum immanium pertæſi arma arripuerunt, & collecto 37000 hominum exercitu, caſtra communiverunt; ſed eductis adverſus eos ducentis armatorum millibus cum ſtrenue reſtitiſſent, & plus quam 60000 ex hoſtibus interfeciſſent, ad unum omnes cæſi ſunt. Flagitioſum inde facinus a Japonibus commiſſum eſt A. 1639, in quatuor Luſitanorum Legatos ex Maccao colonia miſſos, quorum primus erat vir illuſtris *Ludovicus Paezius Paciecus* Regii Dux exercitus. Hos ſecuri percuti juſſit Imperator, navemq; cum omni inſtrumento & donis, quæ attulerant, igne comburi, comites autem lembo impoſitos ad ſuos remitti, ut idem omnibus expectandum eſſe denunciarent, qui ex illa gente in Japoniam redirent. Poſt hæc quicquid de Jeſuitis ex Japonia relatum eſt, Batavorum narrationibus debetur. Ex illis percipitur, A. 1642 cum quatuor

tuor

tuor ſociis in foſsis enecatum fuiſſe *Antonium Rubinum* ſubalpinum Jeſuitam, poſtquam, incredibile dictu, per ſeptem menſes, ſingulis prope diebus, aquæ ingurgitatione excruciati eſſent. Aliorum etiam martyria A. 1647 & 1648 ex ejusmodi relationibus annotavit Alexander Rhodius Jeſuita. In fine libri recenſetur caſus *Chriſtophori Ferreiræ* Jeſuitæ Luſitani, qui A. 1633 foſſæ immiſſus, cum vix quinque horis cruciatum ſuſtinuiſſet, fidem abnegavit, præmiisque a Japonibus affectus ætatem ad octogeſimum annum produxit, & cum toto illo tempore apoſtaſiam illam ſuam ſecreta cordis pœnitentia deploraſſet, tandem abjecta impia ſimulatione, Chriſtianiſmi confeſſionem repetiit, & ſupplicium foſſæ conſtanter toleravit. Hoc pro certo affirmat Autor, quanquam non diſſimulet, eſſe qui de converſione hominis iſtius dubitent. Allegat *Theophilum Rinaldum* Jeſuitam multis exemplis probantem, quod etiam apoſtatæ pœnitentes & ad priſtinam fidem reverſi, corona martyrii a Deo honorati fuerint. Tantam vero Japonicæ Eccleſiæ cladem reſarciri poſſe, ſpem fovet Autor, ſi Chinenſe Imperium, pro eximio, qui nunc in eo deprehenditur, progreſſu ad Chriſtum convertatur; quod ſi fiat, de Japonum converſione non dubitat, cum Chinenſes ſolos ſapere credant, & diligenter imitentur. Optat tamen & Deum precatur, ut hæreticorum dolos avertat, ne Chinenſium proceres ſuſpicionibus adverſus *miſſionarios* impleantur, vel hi inter ſe, cum magno prædicationis Evangelicæ damno diſſideant. pag. 657.

JOHANNIS VLAK, DISSERTATIONUM Trias de Dei Operum & Pacis Fœderibus, atque de Juſtificatione. In quibus Veritas ex Sacra Scriptura, Antiquitate & Reformationis principiis ſolide demonſtratur, atq; Animadverſionibus D. M. Leidekkeri Viri Clariſſ. modeſte reſpondetur.

Amſtelædami, apud Cornelium Blankardum, 1689, in 8.

Conſtat plagulis 36.

IN Præfatione Apologetica, Diſſertationum Triadi præmiſſa, poſtquam originem controverſiarum, quæ cum celeberrimo D. Leidekkero ſibi intercedunt, atq; inſtituti ſui rationem expoſuiſſet cla-

riſſimus Autor, primum negat *Æterni Evangelii* titulum, quem li-
bro ſuo præfixerit, ex jactabundo profectum eſſe animo; in eo ta-
§. 30. 31. men imponendo ſe peccaſſe lubens fatetur: dein notat, Pauli diſ-
32. putationes circa doctrinam de Juſtificatione hominis coram Deo,
§. 49. in Epiſtolis ad Romanos & Galatas multum differre, & quidem in
Epiſtola ad Romanos Cap. II. III. IV. IX. X. & XI. Apoſtolum diſ-
ſerere contra Judæos, qui ex lege Moſaica, ſine Mediatore & gra-
tia Spiritus Sancti, juſtitiam propriam, & ſic vitam æternam quære-
bant; ſed in Epiſtola ad Galatas diſputare contra fideles ex Ethni-
ciſmo ſeu præputio, qui a zelotis Judaizantibus erant ſeducti, &
§. 50. ritus Moſaicos cum Evangelio conjungebant. Poſtmodum docet, le-
gem moralem per ſe non ad iram, ſed ad gratiam eſſe referendam,
cum in Veteris pariter atque Novi Teſtamenti Scriptura maximis
laudibus ad cœlum usque illa evehatur; nec hanc ſententiam cum
Pelagianorum hæreſi quicquam commune habere. Tandem ob-
§. 54. ſervat, legis nomine apud Paulum quoque totam Veteris Teſtamen-
§. 70. ti doctrinam innui; nec legem ab eodem promiſſionibus opponi.
§. 80. Sed hæc ex Præfatione delibaſſe ſufficiat. Ipſarum Diſſertationum
Prima, quæ *de Dei fœdere operum* inſcribitur, quatuor ſectionibus
conſtat. In quarum I. de fœdere Dei cum Adamo ante lapſum agit
Autor, & quidem ejusdem *cap. 1.* proponit ſtatum controverſiæ,
oſtendens ſibi non intercedere cum Leidekkero diſputationem de
origine nominis ברית, aut de varia illius ſignificatione vel uſurpa-
tione, nec de jure, ſed de facto quæſtionem eſſe, an Adami condi-
tio ante lapſum *fœdus* nominetur in Scriptura? *Cap. II.* probat, ex lo-
co *Hoſ. VI, 7.* fœdus inter Deum & Adamum in ſtatu integro fuiſſe
initum, non poſſe ſolide evinci, cum vox כאדם in citato loco ob-
via non tantum *ſicut Adam*, ſed & a nonnullis *ſicut homo*, vel *ſicut
hominis*, transferri ſoleat. *Cap. III.* negat, idem fœdus ex *Rom. III,
27.* probari, aut legem operum denominari poſſe, cum hic locus,
communi veterum pariter atque recentiorum interpretum conſen-
ſu, de lege operum Judaica ſit intelligendus. In *II. Sectione* demon-
ſtrare nititur, fœdus Moſaicum ſive legem non eſſe repetitionem
fœderis Adami ante lapſum, nec loca *Levit. XVIII, 1—5.* collat. cum
Deut. VI, 4. & 5. Ezech. XX, 1.—21. coll. *cum Cap. XVIII & XXXIII.
Nehem. IX, 29. Luc. X, 28. Rom. X, 5. Gal. III, 11. 12. Deut. XXVII,*

Digitized by Google

26. & Gal. III, 10. de fœdere operum, ſed de œconomia fœderis gratiæ Moſaica loqui. In *Sectione III* oſtendit, Reformatorum dogmata de peccato originali, ſatisfactione Chriſti ejusdemque obedientia legi divinæ præſtita, item juſtificatione hominis peccatoris coram Deo, ſine fœderis cum Adamo initi conceptu, recte explicari, & contra Adverſarios commode defendi poſſe. In *Sectione IV.* ejusque *Cap. I.* declarat, fruſtra provocari ad conſenſum Theologorũ, cum in doctrina de Adami fœdere, vel lege operum, Doctores Reformati maxime inter ſe diſſentiant, ut ex tabella, in qua controverſiæ & problemata ad capita certa reducta exhibentur, elucere queat. In *II. Cap.* negat ſe cum Socinianis facere, doctrinam de fœdere operum cum Adamo inito explicitam in dubium vocando; ac Socinismi incuſat Leidekkerum, ſtatuentem, ſub lege Adamo data cenſitos fuiſſe omnes poſteros, ut ſi eam obſervaret Adamus, cuncti reputarentur eam obſervaſſe, naſcituri cum juſtitia originali & connexo ſtatu; hinc enim infert: ſi Adam valuiſſet omnibus poſteris mereri ſua obedientia vitam æternã, quomodo in Adamo altero requireretur divinæ naturæ infinita dignitas, ad ſatisfactionis pretium ſive meritum non pro omnibus ſed paucisſimis electis? *Cap. III.* ab imputato logomachias vitio ſe purgare ſuſcipit. *Cap. IV.* demonſtrat ex fœdere æterno Patris & Filii male colligi, fœdus operum cum electis nullo modo erigi potuiſſe, atque e locis Jeſ. XLII, 6. XLIX, 8. Matth. XXVI, 26. II. Cor. V, 21. I. Cor. I, 30. 31. Gal. II, 21. illam impoſſibilitatem adſtrui inficiatur. *Diſſertatio* II. qua *de Dei Fœdere Pacis ejusque varia Oeconomia* agit, quatuor itidem ſectionibus abſolvitur. Quarum *prima* de æterno fœdere pacis ſeu teſtamento gratiæ in genere tractat, atque ſiſtit *Cap. I.* methodum mathematicam in *Æterni Evangelii* introductione obſervatam. *Cap. II.* ſummã illius libelli antehac editi exhibet. *Cap. III.* Fœderis gratiæ explicationẽ ex mente Leidekkeri proponit, atq; circa eam inter alia obſervat, ex locis *Jer. XXXI, 31. 33. Heb. X. 15. 16.* non probari ſucceſſionem fœderis gratiæ in locum fœderis operum ab Adamo violati, ſed Novi Teſtamenti in locum Veteris ſive prioris: maxime Leidekkerum in eo hallucinari, quod ſtatuat, fœdus gratiæ & Evangelium non habere præcepta, adeoque decalogum non eſſe formulam puri puti fœderis gratiæ: non ſervire Papiſmo, qui loca Levit,

XVIII, 5. & Deut. XXVII, 25. de œconomia fœderis gratuiti legali exponat: Petrum Baronem & Coccejum propter opinionem de decalogo primitus dato in purum fœdus gratiæ, Pelagianiſmi injuſte accuſari. Sub finem hujus capitis Articuli Lambethæ A. 1595 d. 20. Novembr. conditi adducuntur, ut appareat, Baronis ſententiam in iisdem non fuiſſe condemnatam. In *Sect. II.* diſputat *de Fœderis Gratiæ Oeconomia ante legem, ſive de Promiſſione*, & quidem *Cap. I.* nonnulla de nominibus Veteris & Novi Teſtamenti ſeu Fœderis, item Legis & Evangelii in medium affert. *Cap. II.* Fœdus gratiæ ab initio ſtatim poſt Adami lapſum viguiſſe concedit, at Vetus Teſtamentū non in Paradiſo, ſed in monte Sinai demum initium habuiſſe contendit, & ſub finem monet, controverſiam tantum eſſe de nomine Veteris Teſtamenti, ſcilicet an ſeculis & œconomiæ fœderis gratiæ ſub promiſſione ante legem denominatio Veteris Teſtamenti ex Sacræ Scripturæ uſu recte attribuatur? *Cap. III.* In Fœdus gratiæ ſub promiſſione a tempore Noachi ad Abrahamum pauciſſimis inquirit, & de illo ſibi nullam eſſe motam controverſiam obſervat. *Cap. IV.* Fœdera promiſſionum Abrahami perluſtrans, judicat a Paulo in Epiſtola ad Romanos conſiderari Abrahamum in triplici ſtatu, ante vocationem ut impium, ſaltim ut reum, & exemplar omnium hominum; deinde ut Dei fœderatum per fidem in præputio, ut typus eſſet juſtificationis gentium, in libertate ſine operibus legis; denique in ſtatu circumciſionis, & ſic patrem eſſe non ſolum omnis ſeminis circumciſi, juxta litteram, ſed patrem proprie omnis ſeminis etiam non circumciſi, ambulantis in veſtigiis fidei Abrahami, qui fuit in præputio. Ex quibus principiis cenſet Caput IV. ad Romanos, & III. atque IV. ad Galatas facillime explicari, & Jacobum cum Paulo conciliari: nam juſtificationem impii elucere in vocatione ex primo ſtatu & remiſſione peccatorum continua; juſtificationem pii & fidei efficacis ex bonis operibus in ſtatibus ſequentibus; nempe Veteris Teſtamenti in circumciſione, inſtar omnium operum legis; in præputio vero juſtificationem Novi Teſtamenti juxta fidem & opera, ſecundum legem libertatis, *Rom. IV. Jacob. II. Gal. III. 8.* In *Sectione III. Oeconomiam Fœderis Gratiæ legalem Moſaicam* perluſtrandam ſibi ſumit, & *Cap. I.* ſub examen revocat primum nonnullas propoſitiones Leidekkeri, earumque aliquas approbat, aliquas vero, ut minus ſolidas & accuratas

curatas impugnat, quarum una eſt: *Finis νομοθεσίας, etiam Decalogi, fuit Oeconomia legalis, quæ haberet Evangelicum ſcopum*; altera: *Oeconomia hæc legalis, cum eſſe nequeat Fœderis operum iterata erectio, debet ſita eſſe in juris iſtius Fœderis operum aperta, continua & rigoroſa prædicatione, facta ad convictionem de peccato & miſeria, ante claram Evangelii manifeſtationem, ut Eccleſia eo magis ad quærendam in Chriſto venturo liberationem compelleretur.* Deinde ad ipſius rationes, quibus contra Coccejum inficiatus fuerat, Vetus Teſtamentum incepiſſe a monte Sinai, & fœdus a Sinai *Gal. IV, 24.* eſſe ipſum Vetus Teſtamentum, reſpondet. *Cap. II.* poſtquam Fœdus Dei Moſaicum ad quatuor capita revocaſſet, ſcilicet illius oblationem, initiationem, renovationem, & confirmationem; ad illius a Deo oblationem & a populo receptionem, ex Exod. XIX, 3.—8. ſeſe confert, & tam ex ſtipulatione quam promiſſione a Deo facta evincere ſtudet, fœdus hoc non obedientiam omnibus numeris perfectam & abſolutam, ſed ſinceram tantum poſtulare. *Cap. III.* Fœderis Moſaici initiationem propoſiturus, tribus Articulis dicenda includit. In *primo* apparatum in Monte Sinai, tum ratione Moſis e citato Exodi *Cap. XIX. verſ. 9*, tum ratione populi *verſ. 10.—16*, tum ratione ipſius Dei *verſ. 16.—25.* paucis conſiderat, innuens, illuſtrem & horrendum iſtum apparatum, ſeu manifeſtationem Dei majeſtatis & gloriæ, non fuiſſe ex ira, vel ſignum erectionis Fœderis operum, ſed ex amore & gratia, ut timor Dei eſſet ante faciem populi, Exod. XX, 20: præterea pertinere apparatum illum ad totam legislationem Moſaicam atque Veteris Teſtamenti œconomiam gratiæ, ut ex *Hebr. XII, 18—26.* liqueat. In *ſecundo Articulo* ad Decalogum progreditur, ac poſtquam ex ipſius tum præfatione, tum præceptis, tum ſubjunctis promiſſionibus atq; comminationibus, Fœdus gratiæ probare ſuſtinuerat, objectionibus quibusdam ſatisfacere allaborat. In *tertio Articulo* ex eo, quod Fœdus cum Populo Iſraelitico per Moſen factum vocatur Teſtamentum, & quidem prius, imo & lex, infert, non male initium prioris Teſtamenti conſtitui in illa initiatione vel dedicatione fœderis: deinde Vetus Teſtamentũ paſſim appellari legem, adeoq; hæc eſſe ſynonyma ejusdẽ latitudinis: tertio, fœdus hoc initiatum eſſe ſuper omnia præcepta, promiſſiones, comminationes, ſive omnia verba Decalogi, quæ nomine Jehovæ a Moſe reci-

tata & in illo libro deſcripta ſunt: quarto, hinc illa omnia ſcheſin accepiſſe fœderalem gratuitã Veteris Teſtamenti, poſtulantis obedientiam ſinceram, promittentis & obſignantis per ſacrificia remisſionem peccatorum, comminantis maledictionem eis, qui acerbant Angelũ, in quo eſt nomen Jehova. *Cap. IV.* probare inſtituit, poſt idolatriã Iſraelitarum in deſerto, ejusq; peccati per interceſſionem Moſis remiſſionem, Decalogum & idem fœdus fuiſſe renovatum, adeoq; omnia præcepta ſequentia, ut & Decalogum, non acquiſiviſſe ſchema vel ideam Fœderis operum, ſed permanſiſſe in eodem ſtatu, quo ante, id eſt, Fœderis gratiæ œconomia Veteris Teſtamenti ad vitam æternam. *Cap. V.* decem argumentis demonſtrat; in Deuteronomio idem prorſus fœdus repeti ac confirmari, quod in Exodo deſcribitur. In *Sect. IV. de Evangelio ſeu Fœderis Gratiæ Oeconomia in Novo Teſtamento* agere inſtituit, exponens *Cap. I.* nomen Evangelii ejusque varium uſum in Sacra Scriptura, atque obſervans vocem Evangelii nunquam Oeconomiam Veteris Teſtamenti Promisſionis, vel legis Moſaicæ ſignificare, ſed ſemper & abſolute Oeconomiam poſt Chriſtum. *Cap. II.* quid Novum Teſtamentum ſit, & quomodo a Veteri differat, tradit. *Cap. III.* potiſſimum docet, in Novo Teſtamento ſive novo fœdere non poſtulari ſolummodo veram fidem, ſed etiam operibus ſano ſenſu juſtificationem & præſertim confœderationem peragi. *Cap. IV.* Differentiam Veteris & Novi Teſtamenti e loco Ierem. XXXI, 31–35. monſtrat. Cui *Cap. V.* diſcrimen Fidei Promiſſionis, Legis & Evangelii ſubjungit, atque clariſſimum Vitringam in capitibus hiſce theologicis amiciſſime conſpirare, ex Aphoriſmis ab illo editis probat. *Diſſertationis Theologicæ Tertiæ*, in qua de *Juſtificatione* ex profeſſo diſſerit, *Sectio I.* quatuor capitibus abſolvitur, in quorum *I.* hujus doctrinæ neceſſitatem & methodum; *II.* juſtificationis nomen, naturam & membra; *III.* doctrinæ hujus aliquod ſpicilegium ex cap. 2. part. 3. Æterni Evangelii proponit, atque inter alia duos juſtificandi modos, alterum, quo quis ob Chriſti juſtitiam imputatam, alterum, quo propter juſtitiam inhærentem, apud Deum juſtus declaratur, ſtatuit, eosque bene quidem diſtinguendos, at non ſeparandos eſſe judicat; duplicem item juſtificationem, quarum una in hac vita, altera in extremo judicio obtineat, idemq; ac vitæ adjudicatio ſit, propugnat. *Cap. IV.* ſummatim refert, quæ in Exercitatione ſua ad ſobriam ſapientiam

Digitized by Google

entiam pertractarat. *Sectione II.* Apologiam doctrinæ de Iuſtificatione inſtituit, & quidem *Cap. I.* tria themata a Leidekkero, ut principiis Reformationis contraria, rejecta ſub examen revocat, quorum primũ: *Juſtificationem in peccati remiſſione conſiſtere, & eatenus in ſolo Chriſto ejusq; morte fundari.* Hoc quamvis ſuum eſſe neget, veriſſimũ tamen id, & Scripturæ, Confeſſionum Symbolis, atque doctrinæ ab ipſo Leidekkero alias traditæ convenire oſtendit. Alterum: *Paulum agere de illa Juſtificatione ſive Remiſſione Peccatorum, quæ in ſolo Chriſto ejusque morte fundatur, præſertim in Epiſtola ad Romanos.* Hoc itidem ſuum eſſe inficiatur, a veritate tamen, libris ſymbolicis & ipſiusmet Leidekkeri ſententia haud alienum eſſe demonſtrat. Tertium: *Juſtificatio, quæ conſiſtit in peccatorum Remiſſione, recte appellatur Juſtificatio impii.* Illud paulo aliter ac a ſe factum fuerit, propoſitum eſſe, nihilominus & iſtud cum orthodoxia, Confeſſionibus & Leidekkeri opinione congruere animadvertit. *Cap. II.* Themata alia prioribus adjungit, & quod ordine quartum eſt: *præter Juſtificationem impii datur etiam juſtificatio pii*; ſuum agnoſcit, tanquam Scripturæ, celeberrimis Reformatis, ipſique Leidekkero antehac probatum. Thema quintum, quod a Leidekkero verbis ſequentibus conceptum: *Juſtificatio pii fundatur in juſtitia inhærente per operationem Spiritus Sancti*; ita proponi mavult: *Juſtificatio pii fit ex operibus, tanquam pietatis & juſtitiæ inhærentis per Spiritum Sanctum documentis ſeu argumentis, ſecundum quæ documenta Judex Deus abſolvit ab hypocriſeos reatu & mundi potiſſimum atque diaboli criminationibus* idq; tuetur. Thema ſextum: *Juſtificatio pii fundatur etiam in juſtitia Evangelica juxta legem & præcepta Chriſti*; pro ſuo non vult haberi, verum tamen illud ſano ſenſu, ejusque Antitheſin falſam eſſe cenſet. Nec thema ſeptimum hiſce verbis propoſitum: *Ex juſtitia inhærente homo juſtificatur coram Deo in adjudicatione vitæ, non reſpectu tantum quarundam actionum, ſed etiam reſpectu ſui ſtatus*; ſuum eſſe ait: attamen concedit, hominem etiam ex verbis & operibus juſtificari in adjudicatione vitæ, non tantum ex uno vel altero opere, ſed ex tota vitæ ratione & continuatione perpetua. *Cap. III.* proponitur thema octavum: *Beneficia ſalutis ſic eſſe connectenda, ut primum ſit vocatio, ſecundum remiſſio per Chriſtum, tertium ſanctificatio, quartum liberatio a reliquiis peccati, caſtigationibus & accuſatio-*

cuſationibus diaboli, in qua includatur juſtificatio pii & ſanctificati ad vitam æternam: quod non tam ſuum, quam ipſius Pauli 1. Cor. I. 30. adeoq; veriſſimum, illiusq; Antitheſin falſam aſſeverat. *Cap. IV.* Injuſtas Leidekkeri, ut vocat, criminationes, quibus propter octo illa themata ſe traductum conqueritur, retundere ſuſcipit. *Sectione III.* inquirit in theſes a Leidekkero de Iuſtificatione propoſitas, & quidem *Cap. I.* notat, quod male juſtificationem ad Oeconomiam Patris retulerit, & ante Oeconomiam Filii vel Spiritus Sancti de ea agendum eſſe cenſuerit, cum Filio potius juxta Scripturæ Sacræ ductum tribuenda, & poſt Chriſti meritum & beneficia explicanda ſit. *Cap. II.* circa definitionem Iuſtificationis obſervat, imputationem Juſtitiæ Chriſti non eſſe actum juſtitiæ proprie, ſed pacti, atque conſiſtere in applicatione meriti Chriſti & omnium beneficiorum, quæ propter Chriſti meritum electis donentur: fidei in Chriſtum per vocationem primam donationem, eſſe proprie actualem declarationem juſtificationis impii: juſtificationem in ſua formali ratione non notare remiſſionem peccatorum, neque adjudicationem vitæ, ſed ſententiam ſive judicium, quo ex juſtis argumentis a patrono vel reo adductis, innocens declaratur a judice reus, & a criminationibus liber, adeoque abſolutus a pœna poſtulata; vel etiam declaratio judicis eſt, qua judicat reo competere proprietatis jus, ſeu juſtitiam ad hæreditatem vitæ æternæ juſto titulo poſſidendam, contra omnes ejus adverſarios, qui ſuum jus, titulum & proprietatem oppugnant. *Cap. III.* monet, juſtificationem peccatoris credentis, quatenus conſiſtit in imputatione juſtitiæ Chriſti, vel juſtitia imputata, diſtinguendam eſſe a Juſtificatione Filii ſponſoris, quippe olim in cruce peracta & reſurrectione demonſtrata: Imputationem juſtitiæ Chriſti non ſolum in juſtificatione, ſed omnibus beneficiis Chriſti peræque eſſe attendendam: diſtinguendam eſſe juſtitiam Dei, quæ ejus attributum eſt, a juſtitia Chriſti ſponſoris activa & paſſiva, ejusque Chriſti obedientiæ effectu, quatenus illa obedientia ipſi Chriſto, deinde & nobis applicetur: ſuæ ſententiæ de juſtificatione ſummam eſſe, quod juſtitia Dei retributiva, propter juſtitiam Chriſti ex pacto præſtitam, nobis Chriſti meriti mercedem, id eſt, juſtitiam ſive ſalutem omnem applicet, communicet, vel imputet. *Cap. IV.* cenſet in regula Auguſtini notiſſima: *Bona Opera*

non

Digitized by Google

non præcedunt juſtificandum, ſed ſequuntur juſtificatum;ab eodem nomine juſtificationis intelligi gratiæ & virtutum infuſionem per actum phyſicum, quo actu primum fides infunditur: non accurate dici, per ſolam fidem donari nobis juſtitiam Chriſti, & fidem ſolam nos juſtificare; ac pro ſua ſententia adducit Bucerum, qui monuerit phraſin hanc poſteriorem eſſe ſcandaloſam, ac Paulum a Juſtificationis circulo non quævis, ſed ceremonialia tantum opera excludere. Notat item, contra Sacræ Scripturæ ſtylum dici,ad remiſſionem peccatorum obtinendam a parte noſtra nihil requiri, niſi veram in Chriſtum verum Redemtorem fidem, quia nunquam ſine pœnitentia obveniat remiſſio peccatorum. *Cap.V* negat, remiſſionem peccatorũ ſemper eſſe plenariam, cum in Veteri Teſtamento quædam remiſſio typica,præſertim in die expiationis,pro peccatis totius populi fuerit; item cum detur remiſſio pœnæ temporalis, vel totius populi, vel alicujus in ſpecie ſive impii, ſive pii ratione gravioris peccati: negat in peccatorũ remiſſione gradus dari non poſſe, cum ſint gradus peccati & peccatorum, nec tot & tanta peccata remittantur infantibus quam adultis: negat, ablata per Chriſtum noſtra culpa non poſſe manere pœnam fideli infligendam, cum Adamo & Evæ multiplex irrogata fuerit pœna propter ipſorum peccata, & quia ipſi Electi non ſint liberi a peccato, morte,& omnibus afflictionibus: negat largam Dei bonitatem non dimidiare veniam,quia Deo etiam,cum ultionem ſumit de actionibus aliquorum, condonatio in Scriptura tribuatur: negat, ſe poſſe concipere, quod ſatisfactio Chriſti ſit infiniti valoris, atque id claro Scripturæ dicto probari,optat: oſtendit tandem, non poſſe proprie ſine apertiſſima contradictione dici peccatum remisſum, antequam ſit commiſſum. *Cap. VI* obſervat, Piſcatorem a Juſtificatione Juſtitiam Chriſti activam non excluſiſſe, ac miratur a Synodo Gallica Vapenſi hanc quæſtionem Piſcatori motam fuiſſe: cum verba Confeſſionis Gallicanæ eadem doceant, & Chamierus Synodi ejusdem Præſes non diſſimilia tradat. In eodem capite inficiatur,Articulum de Juſtificatione ab Antiquis ante tempora Reformationis recte fuiſſe explicatum. *Cap.VII* inconſtantiam Leidekkeri circa juſtificationem pii diſtinctam a juſtificatione impii notat, obſervans in prima editione Oeconomiæ Trinitatis illam diſtinctionem abſolute ab eodem laudari, jam vero cum limitatione concedi,

cedi, imo ex Owveno prorſus refutari. Cujus poſtmodum argumenta contra juſtificationem pii ſive perſonalem, ut vocat, in medium affert, & ad eadem reſpondet. *Cap. VIII* Leidekkeri cenſuras circa diſtinctionem παρέσεως & ἀφέσεως ut acerbiores & minus accuratas rejicit, atque autumat, quæſtionem ſuper illa cum detrimento orthodoxiæ in capite rei haud eſſe conjunctam. Ejusdem quoque diſtinctionem inter juſtificationem ex operibus & juſtificationem ſecundum opera ineptam judicat, quia Sacra Scriptura hæc pro iisdem habeat. *Sect. IV* ejusque *Cap. I* incuſat Leidekkerum, quod Anglorum quorundam ſententiam cum ſua convenire tradat, ſed ſpeciatim non oſtendat, in quibus Articulis illa ſit convenientia. *Cap. II* Amyraldus pariter atque Le Blanck a fermento Papiſtico circa doctrinam de Juſtificatione per opera; & ille quidem ipſius Leidekkeri verbis, hic autem ex diſputationibus, quas de Fide ejusque certitudine conſcripſit, vindicatur. *Cap. III* notis quibusdam Anonymi libellum Gallicum in Epiſtolam ad Romanos illuſtrat. *Cap. IV* Epiſtolam Claudii, viri celeberrimi, in qua defendit, hominem fidelem, quem Deus recepit in ſuam communionem per Chriſtum, adeoque quem juſtificavit & adoptavit in numerum ſuorum filiorum, qui poſtea lapſus fuerit in gravisſima peccata, de quibus nondum egit reſipiſcentiam, non eſſe in ſtatu ſalutis ſed condemnationis, ratione judicii Dei, excuſat.

EXERCITATIO THEORICORUM COPERNICO-cœleſtium mathematico-phyſico-theologica.

Anno 1689, in 4. Conſtat plag. 21.

MAtheſeos ſecretioris cultorem *Autor* in fronte exercitationis ſe profitetur, ſub *Philaletha* & *Philadelphia* nominibus ſuum, locique, quo liber hic anno ſuperiori excuſus eſt, ſtudioſe nomen occultans: cui arbitratui ſuo eundem lubentes permittimus, utut de *Autore* ſic ſatis nobis conſtet.

In *partes* tres, *pure mathematicam*, *phyſicam* & *theologicam*, tractatus diſtinguitur. Quarum *prima* propoſitiones de Eclipſibus Luni Solaribus exhibet pure mathematicas, quorumcunq; Autorum etiam

etiam particulariſſimis hypotheſibus inædificandas: quibus, quæ ab aliis hic loci vel omiſſa, vel errata, vel difficulter propoſita cenſet *Autor*, reſtituuntur. Præmittitur iis *diagramma Hipparchicum*, non abſimile *Kepleriano*, *Epit. Aſtron. Copern. p. 860*, & *Horocciano*, *Oper.* ejuſdem *poſthum. p. 106*; ſed utroque hoc auctius, & exhibendis quibusque menſuris diſtantiarum & ſemidiametrorum, ad elementa Eclipſium requiſitis, inſtructum: adjecta luculenta ejusdem expoſitione, quam deinceps ipſæ propoſitiones inſequuntur, in ſectiones duas, ſectionumque capita diſtributæ. Primam Sectionem occupant Problemata, computo Luminariũ cum aliis cœli punctis communia, quæ vulgo Problemata primi mobilis dicuntur: Alteram calculo Eclipſium Luni Solarium propria: quibus reductio Luminarium; arcus inter centra verus & ampliatus, termini Eclipſium; Semidiametri, Terræ & Solis, Umbræ & Penumbræ Lunaris, e Luna aſpectabiles, Umbræ & Penumbræ Terrenæ, irradiationis Solaris; ſemianguli conorum (Lunæ & Terræ) Umbroſi & Penumbroſi; ſcrupula Umbræ, Penumbræ, & harum centrorum; aliaque ad phaſes, tempora & loca phaſium, quantitatemq; Eclipſium ſpectantia determinantur. Singula hæc *Autor* perſpicue, utplurimum ope Schematiſmorum, calculo per Logarithmos non impedito, ſcholiisque, materiam pro re nata illuſtrantibus, adjectis perſequitur. Juncta ſunt ſingulis propoſitionibus emblemata ſacro poetica, diſticho ſacrarum literarum teſtimoniis innixo comprehenſa: quibus *Autor* Chriſtianã mentem per ſingula operis argumenta ad ſpiritualia deguſtanda, tanquam admotis ſcalæ Jacobeæ gradibus evehere contendit.

Cæterum Clariſſimo *Autori* gratias habet Collega noſter, quod eum *prop. 37mæ Scholio* erroris in calculo *Diſput.* de *Eclipſi Terræ*, ante annos plus minus viginti conſcriptæ, & quadriennio poſt, ſolius exercitii academici cauſa habitæ, commiſſi voluerit admonere. Quamvis autem error iſte (circa latus VC, quod juſto majus ibi conſtitutum eſt) in argumento a diſputatione alieno, & quod per theorema ibidem propoſitum expediri aptius poteſt, vix meretur attendi: ejus occaſione tamen reticere Collega noſter noluit, differentiolas inter *Autoris* & dictæ diſp. calculos, prop. 53, 54, 57 animadverſas, eſſe ex principiis calculi ſui non usquequaque limatis; Sinubus ſcilicet Semidiametrorum Solis & Lunæ apparentium, quinq;

tantum notarũ numericarum: qui ſi numeroſiores ex Tabulis prolixioribus,ac *Snelliana* ſunt,aſſumantur, cum Semidiametros Luminarium veras, & diſtantias perigeas aliquanto majores efficiunt, ac § 70 *Diſp. citata* exhibet; tum diverſitatem ab Autoris numeris omnem tollunt. Ipſam vero Diſputationem & calculos ibi traditos tanti nunquam Collega noſter habuit, ut vel in exemplum proponerentur, vel cum ſcitis celebrium mathematicorũ contenderent. Quo magis miratur,eorundem labores & prolixitatem toties ſibi ab *Autore* objici: quorum cauſas non ſatis attendiſſe ſibi videtur,quosque in Tabellas identidem collectos, unoque obtutu luſtrandos, aut prolixiores ac ſuos, ſparſim & per capita hinc inde expoſitos, exiſtimavit; aut omnino aliter atque factum eſt, ſubductos opinatur. Quæ tamen *Autori* noſter facile condonat, ut & errores ſibi prop. 26 & 66 imputatos: quorum primum nullum eſſe oppido animadvertet, ſi locum ipſum cum propos. 25 & 26, quibuscum examuſſim convenit, ſolicite conferat; poſteriorem vero ſphalma typographi eſſe, tum ex natura analogiſmi (ut Semidiameter Terræ, ad Semidiametrum Penumbræ; ita 12 Digiti ad quantitatem Eclipſeos) § 72 propoſiti; tum ex textu ſubſequente, collato cum locis *Almageſti*, *pag.* ejus 342, ibidem; & *pag.* 341 not. *oo Diſputationis* citatis, juxta cum æquis Lectoribus aliis cognoſcet.

In *ſecunda* parte cauſas motuum cœleſtium, prout a diverſis diverſe excogitatas habemus, ordine quo inventæ ſunt,ita ſiſtit, ut ſimul appareat, qua occaſione ſinguli autores in ſuas inventiones inciderint, & quantæ molis ſit naturales motuũ reddere cauſas. Orditur a *Veterum* ante *Keplerum* philoſophia; inde *Kepleri*, *Bullialdi*, *Riccioli*, *Carteſii*, & noviſſimam Celeberrimi *Newtoni*, nobis *Actorum anno 1688*, *pag. 303 ſeqq.* memoratam, hypotheſes proponit: ſuccincta exegeſi ſingularum argumenta referens, ſubnexis, quæ unamquamque premunt difficultatibus. Propriam vero ſuam ita enunciat: *omnes Planetæ, præter Solem Planetarii ſyſtematis centrum perenne, Φορᾷ deſcribunt ellipſes oriundas ἐκ δινήσεως, tum propriæ ſeu internæ, tum Solaris ipſis externæ. Utraque autem motus ratio, hac immediate, illa hac cauſante ab energetica Planetarum & Solis mutua inter ſe virtute dependet. Eſt enim in univerſo hoc (pro ſingulis Fixarum ſyſtematibus ſingularis)* lucipeta *vis omnium corpuſculorum*

Digitized by Google

rum tenebricoſorum, tum in aura atherea, tum in Planetis, nec proprie centripeta. *In Sole vero activitas quapiam & vis oblique refuga denſitatis tenebricoſa, propellens, egrediente luciaiſſimo ſpiritu, aut ſpiritualibus particulis Univerſum permeantibus, moleculas illas obſcuras, corpus ſuum dilucidiſſimum nimia appetentia obruituras. Et hac eſt*, Autore indice, *continua illa Macrocoſmi circulatio, inter Solem cor mundi, & particulas ejus, & reliquorum membrorum in venis macrocoſmicis ſibi occurrentes, & reſpondens circulationi microcoſmi ex continuante particularum contrariarum in venis microcoſmicis & corde meantium, unarum in cor irruptione, alterarum ab eo manantium propulſione oriunda.* Hanc peculiari opuſculo ſe demonſtraturum pollicetur *Autor*, breviſſima tamen interea declaratione dilucidat, & quod in ipſa Sacra Scriptura fundetur, *tertia Exercitationis* hujus *parte* oſtendere laborat.

Hac enim *tertia* parte, mathematico-phyſico-theologica, Aſtronomiæ Copernicææ cauſam argumentis, e lumine partim naturæ, partim Scripturæ petitis, ex profeſſo defendendam *Autor* ſuſcipit. Præfatur, male a Copernicanis fieri, quod in ſententiæ ſuæ patrocinium textibus ſacris, ab adverſa parte contra ſe intortis, popularem ſenſum affingere audeant, nec Spiritus Sancti loquelam, utique cum ſcandalo, ut ſumme veracem & accuratam in pretio habeant: Theologos vero ex adverſo ſperat, ubi vel ipſa litera aſſenſum motui Telluris præberi, vel ſana ratione & experientia eundem demonſtrari viſuri ſint, manifeſto veritatis teſtimonio non refragaturos.

Ex principiis porro Theologiæ Platonico-Chriſtianæ Solem aſſerit centro lucidiſſimo conglobatum eſſe, & ſpiritu actuoſiſſimo totum Syſtema Planetarium implere, ſeſe indeſinenter & abſque omni defatigatione circumrotando illocali mutatione: contra Terram noſtram, aliosque Planetas obſcuratos, partim vel circa axem proprium gyrari vel oſcillare, partim circa Solem circumire, mutuatitio ejus lumine fruentes. Hanc vero propoſitionem ex principiis ſuis deducturus *Autor*, prolixo diſcurſu, per argumenta ſublimia & recondita, conciſo tamen ſtylo, ita diffunditur: ut niſi totum exſcribere, quod moris non eſt noſtri, velimus, quæ memorare, quæ ſilere oporteat, oppido ambigendum nobis fuerit. Malumus ergo B. L.

ipſum, quæ de ſumme majeſtatico τρισυποστάτως myſterio; ordine creationis a mentibus creatis cœpto; triplici angelorum hierarchia, eorumque ex cauſa formali & materia metaphyſica compoſitione; de magia ſeu vi rerum productiva triplici; centris lucis mentalis creatæ innumeris, ſtellis Jobi matutinis; mari chryſtallino ſeu paradiſo angelorum; animalibus Ezechielianæ viſionis; objectis angelorum productivis αἰσθητοῖς; Throno Luciferi ejusq; lapſu, & hunc inſecuto horrore ac anxietate Throni modo dicti, ob caſum rectoris ſui (cujus magnitudo, ex Naturæ tremore, cum filius hominis, plenarius tandem Throni hujus reſtaurator futurus, crucifigeretur, oborto, æſtimari queat) ordine & proceſſu ſextiduanæ creationis, & Spiritus Sancti ad eandem concurſu; lucis primigeniæ in creatione actione; ſtellis lucentibus & illuminatis; Sole, involvente Ezechielis igne; lucipetentia caliginoſorum Planetarum ſenſata, & creaturarum ſenſitivitate; efficientia ſiderum, & morbis aſtralibus; principio caliginis & quietis, illuminationis & motus Planetarum; æſtu maris; gyratione Solis & Planetarum, horumque ſatellitio; pluribusque aliis ſimilis momenti, ab *Autore* noſtro erudiri, quam textu in anguſtias nobis ſuetas arctato, eidem plus tenebrarum offundere, quam lucis accendere.

Cæterum huic Philoſophiæ ſuæ contrariari atomiſticam ſeu corpuſcularem, in varietate figurationum, quas minimis corpuſculis tribuit, cauſas rerum phyſicas conſtituentem, eamque vere pulverulentam, imo in Deum injuriam ſemper ſibi viſam *Autor* pronunciat: quod a mente creatrice, cujus indolem omnia, quantum poſſunt, quoad primordiales ortus imitentur, tam longe alienas creaturas faciat, quas univerſas *ipſe* ſpiritu aliquo, a mente optima creato, ejusque æmulo, agitante caleſcere & ordinari, eumq; eſſe, qui Pſal. 104 diverſo reſpectu *Spiritus creaturæ* & *Domini* dicatur, exiſtimat; laudatq; tractatum Hamburgi editum, de *nova & curioſa ſpirituum medicina*, plus ſcilicet veritatis continentem, quam univerſa Atomiſtarum Sophiſmata.

Quod argumenta porro concernit, quæ e ſacris literis contra Syſtema Copernicanum afferuntur, eadem Autori magis id adſtruere quam deſtruere cenſentur. Quantum enim I *ad ſtationem Solis, a Joſua imperatam:* præter ea quæ interpretationi in gratiam hypothe-

hypotheſeos Ptolemaicæ factæ opponit, Joſuam non tantum Solem ſed & Lunam ſtare juſſiſſe, quæ tamen ad diei prolongationem nihil conferre potuerit, monet. Manifeſtum igitur eſſe, eum talem Solis quietem petiiſſe, qua cum Luna cæteri Planetæ, totumque adeo Syſtema cœleſte quieſceret, quod non juxta vulgarem, ſed Copernicæam Aſtronomiam literaliter poſſit impetrari. Utut enim hæc Soli motum diurnum annuumque ſubjective deneget; multo tamen nobiliorem ei tribuere aſſeverat, quo in mundi medio velut Rector totius vorticis Planetarii reſidens, & circa ſuum centrum radicaliter rotatus, cauſa ſit omnis motus in mundo ſuo, cumque Planetis & Terram circumducat. Quemadmodum igitur auriga currum ſiſtere volens, non currum ſed equos currum trahentes quieſcere jubeat: ſic Joſuam Solem, principium omnis motus, omnemque potentiam mobilem ad movendum impellentem, ſtare juſſiſſe, quo ſtante totum ſyſtema cœleſte ſiſti neceſſum fuerit. II. Pſalm XIX, 5, 6, 7, negat literaliter in vulgari Aſtronomia explicari poſſe; Copernicæam vero, *proceſſum Solis ceu ſponſi de thalamo &c.* ſive de primæva creatione, ſive de præſenti Solis ſtatu exponatur, eidem optime quadrare. Juxta prius enim, lucem primigeniam, ex ſummo & extimo cœlo, quod omne pervaſerat, concentratam in Solem, & ex centro tanquam thalamo, veluti nova veſte ornatum ſponſum, ad ſummam usque ſuperficiem vorticis ſui & ultra recurrere: juxta poſterius, Solem tanquam ſponſum de centro (thalamo) ſuo, ubi radicaliter & localiter quieſcit, procedere radiatione ſua inſtar gigantis exſultantis ad percurrendum totum verticem. III Locum 2 Reg. XX, non *retroceſſionem* ipſius *Solis*, ſed *Umbræ Solaris* in ſciatherico ſignificare, quæ literaliter ſalva Copernicæa hypotheſi intelligi poſſit: Jeſ. vero XXVIII, Umbræ & Solis retroceſſionem expreſſe & notanter ad ſciathericum reſtringere, ne de Solis motu locali in cœlo, qui nullus ſit, intelligantur. Retroceſſionem autem illam vere & originaliter in Sole contigiſſe, cum retroeunte Sole in gyratione centrali, retroceſſerit etiam omnis animæ Solaris radiatio per univerſum verticem; ita ut Sole ab eois partibus ad occiduas retromeante, Tellus Solem gyro ſuo inſequens, neceſſario ad illam plagam retroceſſerit, Umbræque & Solis in ſciatherico viciſſitudinem illam induxerit. IV. Job. IX, *motum Terræ de loco ſuo*, interpretatur *Autor* de motu, non quocunque,

cunque, ipſi quieti; ſed motu violento & particulari, motui naturali, perenni & totali oppoſito: e *columnarum* vero, quæ Terræ hic adſcribuntur, comparatione cum columnis, cœlo cap. XXII, 11 attributis, quippe per quas nihil aliud quam axes motus in gyrum redeuntis indigitentur, veſtigium aliquod Copernicææ hypotheſeos haberi autumat. V. *Fundationem terræ ſuper ſtabilitatem ſuam* Pſ. CIV, opponi infirmitati compagis Globi Terraquei, non motui perenni; non ſecus atque VI. *Terræ ſtatio* Eccl. I, 4 opponatur, non motui locali, ſed motui generationis & corruptionis. Quæ denique ad loca illa, ubi *Sol oriri* aut *occidere* dicitur, notat, non indigna ſunt, quæ ex ipſo *Autore* petantur.

Syſtema Planetarum Copernicanum ſic naturaliter & literaliter e S. S. demonſtratum, myſtice etiam illuſtrari in oratione Dominica *Autor* vult: & titulo quidem ejusdem Solem, ſeptem vero petitionibus, totidem Planetarum orbes, a Soli vicinioribus ordiendo, ita ut Telluri media concedat; clauſulæ vero Fixarum cohortem adaptet. Locum deinde Epiſtolæ Judæ V, 13, hinc inde allegatum, uberius explicans, Judam Petri exſcriptorem, aut hunc illius eſſe negat. Mentione tandem Operum *Henrici Mori*, ejusque ſententiæ, de Spiritu Naturæ, quem principium Hylarchicum nuncupat, injecta, graviſſime contra eos perorat, qui phænomena naturæ a cauſis mere materialibus immediate derivant: religionisque & gloriæ divinæ intereſſe judicat, ſtatuere Spiritum quendam Naturæ, vita ad minimum plaſtica inſtructum, & mundum Zoophytum, a ſpiritu illo ceu forma informante actuatum. Nihil etiam defenſores Elaſticitatis ætheris, aeris &c. niſi admiſſo illo principio hylarchico, proficere profeſſus, eandem alibi a ſe plenius examinatum iri pollicetur. Appendicis, & velut bellariorum, loco *Autor* Dialogo inter Terricolam & Lunicolam duce Morpheo habito, Phænomena Luni Terreſtria, non ingrato Lectoribus diſcurſu exponit.

LIBRI NOVI.

Regum Pariumque Magnæ Britanniæ Hiſtoria genealogica, autore Jac. Wilh. Im-Moff. Norimbergæ, apud J. A. Enterum, 1690, in fol.

Dictionaire Univerſe par M. Antoine Furetiere. A La Heye & à Rotterdam chez Arnaud & Reinier Leers.

Traité de la Lumiere, par Mr. Chriſtian Huygens. A Leide chez P. vander Aa, 1690. in 4.

Gerhardi Joh. Voſſii & clarorum virorum ad eum Epiſtolæ Collectore Paulo Colomeſio. Londini, apud Sam. Schmidt, 1690. fol.

Digitized by Google

ACTA ERUDITORUM

publicata Lipſiæ

Calendis Junii Anno M DC LXXXX.

D. AUGUSTI QUIRINI RIVINI, LIPSIenſis, Introductio generalis in Rem Herbariam.

Lipſiæ, ſumptibus Autoris, 1690, in fol. chartæ auguſtæ.

DUo ſunt ad acquirendam Scientiam Botanicam ſumme neceſſaria, ſcilicet primum, ut plantas ipſas: alterum, ut nomina quoq; illarum noſcamus. Cumque in tanta vegetabilium multitudine rem ipſam vix ſatis commode apprehendere liceat, niſi de certis, quibus exprimatur, nominibus conſtet; ante omnia id egit clariſſimus Autor, ut quæ in his occurrit difficultas, quantum fieri poteſt, declinaretur. Poſtquam enim intolerabilem & Synonymiam & Homonymiā expoſuit, brevibus docet, quales plantarum appellationes eſſe debeant. Melioris doctrinæ gratia, nomina diſtinguit in generaliſſima, quæ integro cuidam ordini, ſeu ſummis generibus: generica, quæ certo generi ſub illis comprehenſo: ſpecialia, quæ non niſi ſpeciebus ſingulis: & ſpecialiſſima, quæ leviore tantum accidente diſcrepantibus competunt. *Generaliſſima* ſunt pauciſſima, ſed ſignificantia, & quidem ex mente Autoris a floribus deſumpta, uti Regularia Monopetala, Dipetala, Tripetala &c. juxta ductum Tabulæ generalis; ſiquidem tot ſunt nomina generaliſſima, quot ſumma plantarum genera. Porro *generica*, qualiacunque fuerint, & undecunque deſumpta, ex uſu valent inſtar nominum gentilitiorum, quibus alias utimur ad familias hominum rite diſcernendas. Innititur autem fundamentum hujus diſtinctionis duplici potiſſimum Regulæ: Quæcunque differunt flore ac ſemine, illa diverſis quoque nominibus deſignanda ſunt. Vi oppoſitorum: Quæcunque conveniunt flore ac ſemine, illa eodem quoque

nomine appellanda. Specialia formantur ex genericis, adjiciendo differentiam ſpecificam per modum cognominis; in quo inveniendo nihil obſtat, quo minus reſpiciamus modo ad colores, ſapores, odores, modo ad folia, modo ad radices &c. Id nempe hoc in loco eſt optimum, quicquid præ cæteris maxime in ſenſus incurrit. Tandem ſpecialisſima nullius momenti ſunt, potius anthophilis & qui lucrum ex iſta Tuliparum Caryophyllorumque varietate capiunt, hortulanis relinquenda.

Sed ad rem. Ut ſumma difficultas ex confuſione plantarum orta tollatur, inprimis neceſſe eſt, ut juſtus earum inveniatur ordo, ſive methodus, & quidem univerſalis, clara, diſtincta conſtansque, cujus beneficio certa cuivis vegetabili asſignetur ſedes, unde repeti queat, quotiescunque viſum fuerit. Nimirum in eo jam conveniunt omnes, a flore fructuque deſumendum eſſe naturalem infallibilemque plantarum characterem, tanquam legitimum ſtudii Botanici fundamentum. Idem hoc amplectitur Autor, ſaltem in eo a reliquis ſecedens, quod ſemper & ubique juxta naturæ ductum reſpiciat primum ad flores, unde ſumma inveniantur genera, dein ad ſemina, ut habeatur genus cuique proximum; cum alii vel ad ſemina unice ac primum, vel inconſtanter modo ad ſemina, modo ad flores, modo ad alia reſpiciant in plantarum diſtributione. Utque clarius conſtaret, qua in re cum Cæſalpino, Moriſono atq; Rajo conveniret vel diſſentiret Autor, paucis recenſet illorum methodum, ſalvaque tantorum Virorum autoritate, quid deſiderari queat, indicat brevisſime. His præmisſis, ſuam exponit hypotheſin, quomodo ſcilicet in omni planta, ut genus inveniatur ſummum, conſiderare oporteat, an & qualis flos in ea deprehendatur. Si nullus unquam flos appareat, pertinebit ad peculiarem ordinem plantarum, quæ flore omnino carent, uti Fungi, Tubera, Muſcus ſterilis, Lens paluſtris &c. Quod ſi flos adſit, videndum porro de qualitate illius, utrum perfectus, an imperfectus atque obſcurus reperiatur. Quæ non niſi analogum quid floris ferunt, ut Gramina, Atriplex, Filix & ſimiles, referendæ ſunt ad ordinem earum, quæ flore gaudent imperfecto. Ubi vero perfectis floribus inſtructas deprehendimus, figura quoque accuratius examinanda venit, ſiquidem alii regulares, alii irregulares dantur. Videndum etiam ulterius erit de differentia florum

rum

Digitized by Google

rum compoſitorum a ſimplicibus: item de numero petalorum; ſicuti hoc ipſum clarius liquet ex Tabula generali ejusque explicatione.

D. AUGUSTI QUIRINI RIVINI ORDO Plantarum, quæ ſunt Flore Irregulari Monopetalo.

Lipſiæ, ſumptibus Autoris, 1690, in fol. chartæ auguſtæ.

QUandoquidem vegetabilia perfectiora ſecundum Introductionem generalem in duas abeunt claſſes, aliam ſcilicet regulari, aliam irregulari flore gaudentium; ad irregularia igitur, quippe difficiliora ſe convertit nobilisſimus Autor, primoque loco Monopetala pertractat, reliqua, Deo dante, quamprimum fieri poterit, ſimiliter editurus.

Dicitur autem eidem flos monopetalos, qui totus decidit, nullo laciniarum reſpectu habito: irregularis, qui a figura tornatili plus minusve recedit. Nimirum quod in Introductione promiſerat, ſe ubique velle conſtanter flores primum, dein ſemina conſiderare in diſponendis vegetabilibus, id ſane hac in parte non infeliciter præſtitit. Quanquã enim ſatis copioſæ ſunt flore irregulari monopetalo inſtructæ plantæ, videntur tamen in ordinem ſatis aptum redactæ, ſi Tabulam ſpectemus. Et quemadmodum, quæ ſemina ferunt nuda, non difficulter diſcernuntur ab iis, quarum ſemina certis incluſa ſunt pericarpiis: ita porro ratione numeri, figuræ atque conſiſtentiæ non minus ſemina quam pericarpia dum diſtinguuntur, nemo eſt, qui paulisper oculatus decipi posſit aut confundi. Nam & plantarum genera, quotquot ſub hoc ordine irregularium monopetalorum comprehenduntur, adeo clare ac diſtincte, quamvis brevisſime, deſcribuntur, ut nullo negotio, ſi quæ nova etiam reperta fuerit, referri ad ſuum posſit genus. Quam vero cautionem in denominandis plantis, & quam in delineandis ad vivum curam adhibuerit Autor, ſatis docebit lectio vel inſpectio attenta.

Folia Introductionis ſunt 24. Ordinis Irregular. Monopetal. 142. Tabulæ æneæ 125.

REGUM PARIUMQUE MAGNÆ BRITANNIÆ Hiſtoria Genealogica, qua veterum juxta ac recentium in illa familiarum origines, ſtemmata & res memorabiliores, ordine ad noviſſimum Angliæ ſtatum aptato, recenſentur atque explicantur, additis æneis inſignium tabulis & indice neceſſario, ſtudio & opera Jacobi Wilhelmi Im-Hoff.

Norimbergæ, ſumpt. Joh. Andr. Endteri filiorum, 1690, fol.

Conſtat plagulis 104.

PRodiit tandem opus accuratiſſimum dignumque adeo, quod incomparabili elegantiorum literarum Mœcenati *MAURITIO WILHELMO*, *Duci Saxoniæ, Juliaci, Cliviæ & Montium*, *Poſtulato Adminiſtratori Epiſcopatus Numburgenſis &c. Domino noſtro clementiſſimo*, ſacraretur, autore *Jacobo Wilhelmo Im-Hoff*, Patricio Norimbergenſi & Reipublicæ patriæ Quæſtore, Viro tot in eruditum orbem meritis illuſtri, ut elogiis noſtris minime indigeat. Quicquid Wilhelmus *Dugdalius*, Franciſcus *Sandfordius*, Gilbertus *Burnetus*, Elias *Aſhmolius*, Gregorius *Leti*, & ex antiquioribus *Buchananus*, *Cambdenus*, *Jonſtonus*, *Carveus*, *Sanderſonus* innumerique alii, de familiis ac geſtis Regum Pariumque Angliæ memoriæ prodiderunt, id omne in commentaria ſua excerpſit Noſter, hisque adminiculis adjutus & *genealogias* & *hiſtorias compendiarias* (eodem fere filo, ac Gallicas, ad Acta eruditorum A. 1687, p. 302. relatas) feliciſſime pertexuit. Acceſſere illuſtriſſimus *Wilhelmus* Baro *Pagetus*, Wilhelmi III Britanniarum Regis ad auguſtiſſimum Leopoldum Imperatorem Orator extraordinarius, quique inter hujus comites non poſtremum occupat locum, clariſſimus *San-Georgius Aſhius*. Uterque enim a Nobiliſſimo Autore non uno abhinc anno collecta tum calculo ſuo approbavit, tum obſervationum farragine haud pœnitenda auxit, quin ſpem fecit, ſi qua in præſenti opere deſiderarentur, ſua opera effectum iri, ut in poſterum ſuppleantur ea, aut emendentur.

Cæterum duplici parte abſolvitur Im-Hoffianus labor. *Priori regias magnæ Britanniæ familias* digeri videas, originibus *Anglicæ* ab

Digitized by Google

ab Egberto Rege A. 837 defuncto; *Normanica* a Rogualdo; *Plantagenetica* a Tertullo Andium Comite Egberti coætaneo; *Tudorenſis* ab Ovveno Merideth-Tudor, Cambro-Britanno, menſe Februario 1461 capite plexo; *Stuartina* denique a Davide Rege Scotiæ A. 1152 denato, & Waltero Fleanchi, aulæ Scoticæ Stuarto, ſub initia ſeculi XII vivente, derivatis. *Altera parte* ſtemmata *Ducum*, *Comitum* & *Baronum* ultra centum & viginti exhibentur.

Eminet inter hæc *Butlerianum*, quod *Carveus* inde a ſeculo XII deduxerat. Verum enim vero longe antiquiorem & ſplendidiorem ejusdem originem eſſe, cognovit Im-Hofius e chartis a *Roberto Southwell*, qui vitam & res geſtas Jacobi Butleri, Ducis Ormondiæ, Proregis Hiberniæ, d. 21. Jul. 1688 vita functi, ſtylo ſuo immortalitati tradere meditatur, transmiſſis. Illinc nempe patuit, triplici decore Butlerorum gentem gaudere. *Oriri* nimirum *e Ducibus & Comitibus, qui Wilhelmi Conqueſtoris ætatem anteceſſerint, imo ex ejus majoribus fuerint, ac inde ab illo ævo ad præſens usque, titulis Baronum, Comitum, Marchionum, Ducumq; continua ſerie enituiſſe.* Porro *Primogenitos nunquam non in obſequio & fide Regum permanſiſſe, nullo unquam dedecore maculatos. Omnium* denique *familiarum, quotquot unius ejusdemque nominis in tribus reperiantur regnis, maxime eſſe numeroſam, cum viginti millia excedant, qui Butlerium nomen gerant, atque eodem ſtipite ſati eſſe probabiliter videantur.* pag. 91.

Nec dividiæ erit exſcripſiſſe, quæ P. II. c. LVI. de *Franciſco Leke*, Scardaliæ Comite Noſter refert: *In magno* (inquit) *Baronum Angliæ numero, quos Rex Jacobus I creavit, etiam FRANCISCUS LEKE* de Sutton *fuit, e pervetuſta & locuplete Darbienſis provinciæ familia prognatus: hunc enim ille recenti & ab ipſo inſtituto* Baronetti *honore primum auctum, poſtea regni ſui anno XXII, qui ſeculi, quo agimus, XXIV erat, die XXVI. Octobris* Baronem Deincourt de Sutton *fecit. Nec tamen is hoc in honoris gradu ſubſtitit, ſed per eximiam, quam regi Carolo I. difficillimis temporibus præſtitit, fidelitatem opemque, ſanguine duorum ejus filiorum obſignatam, altius aſcendit,* Comitis Scarsdaliæ *dignitate ab illo, die XI. Novemb. A. 1645. donatus. Triſtem denique modo dicti Regis caſum ſenſu animi ac dolore adeo acerbo tuliſſe* Dugdalio (*Baronagii III. 450.*) *memoratur, ut ſumto cilicio in ſordibus, lamentis luctuque, quod ipſi* 165.

 ſuper-

*ſupererat ætatis tranſegerit, & aliquot ante obitum ſuum annis ſe-
pulchrum ſibi effodi curaverit, inque eo ſingulis Veneris diebus recu-
buerit, donec mœrore confectus animam exhalaret, id quod d. 9. Apr.
1655. contigit.*

Quod ſi Eruditos, quorum genus apud Autorem nobiliſſi-
mum recenſetur, ſeligere placeret, poſt *Jacobum I. Regem*, memi-
pag. 177. niſſe par eſſet *Boyleorum* fratrum, *Rogeri* nempe, Baronis Broghill,
Comitis de Orrery, Poetæ inſignis, mortui ante decennium, & *Ro-
berti*, acutiſſimi Philoſophi, adhucdum naturali ſcientiæ perpoliendæ
ſumma cum laude inſudantis. Parentẽ hi habuerunt *Richardum Boyle*
Comitem de Cork in Hibernia, creatum a Rege Jacobo I; fratrẽ vero
natu majorẽ *Richardum Boyle*, Comitem de Cork, Baronẽ Clifford de
Landsborough in Anglia, Comitis Burlingtonii axiomate poſtmo-
206. dum auctum. Pertineret huc quoque *Robertus Dudlejus*, Roberti
Dudleji, Baronis Denbighii, Comitis Leiceſtrenſis filius, in Anglia
pro notho habitus, a Ferdinando II. Imperatore *Dux Northumbriæ*
creatus, autor libri de *arcanis maris*, Florentiæ A. 1646. editi.
Inclaruit is, cum inſulam ad oram Americæ, qua fluvius *Oxinoque*
maria ſubit, in ejus oſtio detexiſſet & *Dudlejanam* appellaſſet; item-
que, cum Magno Duci Hetruriæ autor fuiſſet, ex Liburnenſi igno-
bili vico inſignem urbem & portum munitiſſimũ extruendi; denique,
ubi rationem conficiendi *Pulveris Cornachini* primus excogitaſſet.
Solet autem pulvis ille, (qui Panacæa eſſe creditur,) iſthoc nomi-
ne eapropter venire, quod *Marcus Cornachinus* Piſanus de ejus vir-
tutibus tractatum in lucem emiſit. Deceſſit Dudlejus A. 1650 ætat.
76. *Eduardus Herbertus* de Montgomerie-Caſtle, *Baro de Chir-
bury* & Caſtle Island, mortuus 5. Aug. 1648, *cap. XXVII:* Franciſcus
autem *Bacon*, Baro *Verulamii*, Vicecomes Sancti Albani, Cancel-
larius R. Jacobi I. natus 22. Jan. 1560. m. 9 Apr. 1626. *cap. XVII.* laudan-
217. tur. Tacemus cum pluribus aliis *Philippum Sidnejum*, qui tanti ha-
bitus eſt a civibus ſuis, ut ejus amicitiam inter titulos ſuos honora-
rios reponerent. Itã ſane *Fulco Grevill*, Baro Brook de Beauchamps-
court, (*ſummus doctorum Mecænas* Cambdeno dictus,) ſepulchro
ſuo inſcribi juſſit, *Dugdalio* teſte: *Fulke Grevill, ſervant to Queen
Eliſabeth, Chancellor to King James & Friend to Sir Philip Sidney;*
i. e. Fulco Grevilius, Eliſabethæ reginæ miniſter, Jacobi Regis
cancellarius, Philippi Sidneii amicus.

Sub

Sub calcem operis nobiliſsimus *Im-Hoffius* patri deſideratiſſimo *Wilhelmo*, Patritio ac Senatori Norimbergenſi, hoc ipſo anno ad beatorum ſedes tralato, decentisſima pietate parentat. pag. 132.

Daniel Caſpars von Lohenſtein Arminius / anderer Theil mit annehmlichen Kupffern gezieret.

id eſt,

Danielis Caſpari a Lohenſtein Arminius. Tomus II figuris æneis exornatus.

Lipſiæ, ſumptibus Jo. Friderici Gleditſchii, 1690, in 4.

Conſtat plagulis 89.

PRodit nunc tandem in lucem publicam incomparabilis *Arminii* Tomus ſecundus, multorum hactenus ſeriis expetitus deſideriis; nec ea, ut opinamur, fruſtraturus. Nam ſi *Tomus primus* & inventionum acumine, & eruditione ſingulari, amœniſſima denique dictionis majeſtate, benignum politioris ſeculi applauſum invenit; aſſeverare utique poſſumus, *Tomum* hunc *alterum* priori adeo iſtis in omnibus nihil quicquam concedere, ut ipſum ſuperare etiam videatur. Nam quod aliqui in adjiciendo calculo ſuo tardiores viſi fuerint, quia ad conſuetas *fabularum romanenſium* regulas opus iſtud fabrefactum eſſe non ubique appareat; ſcire illos oportet, quod quemadmodum *Arminius*, dum in vivis degeret, in ſupremo Heroum faſtigio conſtitit, ita nihil ſit mirum, nobiliſſimum *Lohenſteinium*, & ipſum inter eruditos Heroem, de ejus vita rebusque geſtis commentaturum, heroicum prorſus ſcribendi genus, a vulgari ratione abludens, & nullis legibus adſtrictum, ſectatum fuiſſe: cum inter alia & hoc habeant heroes, ut ad communem menſuram exigi ſe & æſtimari non patiantur; & nemo conqueri jure de hoſpite habeat, qui ipſum delicatioribus paulo & rarioribus cupediis in convivio exceperit, quod vulgarium ciborum apparatu inſtrui alias ſaltem moris erat. Ut adeo *Arminius* iſte tamdiu ſuos admiratores reperturus ſit, quamdiu & abſolutiſſimæ eruditioni ſtatuetur pretium, & linguæ resque patriæ a ſuis æſtimabuntur ex merito.

Quantum autem Tomus iſte ſecundus variarum rerum lectoribus

ribus ſuis offerat theſaurum, malumus ipſos ex accurata & ſedula ipſius operis inſpectione colligere. Ut tamen Lectorum curioſitati aliquid demus, quid poterat excogitari jucundius, quam illud certamen, quod Pomonam inter & Floram intercedit, de quo *Libro ſecundo* prolixius agitur; ex quo oritur aliud, quo viginti regiones introducuntur, ſexaginta, quas producunt, arbores multa eloquentia deprædicantes, deque ipſarum prærogativa diu multumque inter ſe decertantes; in quo conflictu palmam reportat *vitis*; quæ cum in iſtis regionibus omnibus æque proveniat, nova oritur lis, cuinam regioni & optimæ vites & generoſiſſimum vinum adſcribendum veniat. Quæ certamina ita demum dirimit *Natura*, ut quoad arborum prærogativam ſecundum vitem, quoad regiones, ſecundum *Germaniam* & *vinum* ad Rheni utrumque latus proveniens pronuntiet. Quid ingenioſius & profundius, quam oratio *Iſmenes*, ſororis *Arminii*, *Lib. III.* de *animæ immortalitate* tum habita, cum hæreſeos adverſus Druidum religionem delata, in publico judicum concilio ſe egregie excuſatum iret. Sic nemo ſine admiratione leget, quæ *Bardorum* aliquis iterum *Lib. III.* in horto præſentibus illuſtrisſimis Auditoribus, de imperandi artibus ex florum contemplatione a viris principibus perdiſcendis, ingenioſiſſime diſſerit, ex quo elegantiſſimo diſcurſu vel ſolo pateſcit, eruditiſſimum *Lohenſteinium* univerſam naturam in promtu habuiſſe & conſilio. Eundem in modum, quæ *Lib. V. Herbarius* de *transplantatione morborum ex hominibus in arbores*, cum *Cornelio Celſo* medico ex antiquis clariſſimo diſputat, ejusmodi ſunt, ut queis rerum naturalium cognoſcendarum labor aut voluptas eſt, ipſis non posſint non eſſe gratiſſima. Sed quis mare iſtud exhauriet? Quis diſcurſus ex omnibus ſapientiæ partibus, ex omni ætate, ex omnium denique gentium placitis petitos; quis varii generis poemata, heroico plane ſpiritu effuſa; quis elegantisſima dramata enarrabit? Potius nobis eſſe videtur, ut cum ad *Arminium*, tanquam ad totius operis centrum, quæcunque hic reperiuntur, veluti referantur, ejus fata resque geſtas breviſſimis delineemus.

Arminius igitur ex illuſtriſſima longe & imperatoria apud *Germanos* proſapia oriundus, primis ſtatim adoleſcentiæ annis egregiæ indolis luculenta edidit ſpecimina; præcipue cum captus & Romam ipſam deductus eſſet. Nam ibi liberaliter educatus, mox ſummis

Digitized by Google

mis in Aula *Auguſti* viris, *Mecænati* imprimis viro eruditione & autoritate ſumma pollenti in pretio eſſe cœpit; & adeo quidem ob morum ſuavitatem & multa imperterriti animi indicia charus ipſi *Auguſto* fuit, cumprimis cum eum ex manifeſto vitæ periculo, quod in mari ſubierat Imperator, liberaſſet, ut corporis ſui ipſum cuſtodiæ præficeret, & paulo poſt adverſus Parthos ducere juberet, ut ignominiæ notam, quæ Romanis antea a Parthis inuſta fuerat, præclaris facinoribus elueret; quod etiam cum feciſſet egregie, majorem ſibi autoritatem ubique conſtituebat, verum ita, ut invidiæ tela, Tiberii potiſſimum, effugere nequaquam poſſet, cujus tamen nefandas machinationes, veneno ſemel atque iterum vitæ ipſius inſidias ſtruentes, feliciter ſuperabat. Cum interim in iſta captivitate in *Thusneldam Segeſthis Chaſſuariorum Ducis* filiam, & ipſam tum temporis cum parente Romæ agentem incidiſſet, ejus amœniſſima pulchritudine & admirandis virtutibus captus amori in ipſam ſuccubuit, & poſtquam non ſine verecundia eum ipſi aperuiſſet, & demum *Segeſthes* variis & ipſe vitæ ſervatæ beneficiis *Arminio* obſtrictus in nuptias conſenſiſſet, nec Tiberius inſidiarum finem faceret, accepto etiam Patris fato, conſilium tandem de relinquenda Roma & reviſenda patria cepit. Eo feliciter expedito, mox ipſum imperium ingreſſus eſt, ſapientiſſimis legibus & præceptis patriæ ſubveniens, cumque omnibus virtutibus Imperatore dignis, & jubendi artibus inſtructus & clarus eſſet, maximo omnium applauſu in locum patris Imperator ſuffectus. Romanis enimvero Germanos, veluti triumphatos populos, variis injuriis laceſſentibus, & *Varo* imprimis vitium offerre volente *Walpurgi Ducis Sicambri* filiæ, irritati hac ſævitia Germani, arma corripiunt, ac Duce & Imperatore *Arminio* Varum Romanasque legiones ad internecionem usque conficiunt. In quo prælio cum *Segeſthes* ad Romanorum partes, pro inconſtantis ingenii mutabilitate & peſſimæ uxoris ſuaſu delapſus, a *Thusnelda* vero in duello per inſcitiam victus, vulneratus & a Germanis captus eſſet, eo demum adigitur, præſentibus Proceribus, ut in filiæ cum Imperatore nuptias, quas Tiberio pollicitus iterum fuerat, conſentiret. Qui tamen fixo in *Arminium* odio eam *Marobuduo* deſponſat, qui & eam caſu interceptam, & amplexus ejus recuſantem, juſſu Patris cuſtodiæ includit, e qua cum caſu iterum liberata, in flumine pericu-

lum adiiſſet, ab *Arminio* huc delato ipſa ſervabatur. Ille igitur feſtis nunc omnium vocibus & ſolenniſſima pompa cum ipſa conjungitur, fructus etiam conjugii & delicatiſſimi amoris colligens, præſertim poſtquam & filii, cui *Thumelici* nomen indebatur, factus pater, & pax cum Romanis ſancita eſſet. Sed ut rerum humanarum nulla eſt conſtantia, ita & Arminio invidenda hac felicitate tranquilla diu perfrui non licebat. Nam & Romani varia contra libertatem Germaniæ machinabantur, & *Adgandeſterus* Imperatori ex intimis, ob ſpretum ab Iſmene *Arminii* ſorore amorem & nuptias, *Flavium* fratrem ejus ad prava conſilia & Romanas partes amplectendas impellebat, ſuppoſitis tabulis ultimis, quibus Flavius magnam paternæ ditionis partem ſibi transſcripſiſſe patrem dictitabat. Sic iterum ventum ad arma eſt, quæ adverſus Romanos lubentiſſime, adverſus fratrem invitus admodum expediebat Arminius, hunc ultimum gravi oratione objurgans, bellum patriæ & perniciem temere inferentem, ſibi vero ſervitium turpiter accerſentem. In ipſo vero bello varie pugnabatur, Germanis ſæpius victoribus, nunquam penitus victis, usque dum *Thusnelda* cum reliquo fœminarum illuſtrium comitatu a fratre *Sigismundo* amori ſuo conſulere cupienti, caperetur, quæ ad Romana caſtra deducta & in iisdem detenta, Romam tandem Tiberii juſſu proficiſci cogebatur. Arminius interim bellum adverſus Romanos perſecutus, cum Ducibus Germanis, qui ad Romanos deflexerant, amicitiam redintegrat, in Ducem Semnonum & Longobardorum Maroboduum repudiantium eligitur, quos Marckomanni idem facientes ſequuntur. Paulo poſt tamen infirmis ſuſpicionibus apud populũ & Duces ab inimicis in invidiam adductus, quaſi qui libertati Germaniæ immineret, a propriis ſubditis Inguiomerum in caput ſuum advocantibus deſtituitur, & in pugna ab ipſo capitur. Inguiomerus a Chaſſuariis ſociis compulſus in occiſionem ejus conſentit; ſed clam alterius cujusdam caput Arminii quadantenus figuras referens, publice exponitur, Imperator ipſe in cuſtodia detinetur. Interim *Thusnelda* poſt varios errores & rerum diſcrimina, ex Armenia in patriam revertitur, & accepto de mariti morte nuntio cum Inguiomero congreditur, quem captum conjugis manibus mactaviſſet, niſi iſte cruentæ victimæ interceſſiſſet vivus, qui & deſideratiſſimam conjugem ardentiſſimis amplexibus recipit,

Digitized by Google

pit, Inguiomero vitæ gratiam facit, & ſuis reſtitutus provinciis feliciter imperat.

Ex quibus quidem apparet, omnia quæ hinc inde de *Arminio* ex *Tacito*, *Dione*, *Vellejo*, *Srabone* memorata ſunt, diligenter hic fuiſſe exhibita, multa vero ex fertiliſſimo *Autoris* ingenio addita, nihil tamen horum ad inviċtiſſimum *Leopoldum noſtrum* pertinere; quamvis quæ de *majoribus Arminii Tom. I. Lib. II.* diċta fuerant, ſine dubio in *Imperatores Romano-Germanicos* ex Sereniſſima *Auſtriacorum* familia competant.

Cæterum ne ſplendidiſſimo operi vel minimum deeſſet, id operam dedit Bibliopola excudendis accurate libris intentiſſimus, ut & opus elegantiſſimis figuris æneis exornaretur, & *Annotationes* lectores in intelligendis quamplurimis egregie juvantes, in calce Voluminis ſubjungerentur. Repertus itaque eſt *Vir harum rerum peritiſſimus*, ſed qui nomen modeſte ſuum neſciri maluit, hanc ſpartam decore quam maxime qui exornaret. Cum igitur *de Autoris ſcopo cap. I.* dixiſſet, quem triplicem eſſe ſtatuit, ut ſcriberet videlicet *Autor fabulam romanenſem* de Arminio; ut conderet opus *in Germaniæ ſua & civium decus*; denique ut eſſet, in quo diffuſiſſimam occuparet *eruditionem*, quibus ſimilia & nos ad *Tomum priorem* monuiſſe recordamur: *cap. II.* agit de *ratione dicendi Lobenſteinio* adhibita, qua uſus eſſe dicitur *magnifica*, *ſponte* tamen *fluenti*, & ubique ſibi *conſtanti*, *pura* tamen nec vocabulis exoticis commixta. *Capite III.* diſſerit de *Perſonis*, a *Lobenſteinio* in theatrum quaſi adductis, quarum aliquæ *ſine nomine* memorentur; aliquarum nomen *exprimatur* quidem, ſed ut vel *nullibi*, vel *ubique*, vel *hinc & inde* myſterii aliquid involvat. *Capite IV.* Genealogias ſiſtit illuſtrium perſonarum, quarum frequentior in opere recurrit mentio, *Romanæ* Auguſti, *Cheruſcæ* Arminii, *Chaſſuaricæ*, *Gothonicæ*, *Sicambricæ*, *Thracicæ*, *Armenicæ*, denique *Auſtriacæ*. Cap. V. agit de populis, regionibus, urbibus, montibus, ſylvis, fluminibus, quorum nomina expreſſa leguntur in *Arminio*. Capite denique VI. de uſu & abuſu agitur, qui ex operis hujus lectione ad aliquem vel redundare, vel cujus ab aliquo anſa apprehendi poſſit. Atque hæc in *genere* de opere cum præmiſiſſet, ad magis ſpecialia deſcendit, ſingulas ſecutus paginas; in quibus ſi quæ vel in *perſonis* obſcuriora,

vel in *hiſtoriis ipſis* intricatiora ſunt, utiliſſimam clavem ſuppeditat, qua in intimiora iſthæc pervadere liceat. Qui labor ut gratiſſimus omnino contingere debet omnibus, & multiplicem *Autoris* hujus in rebus politioribus eruditionem arguit; ita ſuſpicari fere lubet, hunc ipſum ingenioſiſſimum *Autorem* eſſe, qui *librum ultimum Tomi hujus ſecundi* adjecerit. Cum enim urgentibus fatis ultimam manum *Lohenſteinius* operi imponere non poſſet, *Autor harum Annotationum* id ſine dubio præſtitit; nullo, quod ſpondere audemus, operis detrimento. Nam res ipſa loquitur, *Autorem* iſtum & inveniendi felicitate, & diſponendi ſolertia, & eloquendi ſublimitate, & eruditionis præſtantiſſimæ copia, cum Lohenſteinio hic in certamen deſcendere potuiſſe. Quicquid tamen de palma ſit, feliciſſimum prædicare *Lohenſteinium* poſſumus, quod cum ille non reperiſſet, qui ſtatuam a ſe affectam abſolveret, non defuerit ipſi, qui inæſtimabile *Arminii opus* ad finem aptiſſime perduceret. Adjicitur denique *Index* diligenter admodum confectus, in quo non omnium quidem perſonarum & rerum habetur ratio, potiſſimarum tamen, & quarum uſus ubique eſſe poſſit, humaniora ſtudia colentibus. Ut adeo nihil deſiderari videatur ad *Lohenſteinii* Arminium, niſi aſſidui & excitatioris indolis lectores, qui ad ſui patriæque uſum & commodum feliciter eo utantur.

CRITIQUE DE L' HISTOIRE DES VAriations des Egliſes Proteſtantes par M. de Meaux &c. traduit de l'Anglois de Mr. Burnet &c. i. e.

Animadverſiones in hiſtoriam de variationibus Eccleſiarum Proteſtantium, ab Epiſcopo Meldenſi editam, quatenus ad Eccleſiam Anglicanam pertinet. Acceſſerunt Conſiderationes in hiſtoriam de Divortio Henrici VIII, a Joachimo le Grand editam. Verſæ ex Anglico D. Burneti.

Amſtelodami, apud Abrah. Wolfgangum, 1689, & 1690, in 12.
Conſtant plagulis 5.

Epiſco-

Digitized by Google

EPiſcopi Meldenſis Tomus prior *de Variationibus Eccleſiarum Proteſtantium* (cujus Libro VII Tractatus hic forma epiſtolæ d. 10. Sept. 1688. datæ opponitur) relatus a nobis eſt in Acta anni præteriti p. 65, ut & *Joachimi Grandis* Hiſtoria de Divortio Henrici VIII (cui altera libelli hujus parte reſpondetur,) p. 27. In præloquio monetur, D. Burnetum cenſuram hanc Anglice conſcripſiſſe & edidiſſe, antequam cum Potentiſſimo *Guilielmo* Rege in Britanniam ex Batavia navigaſſet; Gallicæ vero verſionis reviſionem & editionem itinere illo retardatam fuiſſe. In principio libelli de ingenio Epiſcopi judicat D. Burnetus, quod aptius ſit ad diſſertationes concinne & ſpecioſe componendas, quam ad factorum accuratam enarrationem; in his enim ſecutum illum eſſe aliorum compilationes & excerpta, ut etiam fecerit in congerendis falſis teſtimoniis, aut impertinenter allegandis, in quæſtione de uſu ſacri calicis; id quod a *Larroquio* demonſtratum, nec hucusque ab Epiſcopo refutatum eſſe dicitur. Inſtitutum quoque ejus taxatur, quod cum exiguum ſucceſſum *Expoſitionis*, qua dogmata Eccleſiæ Romanæ incruſtaverat, (quoties nempe militaris violentia non accederet,) deprehendiſſet, jam Maimburgii & Varillaſii, veterum calumniatorum Cochlei & Remondi nugas exſcribentium veſtigiis inſtiterit, & malignis accuſationibus Proteſtantes adortus ſit; non conſiderans, ſi omnia, quæ protulit, vera eſſent, nihil tamen inde evinci, quam quod primi Reformatores non fuerint divinitus & immediate inſpirati, neq; Synodi Proteſtantium infallibiles. Variationes, quas adduxit, aut magni momenti non eſſe, aut laudandas potius, quod a primis confeſſionum formulis nimis rigidis receſſerint; neminem enim pudere debere, ſi deprehenſo errore ſententiam corrigat. Oſtendit, improba hac ſolertia primitivæ quoque Eccleſiæ variationes, ex ipſis Apoſtolorum ſcriptis & priorum ſeculorum hiſtoria invidioſe traduci, & piiſſimorum hominum famam, notatis eorum defectibus ſuggillari, econtrario peſſimorum actiones quasdam, diſſimulatis vitiis, celebrari poſſe. Applicat hoc in ſpecie ad hiſtoriam *Crammeri* Cantuarienſis Archiepiſcopi, cujus defectus quidam pro tempore & aula, in qua vixit, excuſari poſſint, quos tamen D. Burnetus in opere ſuo Hiſtoriæ Anglicanæ, cum celare poſſet, candide aperuerit. In iis forte maxime reprehendi poſſe, quod in repudium *Annæ Clivenſis* con-

§. 1. §. 2. §. 3.

ſenſerit, niſi rationes habuerit quæ ſuæ ſuffecerint conſcientiæ; videri tamen a Clero Romanæ religioni addicto,& ſuffragiorum numero victum. De *Annæ Bolenæ* cauſa exacte judicari non poſſe, cum
§. 4. acta interierint, & de ejus confesſione nihil certi conſtet. Quæ in Synodis Proteſtantium reprehendit *Boſſuetus*, talia eſſe ait Autor, quæ in omnium non recentiorum ſolum, ſed & antiquisſimorum Conciliorum actis taxari posſint. Allegat exempla contentionis Epiſcoporum in Concilio III, & rigorem, quo Gregorius Nazian-
§. 5. zenus in Concil. IV. tractatus fuerit; addit quædam de Gregorii hu-
§. 6. jus nævis. Præoccupationem Epiſcopi adverſus recriminationes Proteſtantium iniquam eſſe dicit, cum diſpar ſit inter utroſque ratio. Cum enim Romana Eccleſia certas traditiones & infallibile jactet judicium, hæc ſubſiſtere non poſſe, ſi variationes illi imputari & probari posſint: quæ vero Proteſtantium doctoribus objiciuntur, hoc tantum evincere, quod homines fuerint erroris non immunes; id quod ipſi ultro fateantur. Excuſatius vero lapſos eſſe ſcribit in tanta Eccleſiæ corruptione, & quod difficile ſit inter duo extrema medium tenere. Sic *Crammerum*, dum Cleri nimiam potentiam deprimere voluerit, Regiam plus juſto extuliſſe; erratum quoque eſſe veterum quarundam formularum, v. g. *præſentiæ realis* retentione,
§. 7. meliori licet ſenſu. Objectioni, quod Clerus Anglicanus Henrico Regi adulatus ſit, opponit vetera & recentia Cleri Gallicani exempla, qui regiis juſſis applauſerint, idque nuper in abolitione edicto-
§. 8. rum & perſecutione Reformatorum factum eſſe dicit. Conſiderato deinde dominatu, quem Reges Galliæ in Clerum exercent, injuſte reprehendi ait jus, quod *Suprematus* vocant in Anglia. Hoc enim legibus temperatum eſſe, cum in Gallia pro arbitrio Regis agatur. Oſtendit hac occaſione, Epiſcopos Galliæ vix excuſari poſſe a perjurio, ſi conſideretur formula, qua Pontifici obſtricti ſint, &
§. 9. quomodo nihilominus regiis decretis obſequantur. Confert porro vitia Pontificum cum iis, quæ primis reformatoribus objici ſolent, & illa longe graviora eſſe judicat. Ex flagitiis enim Pontificum labefactari perpetuam illam, quæ jactatur, ſuccesſionem, cum per aliquot ſecula ne unus quidem oſtendi posſit, qui pius probusque fuerit. Fruſtra vero Proteſtantium doctorum errata objici, cum illi non habeantur pro viſibilibus Eccleſiæ capitibus &

Chriſti

Chriſti Vicariis, ſed miniſtris, qui populum ad legendas Scripturas & examinanda fidei capita excitaverint, & a præjudicio, quo Cleri doctrinam cæco impetu ſequebantur, liberaverint. Variationem §. 10.
in quæſtione de præſentia reali in S. Cœna materiæ difficultate excuſat, ut & a ſimili Patrum, nominatim Auguſtini, hæſitatione in articulo de S. Trinitate & de Eccleſia. Citat librum Londini A. 1686 editum, quem in Actis A. 1687 p. 135. memoravimus, cui titulus eſt: *Præfatio hiſtorica de dogmate transſubſtantiationis, præfixa determinationi Fr. Joh. Pariſienſis Prædicatoris*; affert etiam rationes, cur in confesſione Anglicana articulus de *præſentia* mutatus aut omiſſus fuerit. Hæc atque alia ſpeciminis ſaltem cauſa a ſe adduci in- §. 11.
dicat; parari enim juſtam ab inſigni viro hiſtoriæ de Variationibus refutationem. Poſt hæc reſpondet ad objectos ſibi errores de rebus §. 12.
Gallicis, in Hiſtoria ſua Anglica notatos, & non niſi lapſum quendam, levem ſane, in titulo Ducis Sommerſetani agnoſcit. Librum *Joach.* §. 13. 16.
Grandis a Boſſueto æſtimatum contemnit, & ex documentis, quæ ille libro ſuo adjecit, malæ fidei accuſat; acrius in illum inſurgens, quod fœda adulatione Jeſuitæ *Verjus*, qui P. *de la Chaiſe* a ſecretis §. 17.
eſt, nobilitatem prædicaverit, & ut illis placeret, modeſtiæ, quam in priori libri parte tenuerit, oblitus, in convitia adverſus *Burnetum* eruperit. Hæc tamen ei condonat, utpote homini vili & miſerrimo, qui pretio ſe ad convitiandum conduci paſſus ſit. Defendit quædam, §. 18. 19.
quæ adverſus *Sanderum* ſcripſerat, a *Grandi* in cenſuram vocata. Huic vero gratiam debere exiſtimat Eccleſias reformatas, quod §. 20.
magno conatu conſtantem Eccleſiæ Romanæ morem in perſequendis diſſentientibus, quos hæreticos vocant, probaverit; ex hoc enim characterem ſanguinarium hierarchiæ illius evidentisſime cognoſci. Multum profuiſſe dicit Anglis novisſimam Reformatorum in Gallia calamitatem, & illius contemplatione animatos ad ſuam conſervationem fuiſſe. Ad epiſtolam denique *Grandis* ad *Thevenotum* hoc tantum regerit, curam ſuſcipi debere ab amicis de purgando hominis capite, ne æſtivis caloribus in phreneſin incidat; ſibi vero lubere aut vacare negat, ut cum motæ mentis homine in arenam deſcendat.

Pars altera, ut diximus, *Joachimi Grandis* hiſtoriæ de divortio Anglicano oppoſita eſt, ſimulque defendit judicium de libro illo

Biblio-

Bibliotheca univerſalis Tomo IX Amſtelodami edito inſertum, cujus autorem ſe profitetur & tractatum hunc ſubſcripſit *Johannes Conradus de la Croſe*. Nigros hic quandoque ſales in *Grandem* ſpargit, acriter inprimis illum objurgans, quod Parlamentum Angliæ, a quo *D. Burnetus* ob editam hiſtoriam ſuam Anglicanam publice collaudatus eſt, ex ſeditioſis hominibus compoſitum fuiſſe ſcripſit; hæc effutientem vile Lojoliticæ ſectæ mancipium vocat; allegat etiam
pag. 64. hac occaſione librum Londini A. 1688 Gallice editum, ejusque titulum refert: *Enthuſiaſmus Eccleſiæ Romanæ demonſtratus, ex obſervationibus quibusdam de vita Ignatii Loyolæ.* Plurima inde *Grandis* dicta, ut falſa, inepta & prava perſequitur. Cum vero ille Gallos doctrinæ & eruditionis ratione Anglis præferat, contrarium pronunciat Autor, dicitque plures viros eximie doctos, præſertim
76. Theologos, in Anglia reperiri, quam non ſolum in Gallia, ſed & in totius Romanæ Eccleſiæ, quam late patet, cœtu. Autores Bibliothecæ ſupra memoratæ, quos *Grandis* ut Gallia profugos, & in Regem perduelles vituperat, ita defendit inter alia, ut dicat, alterum Genevæ natum eſſe, nullo modo Gallis obſtrictum, alterum quidem in Gallia natum, ſed peſſime nullo ſuo merito tractatum, in vinculis habitum, denique exire juſſum; minime autem hunc peccaſſe, quod *D. Burnetum* æſtimaverit & laudaverit. Deinde cum *Grandis* Tomo ſuo II. p. 252. præcipuos articulos, de quibus inter Romanam & Reformatam Eccleſiam controvertitur, enumeraverit (ex quibus aliquos in Actis noſtris A. 1689 p. 29. ubi *Grandis* liber recenſetur, tetigimus) Autor articulos illos ſecundum *Expoſitionem* Epiſcopi
84. *Boſſueti* conſiderat, & breviorem viam oſtendit, qua ſublatis erroribus & abuſibus Romanæ Eccleſiæ, ad concordiam & extinctionem ſchiſmatis perveniri poſſit. Subjungit excuſationem, quod *D. Burnetus* reſpondere ad objectiones *Grandis* non poſſit, intempeſtive nempe laceſſitus, cum ex Anglia, relictis libris & documentis, ex quibus hiſtoriam de divortio compoſuerat, peregrinationis cauſa exierit, mutatoque rerum ſtatu & intentata ſibi accuſatione, eo quo *Grandis* ſcripſit tempore, poteſtatem in Angliam redeundi & documentis illis utendi non habuerit. Reliqua & fere maxima libelli pars conſumitur in reprehenſione ſtyli, quo Grandis adverſus puritatem linguæ Gallicæ multis modis peccaverit, aut frigide & inepte

Digitized by Google

inepte ſcripſerit: tractatur autem in hac cenſura *Grandis*, ut tyro a magiſtro, ita ut paginæ cuidam ex illius libro deſcriptæ, alia ab Autore ad latus apponatur, ut diverſitas ſtyli vitia *Grandis* tanto apertius indicet.

LES PLUS BELLES LETTRES DES MEILleurs Auteurs François, avec des Notes par Pierre Richelet.

ſive

Elegantiores optimorum Autorum Gallicorum Epiſtolæ, Notis illuſtratæ a Petro Richeleto.

Amſtelodami, apud Henr. Wetſtein, 1690. in 12.
Conſtant plagulis 19.

DE nobiliſſimo hujus opuſculi compilatore multa hic præfari, non erit opus: cum nomen ejus jamtum ſatis inclaruerit ex edito ante aliquot annos Lexico Gallico, quo certe melius hactenus vix extitit. Idem nunc, ut novo officii genere ſibi devinciret eos, quibus iſta Lingua in pretio habetur, ex variis Autoribus, ſtyli elegantia & ſermonis puritate conſpicuis, *plusquam viginti*, (quorum nomina peculiaris indiculus in fronte libri manifeſtat,) hunc epiſtolarum faſciculum colligere adgreſſus eſt. Ita vero in hoc labore ſe geſſit, ut conquiſitas ex quolibet iſtorum Scriptorum epiſtolas elegantiores (quarum quidem in delectu faciendo tanto minus falli potuit, quo major ejus in hac ſua vernacula habilitas eſt, quoque ſeveriorem paſſim vel in minimis loquelæ lapſibus cenſorem agere ſuevit,) in certas claſſes ſecundum argumenti diverſitatem, redigeret: ſingulis porro claſſibus breves quaſdam conſiderationes, earundē principia & ſtylū cuivis proprium concernentes præmitteret; dein cuivis epiſtolæ ſummam paucis verbis comprehenſam, una cum Autoris nomine præfigeret; obſcuriora quoque, & particulares nimis eorum, inter quos reciprocatæ fuerunt, res aut actiones attinentia, ne tædium exinde ſubnaſceretur, reſecaret; denique paſſim loca vel lucis, vel additamenti, vel obſervationis aliquid expoſcentia, adjectis *Notis*

illuſtraret aut exornaret. Inter literas vero hoc modo diſpoſitas, & ad
ſeſquicenturiam circiter adſcendentes, peculiarem etiam claſſem adſi-
gnare placuit *iconibus*, ſeu hypotypicis diverſarum perſonarum
pag. 132. deſcriptionibus, utut non per modum epiſtolæ factis: in quarum
numero etiam ea eſt, qua *Scarronus*, facetiſſimus quondam Satyri-
cus, ſemetipſum & miſerrimum ſuum ſtatum, ad quem, per Medici
imperitiam & intempeſtive præſcriptum pharmacum, deductus fue-
erat, perquam tamen lepide delineavit; inter alia aſſerens, ſemet o-
mnibus nempe membris captum, ob contractum totius corporis ſi-
180. tum, apprime ſatis literam Z repræſentare poſſe. Ejusdem quo-
que, in claſſe Dedicatoriarum, exhibetur epiſtola ad *caniculam* dire-
cta, qua eidem unum ex opuſculis ſuis inſcripſit; non alio quidẽ fine,
quam ut in ſcriptores quosdam miſellos, adulatoriis ſuis dedicationi-
bus viris magnatibus ſubinde moleſtos, eosq; hoc pacto, utut conatu
ſæpius irrito, nummis emungere ſperantes, liberius calamum ſtringere
eosque riſui exponere liceret. Eadem videtur mens fuiſſe *Antonio Fu-
reterio*, (de cujus Dictionario dudum expectato, nunc tandem in
194. lucem edito, proxime dicendi locus erit,) cum carnifici Pariſienſi,
Johanni Wilhelmo, ſolenni epiſtola certum ſcriptum dedicavit:
quam tamen jocandi licentiam, utut in Scarrono non improbatam,
in eo ſalſe perſtringit Richeletus; quemadmodum alibi paſſim in
hac Sylloge, undecunque arrepta occaſione, eundem acerbioribus
dictis & imputationibus laceſſere, æmulatione fortean ductus, alla-
boravit. De reliquis epiſtolis earumque argumento tractare hic nil
attinet: majorem ex ipſarum perluſtratione voluptatem lector ca-
piet, præſertim cum earum pleraſque ingenioſa ſimul brevitas com-
mendet. *Notas* a Collectore adjectas quod concernit, reſpiciunt
eæ partim grammaticas linguæ elegantias, ſub finem libelli impri-
mis: ubi etiam in vicem corollarii ſpeciatim ſubnectuntur Animad-
357. verſiones in loca quædam epiſtolarum *Balſaci*, *Vecturii* & *Coſtarii*,
inter reliquas exhibitarum; (quibus nimirum innuitur, quomodo in
una alterave phraſi purius aut elegantius loqui potuiſſent laudati
hi triumviri: quas ipſas ad ſubmonitionem *Tiſſerii* & *Graverolii*,
Advocatorum Tribunalis Nemauſenſis, adjectas eſſe noſter perhi-
bet;) partim reſpiciunt res hiſtoricas & geographicas, utut plerum-
que ſatis obvias; partim denique varia Autorum fata, & judicia de
eorum

Digitized by Google

eorum ſcriptis, non parum ad exactiorem Gallicæ literaturæ cognitionem facientia. Summa etenim libertate hac in parte uſus Richeletus, data occaſione nemini parcit, ſed paſſim ſcapham ſcapham vocare geſtit. Hinc non modo, quæ ad encomium Autorum facere queant, indigitavit, qualia ſunt, quæ de ſtylo *Balſaci p.81*, de Caſſandra & Cleopatra *Calprenedi p. 78. ſq.* de Clelia ingenioſiſſimæ Viraginis *Scuderiæ* (cui in hoc quidem ſcribendi genere neminem hactenus paria feciſſe judicat) *p. 183*, de Madrigalibus *Sablerii p.5*, de modernis Hiſpanorum Comœdiographis præſtantiſſimis *Petro Calderono* & *Antonio Solis p.173*, de translatione Italicorum poematum Arioſti, concinnata per facundiſſimam fœminam, *Vaſcon-cellam Gomeſiam de Fuiguirede*, *p.373.* afferuntur: verum etiam ſiniſtrum de iis judicium, ſicubi tale mereri viſi ſunt, haudquaquam reticuit. Sic v. g. perhibet, inter duo epiſtolarum volumina a Domino de *Boisrobert* publicata, vix quinque aut ſex extare, (*p. 191*;) inter eas vero quas *Malherbius* (cujus tamen poemata utique commendat,) epiſtolas ediderit, non niſi unicam reperiri, quæ lectu digna ſit, *p. 222.* Non abſimilia ſunt, quæ de *Conrarti* epiſtolis familiaribus a Felibenio evulgatis, *p. 14*, *Matthæi Montreuilli* operibus, *p. 246*, *Berini* Animadverſionibus in Linguam Gallicam *p. 168*, judicat: quin & famoſum illud *Capellani* Poema, quod *Puellam Aurelianenſem* inſcripſit, a diverſis delicatioris palati ſcriptoribus hodie tanquam coactius rejici teſtatur, *p. 278.* Præmiſit etiam præterea libello huic judicia de tribus aut quatuor epiſtolographis eorum ex numero, qui hoc in faſciculo citati ſunt: ſpondetque Librarius ſimile quid, ſiquidem hæc approbationem meruiſſe compererit, ſe de cæteris pariter autoribus exhibiturum, vel in *Altera parte hujus Sylloges*, vel in *Arte Poetica* compendioſe a *Richeleto* conſcripta, quam itidem expectare nos jubet. Diverſa quoque inſperguntur in notis iſtis, quæ ad hiſtoriam celeberrimæ *Academiæ Francicæ* (a *Peliſſono* plenius deſcriptæ) facere queunt. Narrat nimirum, quomodo hæc privatis primum auſpiciis in ædibus celeberrimi *Conrarti* (qui pag. xıv.
poſtea, dum vixit, in ea Secretarii munere functus eſt,) cœperit, ſed mox A. 1635 Protectore *Richelio* publica autoritate fuerit ſtabilita: 236.
ita ut ejus ſocii, numero quadraginta regulariter, (e quorum medio unus Director, unus Cancellarius, & Secretarius unus eligi-

 tur,)

tur,) egregiis ſimul privilegiis mactati ſint: nacti quippe non modo immunitatem ab excubiarum ac tutelarum onere, ſed & fori privilegium, quod *Droit de Committimus* vocitant, vi cujus non niſi coram Senatu Regio conveniri queunt. Tribus, ut noſter porro memorat, per hebdomadem vicibus in Luparenſi arce, quæ Pariſiis eſt, ſuos horis pomeridianis conventus celebrant: colloquio vero finito, diſcedentibus qualibet vice quadraginta diſtribuuntur argentei nummi (*jettons*) (una facie Regis effigiem repræſentantes cum Gallica inſcriptione: *Louis XIV, Roi de France & de Navarre*; altera vero hæc verba circa marginem: *Protecteur de l'Academie*, & in medio corollam lauream, cui inſcriptum eſt, *a l'Immortalité*) ea quidem conditione, ut præſentes abſentium portionem participent. Ad cooptandum Collegio novum Socium opus eſt, ut viginti ad minimum præſentes adſint: exturbari vero ſemel receptus nequit, niſi quid admiſerit bono & honeſto viro indignum: nec hactenus niſi duo extitiſſe exempla ex collegio hoc remotorum ait noſter: alterum quidem in *Granerio* quodam, ob interverſum depoſitum ſibi concreditū: alterum in *Fureterio*, ob imputatum maxime crimen plagii literarii, commiſsi in magno illo Dictionario, quod Academia jam inde a quinquaginta annis molitur, & niſi fama fallat, brevi in lucem emittet: de qua quidem criminatione jam *in Actis 1687. pag. 373.* quædā dicta ſunt, & proxime ſine dubio plura referendi occaſio erit. Interim diverſa emblemata ſcommatica in ejectū Fureteriū excogitata Richeletus enarrat; quæ utut ſuo calculo approbare non dubitaverit: inficetiora tamen, ob ſordidam inventionē, fortasſis pluribus videbuntur. Interim diffiteri nequit noſter, Academiam hanc toto, quo conſtitit, tempore nihildum perfeciſſe aut in lucem edidiſſe, præter Diſſertationem, quæ controverſiam inter Dominum *Corneil-*
pag. 172. *le*, & Dominum *Scuderi*, ſuper Tragœdia ab iſto conſcripta, quam *Le Cid* nuncupavit, enatam componere tentarit. Unicum adhuc, ne in libello ſat brevi nimis prolixi ſimus, ex Notis noſtri Collectoris allegare juvat, idque concernens titulum Delphini Franciæ Primogeniti: nimirum perhibetur *pag. 142*, cum inde a tempore Henrici IV modo nomine *Monſieur* compellari ſolitum fuiſſe; ante 12 tamen aut 13 annos Regem expreſſe mandaſſe, ut impoſterum *Monſeigneur* ſalutaretur: & eam quidem rem non novam omnino eſſe, ſed in
uſum

Digitized by Google

uſum tantummodo revocatam, cum Franciſci I. ævo eadem conſuetudo ſervata ſit. Denique ſpem facit Richeletus editionis Operum celeberrimi hodie Gallorum Satyrici, Domini *Boileau Deſpreaux*, pag. 345. Notis illuſtratorum, nec non Lexici Vocabulorum mimico-jocularium (*burlesques*;) quæ utraque exteris Gallicæ linguæ amatoribus non poterunt non eſſe pergrata; maxime cum in iis plene intelligendis, etiam Galliæ indigenarum plurimis aquam hactenus ſubinde hæſiſſe conſtet. 61.

SENTIMENS SUR LE MINISTERE EVANGElique, avec des Reflexions ſur le Stile de l'Ecriture Sainte & ſur l'Eloquence de la Chaire. i.e.

Judicium de Miniſterio Evangelico, cum Conſiderationibus ſtyli ſacrarum literarum & eloquentiæ cathedralis.

Pariſiis, apud Dion. Thierry, 1689, in 12. Plag. 30.

EXhibuimus nupero menſe Aprili ſummam libri de arte concionandi, ab Abbate *Brettevillano* editi: nunc alium de eadem materia producimus, itidem ab Abbate compoſitum, cujus nomen in titulo omiſſum, in privilegio regio indicatur *Du Jarry*. Et multa quidem in hoc obſervabunt lectores, quæ cum prioris illius ſententia conveniunt; ſed & alia, quæ conſideraſſe, ut putamus, non pœnitebit. Scopum hunc profitetur Autor, ut Chriſtianis venerationem verbi divini inſtillet pariter, ac decentem in miniſtros id prædicantes reverentiam. Præterea tamen id curaſſe videtur, ut proceribus quibusdam Eccleſiæ Gallicanæ, qui ſacræ eloquentiæ donis inſtructi celebrantur, laudes canat, quas in dedicatione Archiepiſcopo Pariſienſi *Harlæo* tam larga tribuit menſura, ut majori vix poſſit; nec multo minores defert Epiſcopo Meldenſi *Boſſueto*; tum alios quosdam extollit, quorũ dicta libro ſuo, ut exempla conſummatæ in ſacris eloquentiæ & maximi acuminis inſeruit. Libellus undecim capitibus abſolvitur. Primo, ut dicere cœpimus, ſcopus & ſumma propoſiti exhibetur. Cap. II probatum it, quod virtus prædicationis ſemper manſura ſit in Eccleſia. Cap. III. quod verbum Dei vires & efficaciam habeat, a qualitatibus concionatorum non cap. 1.

 depen-

dependentem, ab eorum tamen miniſterio inſeparabilem. Cap. IV. utilitatem concionum deducit. Cap. V. eloquentiæ neceſſitate oſtendit, & refellit eos, qui hanc ex cathedris ſacris eliminatam cupiunt. Cap. VI. & VII. ſacrarum literarum ſive ſtyli biblici majeſtatem aliasque dotes conſiderat. Cap. VIII. obſervat, quæ & qualis eſſe debeat eloquentia Evangelica. Cap. IX. de pronunciatione diſſerit. Cap. X. de deſcriptionibus ſive characteribus & hypotypoſibus perſonarum & actionum (Galli *portraits*, effigies vocant) tractat, allatis ex ſacro codice, & autoribus Gallis quos magni facit, exemplis. Gap. XI. de ultione divina contra eos tractat, qui verbo Dei abutuntur, illos maxime, qui ex curioſitate & taxandi cauſa conciones frequentant. Cum vero Autor liberiori methodo, ut ipſe fatetur, ſcripſerit, & ſat multa ſimilis materiæ ex libro, menſe Aprili relato, a nobis enarrata ſint, ex plerisque libri hujus capitibus non quidem ſummam, ſed quædam loca, quæ inter cætera ſelegimus, adſcribemus, ut de Autoris eruditione & facundia minime, ut videtur, vulgari, judicium ferri poſſit. Officium concionatorum hac ſimi-

Cap. II. pag. 21. litudine deſcribit: *Quemadmodum*, ait, *cæli enarrant gloriam Dei, idque ſemper faciunt, Apoſtoli vero cum aſtris toties in ſacris literis comparantur, eorum dicta eandem adhuc, quam olim, vim habent & efficaciam. Sic qui illis ſucceſſerunt concionatores evangelici, eandem functionem in Eccleſia habent, quam cæli & aſtra in orbe, & propterea omni tempore myſteria, quæ divina miſericordia in ordine gratiæ operata eſt, enuntiare debent, ut Firmamentum opera manuum ejus enuntiat in ordine naturæ, Pſ. XIX, 1. & ſicut cæli influentias, quas vocant, in orbem naturalem effundunt: ita illi ſuas in orbem ſpiritualem debent diffundere.*

Cap. III. pag. 33. De efficacia prædicationis ita diſſerit, ut diſtinguendum eſſe doceat inter eam, quæ miniſtris, & quæ miniſterio adhæret. *Certum eſt*, ait, *majorem ſucceſſum a Deo dari laboribus concionatoris pii & zelo ferventis, quam ejus, qui hoc caret; plus unctionis & virium admiſcet Deus concionibus eloquentibus & patheticis, quam iis, quæ tales non ſunt: ſed hæc non niſi accidentalia ſunt, concionatorum virtus autem eſſentialis & principalis ipſi concionum miniſterio ſemper adeſt.*

Cap. IV. pag. 43. De eadem materia notat, rariorem eſſe hodie effectum manifeſtum, quo nempe peccator uno momento convertatur, ut factum eſt tempore Apoſtolorum: *Neque tamen dubi-*

dubitandum eſt, ait, *quin etiam infirmi, & cum Apoſtolis nequaquam comparandi concionatores, nunc quoque homines moveant & convertant, qui neque ipſi converſionem ſuam ſtatim deprehendunt, neque aliis mox conſpiciendam prabent. Deus enim ſape leni & occulta via peccatores movet & emendat, ad exemplum caci Marc. VIII, 24. 25. qui primo homines videbat ut arbores, deinde clare omnia. Senſim itaque & per gradus corriguntur plerique, non ab una concione. Ex prima forte metum quendam ſenſerunt, per quem ex infelici criminum ſomno excitantur; ex altera cœpta pœnitentia incrementa acceperunt; ex tertia demum propoſitum firmarunt inſiſtendi piis cœptis & deſideriis, & tandem gratia Jeſu Chriſti vim verbi promovens, animam ex flebili lapſu reſtituit. Male igitur & ex ſuo exemplo judicant, qui omnes peccatores aque frigidos & immotos, quam ſe, ad conciones eſſe ſibi perſuadent.* Propoſitis argumentis, quibus demonſtrat, eloquentiam in concionibus hodie requiri, licet Apoſtoli ſimpliciſſime locuti ſint, & refutata objectione, quod humanæ artes non niſi humanos effectus producere videantur; concionatores excitat, ut agnoſcant, intereſſe maxime, ut verbum divinum, cujus organa eos Deus conſtituit, omnibus viribus ſtudeant populo venerabile reddere, & majeſtatem ejus in conſpectum producere. *Ideo*, ait, *nunquam nimis praparati prodire, aut nimia ſollicitudine expendere & elaborare poſſunt, qua ad promovendam gloriam Dei & religionem dicturi ſunt. Qui ſolum naturali fidunt facundia, aut allegationes cumulant absque delectu, verbum Dei exponunt deriſionibus illorum, qui etſi ad veritatem videndam cœci, lyncei tamen ſunt in perſpiciendis concionatorum defectibus. Culpam itaque ſuſtinent faſtidii, quod negligentia & ruditate ſua delicatioribus faciunt; horum enim objectiones, quantum poſſunt, prævenire debent, omnique conatu id agere, ut radios quosdam inviſibilis illius majeſtatis divina, cujus miniſtri & nuntii ſunt, in auditores ſpargant, & auguſtis his characteribus mentes illorum percellant & firment, qui ob modicam fidem difficillime credunt, qua non vident. Honorem ſummi Regis, cujus Legati ſunt, imminuunt, qui non magna cum diligentia annituntur, ut ejus mandata cum apparatu decenti, & tanto Heroe digno proponat.* Ut vero illos reprimat, qui in Sacra Scriptura nil niſi ſimplicitatem obſervant, neque ſimul ſacram eloquentiam in illa deprehen-

Cap. V. pag. 113.

Cap. VI. VII. pag. 124.

prehendunt, multis hanc elogiis extollit, inter alia ſcribens: *Nulla idea eloquentiæ concipi poteſt, quæ non perfectiſſime & multiplici genere atque charactere in ſacris literis inveniatur. Habent illæ vim & impetum, qui rapit & cogit; unctionem, quæ lenit & emollit; dulcedinem, quæ conſolatur; majeſtatem & pompam, quæ percellit; imperium, quod vincit & triumphat. Habent ſimplicitatem nativam, quæ ſumme placet; figuras inexpectatas, quibus extra nos rapimur; inimitabiles in omnibus paginis formulas, quibus & admiranda majeſtas ineſt.* Hæc plurimis exemplis ſtabilit, nullasque orationes plus gravitatis & ornatus habere docet, quam quæ phraſi Scripturæ proxime accedant; quod adductis celebrium concionatorum in Gallia locis confirmat. Agnoſcit tamen, dona Dei diverſa eſſe, neque tam ingenium & ſtudium requirit, quam intimum mentis ſenſum, ſive quod de Salomone 1. Reg. IV, 29. legitur, *cordis latitudinem*; magnum nempe animum divinitus datum, cujus ſenſibus motibusque ingenii acumina ſuperantur: *Qui enim*, ait, *cor anguſtum & dejectum habent, ægre ſe erigunt ingenii opera. Poſſunt quidem multo labore & exercitio ſublimia concipere & enuntiare, neque tamen omni induſtria ſua illos æquant vere magnos, quos Dei gratia naturali veluti inſtinctu quodam absque labore in ſublime ſenſuum & dictionum genus evexit. Hi veluti ex fonte rivos effundunt; cum alii, qui arte & labore aliorum ideas & formulas ſollicite conquirunt, per longos canales aquam in ſterilem fundum deducant, eamque guttatim deſtillent.* Si quis nobiliſſimum & incomparabile exemplum heroicæ hujusmodi eloquentiæ deſideret, inter Germanos in Luthero prorſus ſingulare deprehendet. In deſcriptione eloquentiæ Evangelicæ, inter plurima alia obſervatu digniſſima hæc habet: *Minime omnium requiritur eloquentia profane compta & delicata, quæ formulas ſeculo gratas affectet, & in terminationibus, inciſuris & periodis, ſonore & æqualiter cadentibus, venuſtulum aliquid & floridum aut effœminatũ quærat. Nihil magis oppoſitum eſt ſacræ, quam exigimus, eloquentiæ; hæc enim fortis ſit, oportet, libera, maſcula, generoſa nec non auſteritate & mortificatione Evangelii veſtita, quæ ſigna & teſſeras crucis & pœnitentiæ ſecum ferat. Sequitur hinc, ut concionatores ſine intermiſſione ſacras verſent literas, & has veluti in ſuam convertant ſubſtantiam, iisque mentem & ingenium nutriant, ut omnia dicta ſua illas redo-*

[Margin notes: pag. 146. (beside "nes plus gravitatis"); 183. (beside "rum in Gallia"); C. VIII. (beside "tim deſtillent"); pag. 267. (beside "heroicæ hujusmodi")]

Digitized by Google

redoleant, utque Evangelium per ipſum prædicent Evangelium, & veritatem æternam verbis vitæ æternæ annuntient, quæ nusquam ſunt quam apud Chriſtum, Joh. VI, 68. Et poſt alia: *Ingens diſcrimen eſſe debet inter ſermones hominum, qui vanitatis ſunt mancipia, & præconum veritatis. Nihil majeſtate cathedræ indignius eſt, quam phraſes noviter in ſeculo inventas ſectari; fugienda non ſolum eſt negligentia & ruditas ſtyli, quæ auditoribus nauſeam facit, ſed haud minori cura affectatio phraſium vitari debet, quæ ſcandalum pariunt.* De iis, qui in concionibus ſcientiam & eruditionem plus juſto oſtentant, hæc monet: *Scientia in concionibus comparari poteſt cum oſſibus & nervis in corpore. Hoc absque illis conſiſtere non poteſt, ſicut nec ſermo absque probatione & autoritatibus. Quemadmodum autem nervi & oſſa deformitatem habent, ſi in corpore promineant & conſpiciantur: ita & ſcientia ſupra modum adhibita conciones deformat, & unctionem verbi divini veluti exſiccat; veritatem, quæ docetur, in intellectu deponit, ad cor vero non transfert, & dum ſoliditatem nimiam affectat, utilitatem perdit. Stabilita, quantum ſufficit, veritate, obtunduntur homines diſcreti, ſi ſuperfluis argumentis urgeantur jam convicti, nec amplius reſiſtentes: ſicut exceſſus nutrimenti obruit corpus, non reficit. Diſſipatur attentio, boni mentis motus per intellectum veritatis recepti interrumpuntur, nec facile recolligi poſſunt; momentum dictorum evaneſcit, & oratore, dum continuat, quæ non attenduntur, aerem feriente, auditor in vanas diſtrahitur cogitationes.* De pronuntiatione & geſtu hæc potiſſimum notanda occurrerunt: *Orator Chriſtianus nunquam nimis ſollicitus eſſe poteſt, ut talem geſtu, voce, totoque perſonæ habitu ſeſe exhibeat, quo inter ſermonem & miniſterium ſuum conformitas deprehendatur. Optimus in concionatore habitus externus non eſt ille, qui ad regulas mundi componitur, ſed qui ad convertendos homines aptiſſimus eſt. Concionatores, quibus vehementer applauditur, ſuſpecti plerumque ſunt vanitatis & adulationis, aut ſpeciem hujus dant, etſi mentem ab ea immunem habeant.* Hæc tamen Autor non accommodat iis, qui corporis animique dotibus a Deo ornati, ſtatim atque prodeunt, venerationem præſentia ſua apud populum excitant, dummodo externæ illi majeſtati gravitatis & mortificationis Evangelicæ ſo-

pag. 269.

Cap. IX. pag. 378.

liditas accedat. Hanc iterum pluribus laudat & exigit, ubi de
Cap. X. deſcriptionibus & repræſentationibus tractat. Aptiſſimum ad converſiones promovendas medium eſſe ait, ut peccatori miſerrima conditio ſua depingatur; imitandum eſſe a miniſtris Deum, qui ſumine gratiæ ſuæ criminum imagines in corde peccatorum effigiat. *Huic, inquit, Spiritus Sancti labori ſuum jungat concionator,*
pag. 400 *vivos colores afferens, ex quibus homo, etiam invitus, ad agnitionem perducatur. Sicut enim peccata ſpiſſas ſecum ferunt tenebras & latere volunt delinquentes, hi etiam nihil non faciunt, quo divini luminis reliquias, quibus peccati ſui turpitudinem detegere poſſent, extinguant, atque a ſe ipſis & a moleſtiſſimo conſpectu criminum ſuorum ſemper longius evagantur, & ſtrepitu vitæ vanæ & diſſolutæ obſurdeſcere cupiunt, ne importunam conſcientiæ vocem percipiant, quæ ad converſionem magno veluti clamore excitantur: Ita bonus & idoneus concionator operam dat, ut auditores ad imum conſcientiæ fundum, quem intrare non audent peccatores, reducat, & quas illi delere ſatagunt, criminum ideas efformet & obtuendas offerat.* Addit tamen cautiones contra abuſus, ne eum in modũ deſcribantur crimina, qui profanas in mentibus auditorum cogitationes generet; ut & contra applauſus hominum, quorum plerique in concionatoribus alia omnia quærunt, mirantur & laudant, quam quæ ſolidam habeant laudis materiam & profectum emendationis. Ultimo capite
Cap. XI. libri graviter demonſtrat Autor, quam flebilem & miſerandum in
pag. 441. modum omnia, quæ ad ſalutem & ſanctificationem hominum ordinata ſunt, & ſic etiam verbum divinum, in eorum, qui beneficiis his non recte utuntur, obdurationem & æternum vertantur exitium. Hoc Judæorũ exemplo evincit, qui verbo divino converti jam tam difficulter poſſint, licet id, ſecuto vaticiniorũ implemento manifeſtisſimo, facilius quam olim intelligere queant, ſed juſto Dei judicio excæcati, frequenter licet lecto & conſiderato verbo, minus tamen ſemper in illo proficiant. Idem accidere ait Chriſtianis, qui operationi ſalutari verbi reſiſtunt, licet ad illud audiendum diligenter accedant. *Ex his ſunt*, ſcribit, *ſumme curioſi & delicati, qui omni ſolertia ex concionibus quærunt & apprehendunt, quod ipſis nihil prodeſt; qui œconomiã orationis inveſtigant, genus dicendi & vim argumentorum ſcrutantur,*

Digitized by Google

tantur, & nihilominus, ut Judæi, velum obductum habent, ut veritates Evangelicas ſibi ſpeciatim applicandas non diſcernant. Si quæratur, ait, *quibus auditoribus minimum fructum afferat verbi divini prædicatio, id in illis fieri deprehendetur, qui vulgo dicuntur curioſi & intelligentes (connoiſſeurs.) Equidem excuſatione non prorſus caret ignorantia* pag. 449. *& ſtupor, ſed excæcationi malitioſæ tanto gravior pœna imminet, quanto major ſcientia veritatis illi conjuncta eſt.* 452. *Quælibet concio, quam hi audiunt, ignorantiam eorum minuit, ſed malitiam & culpam auget; quo plus vident, eo minus credunt; quanto clarior illis allucet veritas, tanto durior eorum eſt renitentia.* In his quodammodo impleri dicit prophetiam *Amos VIII, 11.* ubi fames & ſitis verbi divini prædicitur ejus contemtoribus: *Hac laborant*, ait, *qui omnes egregios & celebres concionatores audire flagrantiſſime cupiunt, impenſe etiam laudant, & ſic undique Manna cœleſte colligunt, quo tamen nunquam utuntur, quia ſemper aliquid in eo guſtui ſuo depravato inſipidum deprehendunt; tandem vero Iſraelitarum exemplo nauſeam concipiunt, & alimentum hoc ſpirituale rejiciunt.*

MUSEI ITALICI TOMUS II. COMPLECTENS antiquos libros rituales Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, cum Commentario prævio in Ordinem Romanum.

Luteciæ Pariſiorum, apud Joh. Boudot &c. 1689, in 4.

Conſtat plagulis 97.

Quis ſtructor hujus Muſei ſit, ex primi Tomi recenſione, in Actis noſtris A. 1687 pag. 593. ſeqq. exhibita, nemini obſcurum eſſe poteſt. Commentarius prævius in XXI capita diviſus eſt. *Cap. I.* neceſſitas cognitionis rituum Romanorum inde adſtruitur, quia Romana eccleſia aliarum, maxime Occidentis, eccleſiarum norma ſit & exemplar. Hoc argumentum tractaſſe Salmaſium & Onufrium; ſed prioris commentationes, incertum, an abſolutæ; poſterioris Opus MS. exſtat in Bibliotheca Vaticana & regia Pariſienſi, ſed non tam Onufrii commentationem exhibet, quam collectionem veterum librorum ritualium Romanæ eccleſiæ. Nec defuerunt ex antiquis,

quibus idem conſilium fuit, quorum pleroſque in unum corpus redegit Melchior Hittorpius. Præcipui ſunt Amalarius & Micrologus, de quibus nonnulla diſſerit Autor, narratque malam gratiam, quam Chriſtophorus Marcellus Corcyrenſis Archiepiſcopus, editione *Rituum Eccleſiaſticorum S. R. E.* Venetiis A. 1516 facta, Romæ iniverit, a Paride de Craſſis, ceremoniarũ magiſtro, plagii ex Auguſtini Piccolominei opere de ſacris ceremoniis commiſſi accuſatus, & ob prodita vulgo rituum myſteria cum libro ſuo ad ignem poſtulatus. Sed Mabillonius defendit Marcellum, & his omnino verbis primum caput claudit: *Tantæne animis cœleſtibus iræ? Cap. II.* inquirit Ordinis Romani ætatem, eumque ſæculo octavo antiquiorem, atque ad tempora vel Gelaſii pontificis, vel ſaltem Gregorii M. revocandum exiſtimat; obſervatque Auguſtini Patricii, anteà Piccolominei, opus, quod diximus, A. 1488 ſcriptum & Innocentio VIII nuncupatum eſſe. *Tertio* de ſeptem regionibus eccleſiaſticis in urbe Roma, & baſilicis, titulis diaconiisque tractat, exſtructionisque formam tradit. *Quarto* Clerum Romanum deſcribit, cujus Collegia primis novem ſæculis rara in urbe, & forte nulla, præterquam in baſilica Vaticana fuerunt. *Quinto* vocem *Stationis* explicat, quæ hoc loco ſumitur pro concurſu populi ad locum indictum, id eſt, ad eccleſiam, in qua proceſſio clericorum conſiſtit ſtatis diebus, ad ſtatas preces faciendas. Hinc docet, quemadmodum Romæ inſtitutæ ſint ejusmodi proceſſiones, quæ non raro apud antiquos autores *Litaniæ* appellentur. *Capite* VI, VII, & VIII conſiderat ſingulares ritus miſſæ Pontificalis ſecundum Ordinem Romanum; quando Pontifici ad altare procedenti præferebantur *Sancta*, i. e. Euchariſtia; quando *fermentum*, i. e. euchariſtia per titulos Dominicis diebus ſingulis mittebatur; quando certa ratio obſervabatur in Canticis & Lectionibus, ubi diſputat Mabillonius adverſus eos, qui Symbolum fidei in Romana eccleſia non fuiſſe recitatum ante Henrici primi Imperatoris tempus exiſtimant, monſtratq; longe ante id tempus Symbolum recitari moris fuiſſe, ex Amalario, Ordine Romano, Walafrido Strabone & aliis; quando oblationes panis & vini, non modo laici utriusque ſexus, ſed etiam ſacerdotes & diaconi in miſſa pontificali faciebant, de quibus ſingularia habet Mabillon, ut & de iis, quæ ad Canonem miſſæ pertinent, & ad ſacram Pontificis communionem &c. *Cap.*

IX.

Digitized by Google

IX ex Alexandro Alenſi probat, ſeculo decimo tertio communionem ſub una ſpecie receptam eſſe; ſed eam ſub utraque viguiſſe ad initia ſæculi duodecimi, ex autoribus illius temporis, Anſelmo Cantuarienſi, Guillelmo de Campellis, & aliis fidem facit. At ſub utraque ſpecie communionem ait Regi & Imperatori præbitam a Pontifice ante hæreſin Huſſitarum, qua ingruente Friderico III Romam profecto calix ſubtractus fuerit. *Cap. X. & XI.* declarat, quid Roma peculiare habuerit Sabbato ante palmas, quo Papa eleemoſynam & fermentum dabat; Dominica Palmarum, qua Evangelium vel Euchariſtia in feretro deferebatur; in Cœna Domini, qua Pœnitentes ante Miſſam Eccleſiæ reconciliabantur, ſed poſt eam fiebant proceſſus generales, i. e. Excommunicationes adverſus criminoſos; & in Paraſceve, cujus ſtatio ubi & quomodo facta fuerit, explanat: cumque illo die Miſſa ex præſanctificatis celebrata fuerit, duplex inde oritur quæſtio, altera, an calix in hac Miſſa præſanctificatorum vere ac proprie conſecretur per immiſſionem particulæ conſecratæ; altera, an ſcyphus adhibitus ad communionem populi in Miſſa pontificia, itidem fuerit conſecratus ex infuſione ſanguinis? De utraque *Cap. XII. XIII. & XIV.* ita diſputat Mabillonius, ut autores, qui ante & poſt Berengarii hæreſin vixerunt, diſtinguat, ſed neutrius partis ſententiam absque dubitatione eruat; quanquam Baronio dicam ſcribit, qui transſubſtantiationem vini in ſanguinem ex tali commiſtione fieri, a tota antiquitate exiſtimatum dixit. *Cap. XV.* deſcribit ritus in Sabbato Sancto Romæ obſervari ſolitos, quorum haud poſtremus eſt cereus Paſchalis, cui quotannis tabella appenſa erat cum inſcriptione anni Dominicæ paſſionis, qui tum currebat, ut ex Beda & Udalrico liquet. *Cap. XVI.* de ordinationibus Romanæ Eccleſiæ agit, quæ plerumque hyeme, in feſto Nativitatis Chriſti fiebant, vel vere, in prima aut mediana hebdomade Quadrageſimæ. Tum exponit Mabillonius, quemadmodum Acolythi, Diaconi, Presbyteri, & denique Epiſcopi Romæ olim ordinati fuerint. *Cap. XVII.* prolixe refert, quot quantisque mutationibus obnoxia fuerit Pontificis Romani creatio, quod argumentum Onufrius decem libris complexus eſt. Mabillonius totam hiſtoriam ſex periodis comprehendit, quarum prima a Petro ad Conſtantinum pertingit, inque ea Romani Pontificis electio penes clerum & cœ-

 tum

tum fidelium ſtetit: ſecunda usque ad Juſtinianum; quia etenim parta Eccleſiæ pace varias ſubinde turbas faceſſivit Romani Pontificis electio, hinc factum eſt, ut primo Imperatorum Occidentalium, iisque pulſis Gothorum Regum accederet autoritas, qui miſſos ſuos Romam dirigebant, ut electioni intereſſent: tertia usque ad Carolum Magnum; ex quo enim Gothis Italia exactis Roma in Orientalis Imperii portionem redacta fuit, mors Pontificis ſignificabatur Exarcho Ravennatenſi, juſtisque perſolutis, novus a clero, optimatibus, populo & militibus eligebatur, indeque ab Imperatore petebatur & exſpectabatur approbatio, ac ea de cauſſa literæ ad Exarchum, Judices, Archiepiſcopum & Apocriſiarium, Ravennam mittebantur, ut electioni faverent. Poſt datam ab Imperatore approbationem, electus tandem ordinabatur. Sed Carolo Magno (a quo quarta incipit periodus) Hadrianus Papa cum Synodo CLIII Epiſcoporum tradidit *jus & poteſtatem eligendi Pontificem, & ordinandi Apoſtolicam ſedem*; poſt cujus mortem Carolus liberam eligendi ſucceſſoris facultatem clero & populo reliquit, approbatione ſibi reſervata. Hadrianus autem tertius ſtatuto edicto cavit, ne deinceps in approbando Pontifice exſpectaretur Imperatoris autoritas. Poſt Hadrianum III (in quinta periodo) tumultuaria paſſim fuit Papæ electio, usque ad principatum Ottonis Magni, qui in electione pontificia ſummam ſibi ſuisque poſteris autoritatem attribuit. Sed Gregorius VII. ejusque ſucceſſores multas turbas propterea excitarunt, donec vicit Alexander tertius, (a quo ſextam periodum auſpicatur Mabillonius) & a ſolis Cardinalibus Pontificem eligi voluit, cui Conclave hodienum uſitatum addidit Gregorius X. Porro electo Pontifici, ut docet Mabillonius *Cap. XVIII*, conferebatur ordinatio & inthronizatio: illa in Vaticana, hæc in Lateranenſi baſilica. Pleroſque utriusque ritus deſcribit Autor, unde nos unam, ſed illuſtriorem eligemus, *de ſella ſtercoraria*, cujus originem ad pſeudopapiſſam Johannam referendam non eſſe inde colligit, quia ejus ſellæ ante ſeculum duodecimum nulla facta inveniatur mentio: nec perforatam fuiſſe probat, tum ex *αὐτοψίᾳ* ſua, tum ex acclamatione Pontifici facta: *& de ſtercore erigit pauperem*; unde nomen ſedi illi adhæſerit. Sed poſt Leonem X totus ille ſedium ritus abolitus eſt, *cum Romanos fabulæ tam male inventæ, quam facile creditæ, pudere cœpit*, ut loqui-

tur

tur Mabillonius. *Cap. XIX* vexatum Socratis Scholaſtici locum, de prætermiſſis myſteriis ſacris in ſabbatis apud Romanos expendit, multaque notatu digna inneċtit. *Cap. XX.* declarat, quid veteres *per Confeſſionem S. Petri* intellexerint, nec non per *rugas & regulares;* quomodo denique Euchariſtiam aſſervarint in *capſa, turri, columba* &c. *Ultimo & XXI capite* graviter invehitur in eos, qui vel antiquos ritus novis ſemper præferunt, vel omnes ad unum modum revocandos cenſent, ac tandē Matthiam Flacium Illyricum confutat, qui Miſſam a ſe editam Romana antiquiorem falſo judicavit.

Nunc ipſos libros rituales adgrediamur. Primo loco ſiſtuntur *tres Ordines Romani*, qui ad Miſſam Pontificalem pertinent, eorumq; antiquitas variis argumentis exploratur, ſubjecto *fragmento veteris Ordinis Romani.* Sequuntur *duo* alii *Ordines*, Miſſam epiſcopalem exhibentes, mox *tres* antiqui *libelli*, unus *de Baptiſmo*, ac duo *de Ordinationibus ſacris.* Hæc omnia novem priores partes hujus Tomi abſolvunt. X. exhibetur *Ordo Romanus*, quem ſæculo tertio-decimo antiquiorem judicat Mabillonius, & ad undecimum revocat: XI. *Benedicti, beati Petri Canonici, liber pollicitus* ad Guidonem de Caſtello, tunc Cardinalem S. Marci, qui poſtmodum A. M C XLIII. factus eſt Cæleſtinus II; additis *Excerptis* ex libro *Petri Mallii* Canonici S. Petri ad Alexandrum tertium. XII. *Romanus Ordo* autore *Cencio de Sabellis* Cardinale & Cancellario, denique Papa ſub Honorii III. nomine. XIII. *Ceremoniale Romanum* juſſu Gregorii X. editum. XIV. *Ordinarium S. R. E.* autore, ut videtur, *Jacobo Cajetano*, qui Cardinalis creatus eſt a Bonifacio octavo, mortuus ſub Clemente ſexto. XV. *Liber Petri Amelii* Epiſcopi Senegallienſis *de Ceremoniis S. R. E.* poſt A. 1378 ſcriptus; ut falſi ſint, qui autorem A. 1368 obiiſſe ferunt, cum adhuc A. 1398 in vivis fuerit, ut ex libro illo probat Mabillonius. XVI. *Index ſolennium Collectarum & Stationum S. R. E.*

In *Appendice* exhibentur (1) *Ecloga Amalarii* Abbatis in Ordinem Romanum. (2) *Johannis Diaconi Liber* de Eccleſia Lateranenſi. (3) *Conſtitutiones Lateranenſes.* (4) *Auguſtini Patricii* Piccolominei, Epiſcopi Pientini, *epiſtola* ad Innocentium VIII in Librum ſacrarum Cæremoniarum. (5) Excerptum *ex Diario Paridis de Craſſis*, contra Marcellum, electum Corcyrenſem, de quo ſupra diximus.

DE MORBIS ACUTIS INFANTUM AUTORE Gualtero Harris, Med. D. Celeberrimi Collegii Medicorum Londinenſium Socio atque Cenſore.

Londini, impenſis Samuelis Smith, 1689, in 8. Plag. 10.

MOdernos inter, qui poſt *Sylvium* magnam in Valetudinarium Infantile expoliendum contulerunt operam, primas hactenus tenuerunt *Etmullerus* noſter, *Doleus*, *Jungken* & *Blancardus*. Aſſociandus vero hiſce nunc Autor præſens, famam jamjam e *Pharmacologia Anti-Empirica* ante ſeptennium idiomate Anglico edita, in *Supplementis* etiamnum a nobis recenſenda, indeptus; quippe qui Experientiſſimi *Sydenhamii* inſtinctu, ſucceſſus in curandis Infantum periculoſioribus affectibus inſignes ſæpius compertos ingenue hic communicare annititur. Scilicet, quamvis a multis curatio puerilium ægritudinum, ob diagnoſin incertam, incerta & difficilis reputetur, Noſter nihilominus infantum ſymptomata manifeſta, craſin molliculam, ſimpliciſſimamque diætam attente trutinans, morbos eorundem pauciſſimos eſſe, & gradu tantum ſive loco differre, adeoque promtius longe, quam in adultis cedere, libere pronunciat. Quem in finem cunctorum morborum infantilium non niſi unicam rimatur cauſam proximam, nempe acidum, cum in hoc humidiſſima puerorum temperies unice degeneret facillime, deque acidi quoque præſentia tum cauſæ procatarcticæ, tum ſingula ſymptomata, tum denique ipſa methodus medendi ſatis teſtentur. Etenim ratione ſuggeſta, qua puerilium pathematum diagnoſis, apud plures incerta ob ineptum ſaltem medendi modum viſa, non tam ab infantum ſive puerorum narratione, vel a pulſu ſemper fere accelerato, aut urina naturaliter etiam craſſiſſima, quam a nutricum reſponſis peti debeat; cauſæ eorundem procatarcticæ, diſpoſitio nimirum parentum morboſa, vel ſanorum licet poſt ingravidationem factam frequentior cohabitatio conjugalis, frigus ſuſceptum, lac nutricis nimis craſſum, carnis deglutitio præmatura, & inſana vini aut liquoris alicujus ſpirituoſi indulgentia, non tantum explanantur, ſed & in acidi, ceu cauſæ immediatæ, productione conſpirare indigitantur. Hiſtoria

ſtoria dehinc affectuum graviorum, quibus Infantes plerumque corripi ſolent, panditur, & quomodo acidam potiſſimum ventriculi ipſorum temperiem Nauſea, Vomitus, Flatus, Puſtulæ, Aſthma, Tuſſis, Tormina, Diarrhoea, Febris, Rachitis, Scrophulæ, Lumbrici, Motus convulſivi aliaque mala inſequantur, uno verbo, quomodo univerſa ſymptomata ab acidi prædominio exoriantur, ſuccincte traditur. Methodus denique medendi, a qua ut & nutricibus magis vel minus morem gerentibus Prognoſis cumprimis dependeat, duplici ſuperſtruitur Indicationi, quarum altera acidum, quo commodius eliminetur, præparandum, altera autem idem præparatum expurgandum, præcipit. Priori ſcopo apprime inſervientia, non inertia Magiſteria, nec Salia, ſive volatilia, ſive fixa, nec ſpirituoſa vel aromatica, veluti ſingula calorem excitantia, neque opiata, viribus admodum debilibus neutiquam proportionata, ſed abſorbentia terrea ac teſtacea, omnino ſimul anodyna celebrantur, ſufficienti quantitate, i. e. ſæpius ad unciam unam aut alteram vicibus repetitis cum Julapio quodam propinanda. Quemadmodũ enim inflammatio aut turgeſcentia ſanguinis notabilior, hujus uncias non tantummodo ſex, ſed viginti ad minimum cum levamine emittendas exigit, ita & graviora ſymptomata pulverum laudatorum uſum non tam drachmis, quam unciis dimetiendum videntur dictitare. Poſteriori autem intentioni, nec in ipſis Febribus negligendæ, ſatisfacientia Cathartica blanda, Rhabarbarum præcipue, prima vice Enemate mitiſſimo vel Cryſtallis etiam Tartari, imo nonnunquam v. g. in Tusſibus convulſivis, Venæ ſectione, præmisſis, commendantur, tanquam præcipitantium medicaminum primaria, absque eo, ut vel criſis, a medendi ratione in totum dependens, expectari, vel malignitas quædam fictitia reſpici debeat. Qualis curandi methodus uti adverſus Objectiones aliorum propugnata, ſpecialius Febri annis elapſis maxime epidemicæ, difficili Dentitioni, Aphthis, Diarrhœæ, Vomitui, Torminibus, Convulſionibus, Variolis & Morbillis adaptatur, ita Obſervationibus demum aliquot adnexis ſumme proficua comprobatur.

ANTONII NUCK SIALOGRAPHIA ET DUctuum Aquoſorum Anatome Nova.

Lugduni Batavorum, apud Petrum vander Aa, 1690 in 8.

Conſtat plagulis 12. & Figurarum tabulis 6.

INdefeſſum Autoris ſtudium, quo magnum Recentiores inter Anatomicos ſibi nomen comparavit, nondum elanguere, vel Scriptum præſens, quinquennio abhinc *de Ductu Salivali novo &c.* primum editum, *Actis*que *noſtris* A. 1686 p. 158. inſertum, palam reddit, utpote quoad *utramque partem* egregiis acceſſionibus, unice a nobis per-
pag. 4. luſtrandis nunc, ditatum. In *priori* enim *parte* oſtenſo, Veterum dicta obſcuriora eſſe, quam ut aliquid certi circa Salivæ fontes, vel
8. 9. horum ſtructuram aut uſum ſitumve ex iis elici valeat, ipſos ductus ſalivales *Warthonianos*, *Stenonianos* & *Bartholinianos* ſive *Rivinianos*, quomodo in ſubjecto obſerventur humano, una cum glandularum,
15. a quibus prodeunt, nec non vaſorum haſce irrigantium, ſitu natu-
12. rali ad amuſſim delineat. Inprimis canales ſalivales Cl. *Rivini* noſtri non in omnibus animalibus æque ac in capite vitulino diſpoſitos reperiri annotat, cum in equo, *Warthono* jamdum advertente, item in ovibus, cum excretorio glandulæ maxillaris vaſe communicent, ac orificio ſimplici intra os hient, in homine autem minus etiam-
14. num pateant, niſi quod ſæpius oſtio ductus *Warthoniani* exilia adſtent foramina a glandula ſublinguali oriunda, ſemel ſaltem hoc anno, etiamſi in altero tantum latere, duplex oſtium diſtinctum, prout in vitulo, apparuerit, Mercurius nihilominus vaſculo ſublingualis glandulæ injectus ad hujus non niſi anticam partem penetrarit.
27. Quemadmodum vero ad legitimam ſalivæ ſeparationem variam particularum & pororum proportionem requiri exemplis diverſis elucidat, ita ſimul Aquam diureticam, v. g. Tincturam Theæ, bruti cujusvis abdomini per peritonæi proceſſus ad diſtenſionem ejusdem ſiphone injectam, viginti quidem horarum intervallo per inſenſibilem tranſpirationem penitus diſſipari, nullo tamen modo aerem
50. eadem ratione adaptatum, experientia edoctus recenſet. Nec omittendum, in fœmina iterum gravida poſt pueri ablactationem, inſignem primo mammæ dextræ intumeſcentiam, mox tamen, cum ſubitanea hujus ſubſidentia notabilem & dolorificum ſalivæ lacteæ effluxum, fuiſſe obſervata, quæ phænomena e ſanguinis copioſiſſimo chylo referti circulari pariter motu, atque convenienti glandu-


larum

Digitized by Google

Digitized by Google

g. 299.

Fig. 3.





Digitized by Google

larum ſalivalium diſpoſitione deducuntur. In *altera* autem *parte* novi Autoris ductus aquoſi & ab objectionibus, quibus in *Diſſertatione* quadam *de tribus oculi humoribus* non ita pridem fuerunt laceſſiti, vindicantur, & ab arteria carotide interna exoriri, ceræ ac mercurii in eandem injectione demonſtrantur, ac in canino cranio Fig 1. diſtinctè repræſentantur, ita quidem, ut in pleriſque animantibus non in cornea, quam opacam perforant, terminari, ſed ad uveam tunicam & iridem præcipue, progredi varioſque ibidem anfractus regulari ſemper modo diſpoſitos, ac *Fig.* 2. delineatos, conſtituere perhibeantur. Qualis ſerpentina eorum intorſio ſecretionis peragendæ gratia defectu glandularum neceſſaria omnino aſſeritur, quo media in via ita inflexa, omne heterogeneum ad oſtia venoſa, aquoſa tantum humore remanente, queat deponi, exemplo arteriæ ſpermaticæ, quæ non modo in brutis in ſimiles cincinnos, ut particulæ potiſſimum ſeminales reſtitent, reliquis in venas amandatis, contorquetur, ſed & ſurculos tortuoſos teſtium tunicis largitur, in vaſa demum aliquot lymphatica terminantes. Hinc ductuum aquoſorum male affectorum exemplis novæ Autoris obſervationes interſeruntur, quibus oculi humorem aqueum aliquoties extractum, viſumque ſeparata humoris vitrei portione reſtitutum fuiſſe, innoteſcit. Tandem novus Fons ſalivalis hactenus incognitus in cane detegitur, caſu a noſtro deprehenſus, a glandula minori, priori Autoris glandulæ inferius contigua & intermedia membranula quaſi continua, emanans, ductibuſque excretoriis modo tribus, modo quatuor conſtans, quorum ſinguli diſtinctis gaudere ramificationibus, ac ſæpius colore atro infecti orificiis ſuis, per quæ ſalivam exonerant, tunicam gingivarum pertundere innuuntur, inque *Fig.* 3. & 4. appoſitis depinguntur. Harum tamen enodationem antequam L. B. conſulas, e *Præfatione* tibi ſignificandum ſupereſt, Lymphographiam generalem ab Autore olim promiſſam, ſed abſolvere hactenus impedito, per partes impoſterum communicatum iri, ceu quarum ſpecimen prope diem glandularum conglobatarum fabricam exhibebit perſcrutandam, ſimulque lympham glandulis illis paſſim obviis ortum neutiquam debere comprobabit.

[Margin notes: pag. 79. — Tab. VIII. *Fig.* 1. — pag. 109. — *Fig.* 2. — pag. 119. — 120. 125. — 132. — 156. — *Fig.* 3. 4.]

Figurarum e Tabula V. & VI. Autoris huc transſcriptarum Explicatio.

 Fig. 1.

Fig. 1.

Cranium caninum repræſentat, ſerra reſectum cerebroque deſtitutum, ut Ductuum Novorum origo (naturalis magnitudinis) conſpici poſſet atque progreſſus.

A. A. Ramuli Arteriæ Carotidis, cranium perforantes, quorum
B. B. Poſtici conſtituunt ſurculos, cerebri ventriculos petentes, ſed
C. C. Antici componunt principium Ductuum Novorum intra Cerebrum, quemadmodum
D. D. Eorum progreſſum extra cranium oculis ſubjicit.

Fig. 2.

Ductuum novorum aquoſorum terminum exponit.

A. A. A. A. Tunica cornea ſeparata.
B. B. Uvea.
C. C. Ductus novi, partem corneæ, integram adhuc, perforantes, ut
d. d. d. d. Ramificationes ejus, Iridem potiſſimum exornantes, conſpici poſſent.

Fig. 3.

Novum Fontem Salivalem demonſtrat.

a. Ductus Stenonianus.
b. Oſtium ejus.
c. Glandula Autoris nova.
d. Ductus ejus.
e. Fons Salivalis, cum quatuor vaſculis excretoriis.

Fig. 4.

Fontis Salivalis Novi Magnitudinem naturalem exhibet.

a. Glandula Autoris cum Ductu.
b. Oſtium, ubi gingivam perforat.
c. Fons Salivalis Novus.
d. Quatuor Oſtia a totidem vaſis excretoriis oriunda.

יוסיפון *JOSIPPON*,

id eſt.

ΙΩΣΗΠΟΣ vel JOSEPHUS.

Franco-

Digitized by Google

Francofurti ad Mœnum, A. 450. h. e. Chriſti 1690. in 12.
Conſtat plagulis 28.

JOSEPHUM GORIONIDEM recens nunc editum *Flaviumque Joſephum* pro uno eodemque ſcriptore ſuperiori ſeculo habuerunt e Judæis *David Ganſius* Chronographus, e Chriſtianis *Sebaſtianus Munſterus*, qui Gorionidem cum verſione & notis publici juris fecit. Diſcrepare tamen eos a ſe invicem immane quantum, Judæis æque ac Chriſtianis facile patuit, ex quo diligentius ambos excuſſerunt, ac quanta iis concordia diſcordiave intercederet, penſitarunt. Recutiti tamen, veteri præjudicio, quod ex editione Conſtantinopolitana, ſeculo XV in lucem emiſſa, natum fuerat, faſcinati, Flavii noſtri opera Græce exarata, Latineque a Ruffino verſa contempſerunt, Ebræum vero ſuum Joſephum Veſpaſianorum ævo ſcripſiſſe, maxima cum confidentia, neque minori cum διανοίας ἀῤῥωςία, aſſeverarunt. Et, quod mireris, eadem ſententia ipſimet Abarbaneli, recentiorum Judæorum doctiſſimo, arriſit. Sed huic ſuffecit Guilielmus Henricus, Vorſtius, quem *obſervationibus ad Ganſium, p. 286.* videſis. Imo, qui Francofurtanæ editionis curam geſſit, *R. Tam*, Davidis Jechiadis filius, eo audaciæ dicam, an dementiæ, proceſſit, ut in præfamine his omnino verbis uſus fuerit: הספר הזה כל דבריו צדק ואמת ועולה לא נמצ׳ בו. והאורה על זה היותו היותר קרוב אל הנבואה מכל הספרים שנכתבו אחרי כתבי הקדש והוא נכתב קודם המשנה והתלמוד. גם כפי האמת האיש הזה היתה עליו יד יהוה בחבור הספר הזה וכמעט היו דבריו כדברי איש האלהים: i. e. *Libri præſentis verba univerſa juſta ſunt ac vera, nec quicquam erronei in illo reperias. Id quod vel inde firmatur, quod a prophetia* (quoad tempus) *propius abſit, quam omnes libri, qui poſt biblia ſacra conſcripti fuere. Nam opus iſthoc antiquius eſt ipſa Miſchna & Talmude. Sed & vero conſentaneum eſt, manum Domini ſuper viro hoc fuiſſe, cum hiſtoriam ſuam literis conſignaret; & parum abeſt, quin verba ejus inſtar verborum viri Dei*, ſive θεοπνεύςυ, *ſint.* Hæc ille.

Quanto rectius *Joſephus Scaliger*! Quemadmodum enim Græcum ἀρχαιολογίας & ἁλώσεως ἰȣδαϊκῆς textum pro genuino nunquamq; ſatis laudato Flavii Joſephi fœtu agnovit: Ita Pſeudogorionidem hominis Galli, ſeculo circiter ſeptimo orbis redempti vi-

ventis, abortum eſſe, veriſimillime probavit in *elencho Tribæreſii c. IV. & V.* conſentientibus Baronio, Ribera, Poſſevino, Gerhardo Joanne Voſſio, & quibus non? Teſtimonia eorum in vulgus nota ſunt; non item locus e *Julii Bartoloccii* Bibliothecæ Rabbinicæ Tomo III. excuſo Romæ 1683. n. 732. p. 799, pace benevoli Lectoris, excerpendus: *JOSEPH BEN GHURION ſcripſit hiſtoriam antiquitatum: & de bello Judæorum libros quinque. Hic eſt alius a Flavio Joſepho Hebræo, qui Græce ſcripſit item de bello Judaico & antiquitatibus Judæorum, a quo deſumptum & ſuffuratum eſt, quicquid ad veram hiſtoriam in hoc opere deprehenditur contineri. Itaque hujus libri autor videtur eſſe recentior & inferioris admodum ætatis, quam fuerit Joſephus Hebræus, ſive Flavius, ſive Ben Gurionis; Nam in Biblioth. Vaticana extat hujus authoris codex MSC. pergam. ſub num. 408. ubi pag. 78. b. & 81. circa principium citatur prædictus Fl. Joſephus Hiſtoricus. Et paſſim regiones Italiæ & Galliæ modernis nominibus nominantur, uti Lombardia, Apulia, Francia, &c. ut videre eſt in ipſius libri exordio.*

Cæterum *Joſephus* hic *Gorionides* impreſſus eſt primo *Conſtantinopoli*, A. J. 250. Chriſti 1490. dein *Wormatiæ*, (Munſtero adcurante,) A. C. 1529. porro *Baſileæ* apud Henricum Petri A. C. 1541. mox *Venetiis*, A. Jud. 304. Chriſti 1544. iterum *Baſileæ*, A. 1549. dehinc *Cracoviæ*, A. Judaico 355. Chriſti 1595. Prodiit Germanice *Tiguri* A. 306. Chriſti 1546. & cum commentario eadem lingua concinnato *Amſtelodami* A. 421. Chriſti 1661. *Francofurtenſis* editio *Hebraica* anno ſuperiori inchoata, eoque, quem agimus, ad umbilicum perducta, elegans ſatisque correcta eſt, ſi innumera nomina propria Græcanica, in perveruſtis mendis cubantia, excipias.

Quod ſupereſt, monemus, *R. Schabethaj Strimerum* in *Siphté Jeſchenim*, *lit.* פ. *n. 5. p. 66.* authorem eſſe, *Flavii* quoque *Joſephi* Antiquitates bellumque Judaicum in Ebraicum converſa, ſed manu tantum ſcripta extare. Nititur ea opinio non alio forſan argumento, quam quod Rabbi Azarias in *Meor Enajim* ea plus ſimplici vice allegarit. Hunc tamen tantummodo Latina Joſephi verſione uſum eſſe, non dubitamus, cum in Latio hoſpes haudquaquam fuerit.

SELE-

SELECTARUM JURIS OBSERVATIONUM Hieronymi de Roſis JCti & Advocati Neapolitani Pars prima & ſecunda.

Neapoli ex Typographia Jacobi Raillard, 1689. in fol.
Conſtat plagulis 100.

ROſas non ſolo nomine ſpirare videtur Autor clariſſimus; quandoquidem Opus ab ipſo confectum fragrantiſſimum hunc odorem erudita amœnitate redolet. Exhibetur Obſervationum Centuria in duas partes materiæ ſolum reſpectu æqualiter diviſa, quarum prior ad ultimas voluntates & contractus, poſterior ad Judicium ſeu Proceſſum ſemet refert, ut tamen per utramq; continuatus pagellarum & capitum numerus inoffenſo pede decurrat. Et quanquam iſtud ſtudii legalis genus non veterum minus, quam recentiorum Doctorum ingeniis ſatis abundeque excultum ſit, atque innumeris fere voluminibus, ſub eodem aut non multū diſpari titulo conſpicuis, Quæſtiones in foro ſingulariter emergentes maſcula & ſubinde curioſa ſedulitate collectæ proſtent; interim tamen id ſingulare apud Autorem advertere par eſt, quod, dum autores alii, ſi non omnes, certe plerique, caſus ipſos ex legibus earumque argumentis declarandos ſuſceperint, Noſter ſcite inverſo ordine leges ſelectiores ex caſibus apte accommodatis illuſtrare potius duxerit. Eum in finem non ſummam tantum Obſervationis unicuique capiti præmittit, ſed textum, in quo nervus deciſionis conſiſtere videtur, protinus adjungit; cujus interpretationem ubi juſta & diffuſa oratione explanatam ſatis reddidit, poſt demum ad caſus in foro ſibi obvios divertitur; ut ſic adeo obſervationes hæ forenſem Juris uſum perſpicue commonſtrent, ſimulque circa theoriæ ſtudium commentarii vices ad leges præfixas abunde ſuppleant. Secundum ſeriem capitum obſervationes quaſdam ſpeciminis loco adhuc recenſere juvat. Differitur in Cap. 4. de hæreditate vendita, ejuſque oneribus ad illius emptorem ſpectantibus, ad *l. 2. C. de Hered. vel act. vend.* In Cap. 37. de alienationis prohibitione abſque cauſa facta, ad *l. 114. §. 14. ff. de Leg. 1.* In Cap. 44. de filiis in conditione poſitis in teſtamentaria diſpoſitione, quod regulariter vocati non cenſeantur *ad l. 17. §. 7. ff. ad SCt. Trebell.* In Cap. 46. de fideicommiſſariis bonis regulari-

gulariter non alienandis, *ad l. 3. §. 2. C. Com. de leg.* In *Cap. 49* de jure accreſcendi, in cohærede etiam invito locum habente, *ad l. un. §. 10. C. de Cad. toll.* In *Cap. 52.* de Judicis jurisdictione per prorogationem augenda, *ad l. 18 ff. de Jurisd.* In Cap. 53. de clerico hærede laici coram eccleſiaſtico judice conveniendo, *ad l. 34. ff. de Jud.* In *Cap. 68.* de creditoris arbitrio refrenando, ut diſcretum ſit, *ad l. 60. §. f. ff. Mand.* In *Cap. 77.* de ſimulatione, quam veritati cedere diſponitur, *ad Rubr. C. plus valere quod agitur, quam quod ſimulate concipitur.*

THOMÆ ITTIGII LIPSIENSIS, S S. THEOL. Licentiati & Ædis Nicolaitanæ in patria Archidiaconi, de Hæreſiarchis ævi apoſtolici & apoſtolico proximi Diſſertatio.

Lipſiæ ſumptibus Hæredum Friderici Lanckiſii A.. 1690. in 4.
Conſtat plagulis 37.

PRæmittitur huic diſſertationi, quæ, tametſi minime prolixa, inſignem Antiquitatum Eccleſiaſticarum notitiam Plurimum Reverendus Collega noſter Lectoribus abunde, comprobat, commemoratio Autorum veterum nec deperditorum, qui primævarum hæreſium hiſtoriam & antiquorum Hæreſiarcharum catalogos ediderunt. Primum inter eos locum tenet *Irenæus*, quem nuper Henricus Dodvvellus eruditis diſſertationibus illuſtrare cœpit. Hunc excipit Tertullianus, ſeu potius *Pſeudo-Tertullianus*, ſiquidem poſtrema illa capita libri de præſcriptionibus adverſus hæreticos, quibus 25 hæreſes recenſentur, alium quam Tertullianum autorem habere, Chriſtianus Lupus & Petrus Allixius non contemnendis rationibus probarunt, quorum ſententiæ diſſertationis hujus Autor ſuffragatur. Pſeudo-Tertullianum ſequuntur *Philaſtrius*, & *Hieronymus*, ſub cujus nomine A. C. 1617 Claudius Menardus indiculum hæreſium Pariſiis publici juris fecit, mole quidem exiguum, ſed vitioſis lectionibus, quibus emendandis Cotelerius in notis ad monumenta Græcæ eccleſiæ tom. 1. aliquam operam impendit, admodum fœcundum, nec inter genuina Hieronymi opera referendum, & in omnibus editionibus operum Hieronymi hactenus plane prætermiſſum. Huic ſucce-

Digitized by Google

ſuccedit poſt *Epiphanium* & *Auguſtinum* Scriptor quidam antiquus a Sirmondo A. C. 1643 ſub *Prædeſtinati* titulo vulgatus, paulo poſt cum pſeudonymi cujuſpiam Auuræi cenſura iterum editus, poſtea Lugdunenſi Patrum bibliothecæ inſertus, ac noviſſime in Italia cum Piccinardi commentariis denuo in lucem publicã emiſſus, & ex poſtrema illa editione in actis noſtris A. 1687. p. 271. recenſitus. Ab his progreditur Autor ad *Gennadium Maſſilienſem*, qui ad Auguſtini libellũ de hæreſibus appendicem quatuor hæreſium adjecit; *Theodoretum*, cujus opus de hæreticis fabulis totum Cyrilli tacite perſtringendi cauſa compoſitum fuiſſe negat; *Leontium Byzantinum*, *Iſidorum Hiſpalenſem*, *Anaſtaſium* hodegi autorem, *Sophronium Hieroſolymitanum*, *Timotheum* Presbyterum, *Johannem Damaſcenum*, *Rabanum Maurum*, *Euthymium Zigabenum*, *Johannem Zonaram*, *Honorium Auguſtodunenſem*, *Conſtantinum Harmenopolum*, *Nicetam Choniatem*, *Matthæum Blaſtarem*, *Guidonem de Perpiniano* & alios. Autorem autem ſeptem librorum adverſus Felicem Urgelitanum, quos *Paulino Aquilejenſi* vulgo tributos Andreas Quercetanus *Alcuino* vindicavit, in horum autorum numero non habendum eſſe monet; etſi B. Zimmermannus in diſſertat. de acceptilatione Sociniana, memoria forte lapſus, Paulinum Aquilejenſem in 6. adverſus Felicem Urgelitanum libro non minus ac Philaſtrium, Epiphanium & Auguſtinum eccleſiæ primitivæ hæreticos recenſere ſcribat.

Ipſam diſſertationem in duas partes diſpeſcit, quarum prior ævi apoſtolici, poſterior ævi apoſtolico proximi hæreſiarchas complectitur. Ita autem in hac veterum hæreticorum hiſtoria enarranda verſatur, ut data occaſione nonnulla Novi Teſtamenti loca illuſtret vel vindicet. Nam de Simone Mago dum agit, præter alia loca attingit dictum Jac. I, 13. & 17. quod *Georgius Bullus* in harmonia apoſtolica non Simonianis ſed Phariſæis oppoſitum judicat, qui & fato & aſtrorũ influxui actiones humanas alligabant, & ſaltem conſequenter Deum peccati autorem faciebant, contra quos Jacobus ex Bulli ſententia aſſerit, neque Deum peccati autorem eſſe, neque bona hominum ab aſtris dependere, ſed a Patre luminum h. e. creatore ſtellarum, apud quem nulla παραλλαγὴ ἢ τροπῆς ἀποσκίασμα, quales mutationes & viciſſitudines in aſtris evenire ſolent. Per ἀντιθέσεις τῆς ψευδωνύμου γνώσεως 1 Tim. VI, 20. in genere quidem omnes

mnes illas theſes, quas hæretici apoſtolicæ doctrinæ oppoſuerunt, intelligi poſſe putat, ſpecialius tamen iſtas antitheſes de oppoſitione boni & mali Dei, quam Simoniani fingebant, explicari poſſe, cum præſertim etiam profanæ illæ ſive κενοφωνίαι ſive καινοφωνίαι, a quibus eodem loco Apoſtolus Timotheum dehortatur, optime in Simonianos quadrent, a quibus falſi nominis ſcientiam initium accepiſſe ad hunc ipſum Pauli locum reſpiciens Irenæus tradit.

Porro dum Simonianos angelolatriæ addictos fuiſſe docet, ſimul obſervat, nonnullos verba Pauli Col. II, 18. de Simonianis interpretari. Et quamvis *Beveregius* in notis ad can. 35. concilii Laodiceni Simonem Angelorum cultum ab Eſſenis mutuatum ſuſpicetur, quorum proſelyti, ut Joſephus tradit, inter alia jurare tenebantur, ſe nomina Angelorum obſervaturos eſſe; potius tamen a Magis & ſchola Platonica Angelolatriam ſuam didiciſſe Simonem diſſertationis hujus Autor exiſtimat, cum & Plato Angelos ſeu dæmones eam ob cauſam coli oportere doceat, quia medium locum inter Deum & homines obtineant, & interpretum officio fungantur. *Baronio* autem Angelos a Simonianis cultos neganti *Petavium* opponit. Eidem Baronio Cerinthum Angelos adorandos docuiſſe itidem neganti *Garnerium* opponit. Is enim, dum in diſſertatione de fide Theodoreti verba Pauli in prædicto loco Col. II, 18. ad Cerinthum potius quam ad Simonem pertinere probat, de Cerintho refert, quod Alexandriæ cum Judæis, Gentilibus & Magis converſatus, poſtea in Aſia ac imprimis in Phrygia & Piſidia hæreſin ex Judaiſmo, idololatria & magia conflatam diſſeminaverit, ac Angelos tanquam mundi conditores & Dei hominumque mediatores adorandos docuerit, & Angelorum nomine invocato prodigia quædam oſtentaverit, item quod oratoria illa S. Michaelis, quæ in Phrygia & Piſidia ad ſuam usque ætatem perſtitiſſe Theodoretus in commentario ad illum Pauli locum tradidit, ea ipſa loca fuerint, in quibus Cerinthiani ſuas ſynaxes habuerunt. Ad locum 1. Cor. XV, 29. qui de baptiſmo ὑπὲρ νεκρῶν agit, digreſſus noſter, adductis variis ejus loci interpretationibus, ad Harduini ſententiam accedit, qui eo tempore, quo Paulus ad Corinthios ſcripſit, morbum quendam Corinthi incolas invaſiſſe, eoque graſſante haud paucos diem ſupremum obiiſſe, eaque tempeſtate multos ὑπὲρ νεκρῶν h. e. propter mortuos ſeu occaſione iſtorum mortuo-

Digitized by Google

mortuorum & ingruentis lethi metu baptiſmum flagitaſſe ſcribit. Cæterum cum non ſolum Cerinthiani, ſi Epiphanio fides habenda, vivos pro mortuis baptizaverint, verum etiam a Marcionitis vivos ſub lecto occultatos & pro mortuis baptizatos Chryſoſtomus in commentario ad locum illum Paulinum memoriæ prodiderit, & *Benedictus Juſtinianus* ante Chryſoſtomum neminem veterum de Marcionitis tale quid tradidiſſe cenſeat, *Sebaſtianus Schmidius* in diſſertatione de baptiſmo ſuper mortuis etiam apud Tertullianum ſe ejus rei veſtigia deprehendiſſe putat, non quidem in loco, quem *Chamier* in Panſtratia Catholica ex c. 48. libri de reſurrectione allegavit, ſed libro 4. contra Marcionem c. 11. ubi Tertullianus de Deo Marcionis dicit, quod baptiſmum morti vel repudio ſervet. Verum Ittigio noſtro videtur, ex illis Tertulliani verbis nihil amplius colligi poſſe, quam quod Marcion conjugatos non ante baptizaverit, quam conjugium vel per mortem vel per repudium ſolveretur. Neque tamen inde ſequi putat, quod Marcion vinculo matrimonii per mortem ſoluto perſonam mortuam baptizaverit, quin potius ipſi probabilius videtur, quod ſuperſtitem conjugum baptizaverit, idq: ex loco quodam Tertulliani parallelo probat, qui extat libr. 1. adv. Marcion. c. 29. ubi ait: *non tingitur apud illum caro niſi virgo, niſi vidua, niſi cœlebs, niſi divortio baptiſmum mercata.* Nicolaitas, de quibus Apoc. II, 6. 14. 15. agitur, a Nicolao Diacono in Actis c. VI, 5. commendato nomen ſuum accepiſſe perſuadere ſibi non poteſt, etſi veterum plerique in ea ſententia fuerint, in eo tantum diſcrepantes, quod aliqui Nicolaum vere illius hæreſeos autorem fuiſſe dicant, alii vero Nicolaitas Nicolai nomen uſurpantes falſitatis arguant aſſerentes, quod Nicolaitæ reipſa Nicolaum impiorum ſuorum dogmatum magiſtrum non habuerint, ſed tantum aliqua ejus dicta & facta ſiniſtre interpretati fuerint. Neque tamen cum Coccejo, Hoffmanno & aliis Nicolaitarum nomen mere ænigmaticum eſſe cenſet, ſed vere ejus nominis hæreticos Johannis ætate extitiſſe, ſive ab alio quodam Nicolao, cujus memoria nunc in obſcuro latet, ſic appellatos, ſive etiam, quæ *Ligtfooti* conjectura eſt, a Chaldaica voce ניכולה *comedamus*, quia ſe invicem & alios ſub libertatis Chriſtianæ prætextu ad comedenda idolothyta invitarunt. Gloſſatorem autem Corporis Canonici, qui Nicolaum Mahometum fuiſſe dicit,

 æque

æque abſurdum eſſe notat ac Benvenutum Imolenſem, qui Mahometum ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalem fuiſſe aſſerit. Dictum 1. Joh. IV, 3. quod hodie ita legitur: πᾶν πνεῦμα, ὃ μὴ ὁμολογεῖ τὸν Ἰησοῦν χριστὸν ἐν σαρκὶ ἐληλυθότα, ἐκ τοῦ Θεοῦ οὐκ ἔστι, olim in plurimis exemplaribus ita lectum fuit: πᾶν πνεῦμα, ὃ λύει Ἰησοῦν &c. *omnis Spiritus, qui ſolvit Jeſum, ex Deo non eſt.* Unde non deſunt, qui locum hunc a Neſtorianis corruptum ſuſpicentur, cum non ſolum vulgatus interpres adhuc ita legat: *omnis ſpiritus, qui ſolvit Jeſum, ex Deo non eſt*, verum etiam Irenæus & alii Patres Johannis verba ſic allegaverint, & Socrates referat, Neſtorium ignoraſſe, in antiquis exemplaribus ſcriptum eſſe: *omnis ſpiritus, qui ſolvit Jeſum* &c. & hæc verba ex vetuſtis exemplaribus ſublata fuiſſe ab iis, qui divinam naturam ab humana ſeparandam ſtatuerunt. Quamvis vero his rationibus moti B. *Hunnius* & B. *Rappoltus* Latino textui hic magis quam Græco hodierno favere videantur, noſter tamen cum *Seb. Schmidio* Græcos fontes Latinæ verſioni præferendos ſtatuit, & hodiernam lectionem Græcam ex Polycarpi epiſtola confirmat. Probat autem ex iſto Johannis dicto, quod jam Apoſtolica ætate ejusmodi hæretici fuerint, qui Chriſti corpus pro mero phantasmate habuerunt. Adducit Ignatii de iisdem hæreticis locum, ex epiſtola ad Smyrnæos, ubi inter alia dicit, iſtos hæreticos ab eucharistia & oratione receſſiſſe, quod euchariſtiam veram Salvatoris noſtri carnem eſſe confiteri nollent; quem Ignatii locum a Theodoreto in dial. 3. ex Ignatii epiſtolis excerptum, cum hactenus in vulgatis Ignatii exemplaribus deſideratus fuiſſet, ab *Uſſerio* in MSC. Anglicanis diligenter inquiſitum & tandem inventum, hodieque in Uſſeriana & Voſſiana Ignatii editione expreſſum memorat. Negat autem Ignatium in illo loco ad Scythianum reſpexiſſe, quod *Le Moynio* viſum, cum id ratio temporum non admittere videatur, nec opus ſit, ut ad Scythianum recurramus, cum conſtet, multos hæreticos Scythiano antiquiores Chriſtum in vera carne manifeſtatum negaſſe. Diſſentit etiam a *Stephano Le Moyne* quoad nomen Anthropomorphorum hæreticis illis ab Ignatio inditum. Ille enim propterea Anthropomorphos ab Ignatio appellari putat, quod Chriſti corpus ſpeciem tantum humanam referre dicerent; Noſter autem ideo iſtos hæreticos ab Ignatio θηρία ἀνθρωπόμορφα dictos exiſtimat, quod ipſi huma-

Digitized by Google

humana ſpecie induti beſtiis potius annumerandi eſſent. Ex dicto Chriſti Matth. IX, 15. *cum auferetur ab iis ſponſus, tunc jejunabunt*, colligit, *Guilielmus Beveregius* dies illos, quibus Chriſtus in cruce expiravit & in ſepulchro jacuit, paraſceven & ſabbathum, & ab ipſis Apoſtolis jejunio deſtinatos, & aliis quoque ad jejunium commendatos, & ſtrictisſime obſervatos fuiſſe. Difficile enim ipſi & pæne impoſſibile videtur, quod, cum Judæis ſolenne eſſet, ut quisque diem, quo Pater ipſius mortuus eſſet, quotannis jejunio conſecraret, non potius fideles Chriſtiani & imprimis Apoſtoli tempus illud, quo Chriſtus oculis ipſorum ereptus fuerat, jejunio tranſigerent. Verum diſſertationis hujus Autor verba Chriſti ſatis impleta fuiſſe putat, cum Apoſtoli Chriſtum mortuum & ſepultum deflerent, & in illo luctu omnem cibum faſtidirent, neque ullo modo demonſtrari poſſe, quod Chriſtus in illis verbis aliquam jejunii legem ſanxerit. Ad ea, quæ ex Tertulliano pro Beveregii ſententia excipi poſſunt, breviter reſpondet. De Artemonitis agens, quos Gajus apud Euſebium Sacræ Scripturæ libris falſarias manus intuliſſe ſcribit, *Wittichii* ſententiam attingit, qui Johannis dictum de tribus in cœlo teſtibus 1. Joh. V, 7. ab Artemone potius ejusque aſſeclis quam ab Arianis e plurimis exemplaribus deletum fuiſſe ſtatuit, quam ſententiam a *Mareſio* quidem impugnatam, ſed a Wittichio defenſam memorat. Recte autem a Wittichio obſervatum ait, quod hæreticis iſtis non in omnibus exemplaribus dolus ille proceſſerit, ſiquidem Cyprianus in ſuis exemplaribus dictum illud Johannis legit, ut ex ejusdem epiſtol. 73. & clarius ex tractatu de unitate eccleſiæ conſtat, ubi Cyprianus dicit: *de Patre, Filio, & Spiritu Sancto ſcriptum eſt: hi tres unum ſunt*. Equidem *Richardus Simonius*, ut probet ante Victorem Vitenſem & Fulgentium neminem inter Patres fuiſſe, qui dicto hoc Johanneo uſus fuerit, ad iſtum Cypriani locum excipit, quod Cyprianus non ad v. 7. ſed ad v. 8. reſpexerit, ubi Johannes de Spiritu, aqua, & ſanguine dicit, quod in unum ſint. Putat enim Simonius, Cyprianum per Spiritum Deum Patrem, per aquam Spiritum Sanctum & per ſanguinem Deum Filium intelligere. Et hanc Cypriani ſententiam fuiſſe Simonius ex Facundo Hermianenſi probat, qui cum hanc textus Johannei interpretationem attuliſſet, addit, ſic Johannis verba Cyprianum intellexiſſe, cum ſcripſit: *de Pa-*

tre, Filio & Spiritu Sancto dictum eſt: hi tres unum ſunt. Verum diſſertationis hujus Autor negat, Cyprianum ad v. 8. reſpexiſſe. Ad Facundi teſtimonium reſpondet, eum forte ejusmodi epiſtolæ Johanneæ exemplar habuiſſe, in quo teſtimonium de tribus in cœlo teſtibus deſideratum fuit, & cum apud Cyprianum legeret, de Patre, Filio & Spiritu Sancto ſcriptum eſſe, quod unum ſint, facile in eam ſententiam prolabi potuiſſe, quod Cyprianus ad dictum de ſpiritu, aqua & ſanguine, quod ſolum in ſuo exemplari Facundus legit, reſpectum habuerit, & ſub nomine ſpiritus, ſanguinis & aquæ, Patrem Filium & Spiritum Sanctum intellexerit. Verum ab hac ſententia Cyprianum alienum fuiſſe, cum ex ipſo verborum poſitu, tum ex eorundem cum ſequentibus nexu haud difficulter probari poſſe oſtendit.

Patres & alii Scriptores eccleſiaſtici in hac diſſertatione modo explicantur & illuſtrantur, modo a falſis aliorum explicationibus vindicantur, modo contrariæ illorum opiniones conciliantur, nonnunquam etiam eorum errores indicantur, aut verba a librariis corrupta corriguntur. Cum enim *Photius* cod. 230. anno ſeptimo Marciani ab Eulogio ſynodum in Doſitheanorum cauſa coactam dicit, obſervatur, Eulogium non ſub Marciano, ſed ſub Mauricio floruiſſe, ideoq; pro Marciani nomine Mauricii nomen reponendum eſſe. Scribit *Irenæus* vel potius Latinus Irenæi interpres, Ebionitas non ſimiliter ac Cerinthianos de Chriſto ſtatuiſſe. Verũ ex *Pearſonii* conjectura notatur, pro *non ſimiliter* legendũ *conſimiliter*. Tradit *Victor Capuanus*, quod Tatianus harmoniam ſuam evangelicam διὰ πέντε inſcripſerit, unde *Voſſius* & *Grotius* colligunt, Tatianum harmoniam ſuam non ſolum ex quatuor quæ hodie ſuperſunt evangeliis, ſed etiam ex Hebraico Matthæi evangelio, quod velut quintum fuerit, concinnaſſe. Verum diſſertationis hujus Autor in Victore Capuano ejusq; ad Tatiani harmoniam præfatione, pro διὰ πέντε legendum putat διὰ πάντων, cum illam Tatiani harmoniam διὰ τεσσάρων, non διὰ πέντε appellatam aliunde conſtet. *Philaſtrius* hæretici cujusdam meminit, quem C. Baſſum vocat. Verum pro *C. Baſſum* legendum *Colarbaſum*, ex nova conciliorum collectione per *Stephanum Baluzium* adornata probatur, & erroris arguuntur, qui ex C. Baſſo & Colarbaſo duos hæreticos faciunt. *Sophronius* in ſynodico Cerdoni Sacerdonem jungit. Verum Autori noſtro *Cotelerii* conjectura proba-

probabilis videtur ſtatuentis, quod legendum ſit non Κέρδων, Σακέρδων, ſed Κέρδων ἀκέρδων alluſione facta ad nomen κέρδος, quaſi Cerdo hæreſi ſua nihil lucratus fuerit. In *Alexii Ariſteni* & *Simonis Logothetæ* ſynopſi canonum apud Voellum & Juſtellum in bibliotheca juris canonici, Encratitis & Apotactitis Sarcophori junguntur. Verum pro Sarcophoris non dubitat legendum vel: *Saccophoros*, qui paſſim Encratitis jungi ſolent, vel: *Accaophoros*, quod nomen in Combefiſiana Timothei Presbyteri editione legitur, & Encratitis, qui meram aquam in ſuis myſteriis obtulerunt, optime convenit. Interdum etiam diſſertationis hujus Autor de ipſis Scriptoribus eccleſiaſticis & variis eorundem operibus breviter diſſerit. Inter alia refutat *Sandium*, qui opus imperfectum in Matthæum non ſolum Chryſoſtomo perperam tribuit, ſed etiam hoc unicum ferme Chryſoſtomi opus genuinum eſſe, & cætera omnia, quæ ſub Chryſoſtomi nomine proſtant, opera alteri cuipiam Johanni vindicanda abſurdiſſime ſtatuit. De conſtitutionum apoſtolicarum origine *Chriſtianum Lupum* & *Natalem Alexandrum* ſanius, quam e Reformatis *Montacutium* judicare cum Uſſerio miratur. Decretum de Scripturis canonicis & apocryphis, quod in corpore canonico diſtinct. 15. c. *ſancta Romana eccleſia* ſub Gelaſii nomine legitur, in nonnullis quidem codicibus Damaſo, in aliis Hormiſdæ tribui obſervat, ſimul tamen notat, Benedictinos Pariſienſes e congregatione S. Mauri in notis ad novam Ambroſii editionem teſtari, quod in manuſcriptis ante mille annos exaratis huic decreto Gelaſii nomen prænotatum deprehenderint. Adducit etiam ſententiam *Chiffletii*, qui in notis ad Vigilium Tapſenſem decretum illud ex pervetuſto codice Jurenſi publicavit, & aliquandiu quidem dubitavit, ſitne hoc decretum Gelaſio an Hormiſdæ tribuendum, poſtea tamen Nicolai I. autoritate & multorum probatiſſimorum codicum fide in eam ſententiam perductus fuit, quod decretum hoc primum in Concilio Romano A. C. 494. ſub Gelaſii præſidio ſancitum, deinde ab Hormiſda repetitum, in quinque titulos methodi gratia diviſum, & nonnullis in locis mutatum fuerit. Autorem antiquum, ex cujus voluminibus contra Montanum ſcriptis Euſebius lib. 5. c. 16. & 17. nonnulla excerpſit, Apollinarium non fuiſſe, contra Ruffinum & Baro-

Baronium probavit *Halloixius*, qui nomen illius Autoris Euſebio incognitum fuiſſe cenſet. Conſentit *Valeſius*, antiquum illum Autorem non eſſe Apollinarium, putat tamen Euſebio nomen illius Autoris incognitum non fuiſſe, cum expreſſe Aſterium Urbanum appellaverit. Valeſium impugnat *Baluzius* & pro Apollinario pugnat, verum cum ad rationes ab Halloixio adductas & a Valeſio probatas nihil reſponderit; Valeſii ſententiam diſſertationis hujus Autor præferendam exiſtimat. Autorem actorum S. Perpetuæ & Felicitatis Montani partibus addictum fuiſſe, jam pridem in præfatione actis illis præmiſſa Valeſius notavit, qui tamen venerationi Sanctarum iſtarum Martyrum nihil ex eo detractum cupit, quod hæc acta ab Autore hæretico collecta fuerint. Verum præſentis diſſertationis Autor ipſam quoque Perpetuam & Felicitatem Montani labe adſperſas fuiſſe ſuſpicatur, ac inter alia viſionem de buccella caſei, quam Perpetua a paſtore junctis manibus accepit, & populo amen acclamante manducavit, ad hæreſin Artotyritarum, qui caſeo uti in ſuis myſteriis ſolebant, ſpectare arbitratur.

Varias recentiorum Scriptorum de antiquis hæreſiarchis ſententias dum paſſim adducit, ſubinde quosdam feſtinationis & memoriæ lapſus in nonnullis deprehendit. Ejusmodi lapſum deprehendit in *Poſſevino*, cum opus imperfectum in Matthæum Græce & Latine non ſemel prodiiſſe ſcribit, cum tamen ne ſcriptum quidem Græce unquam fuerit; in *Feuardentio*, qui Cerinthum balnei ruina oppreſſum tradit, & ejus rei teſtem Hieronymum in dialogo contra Luciferianos allegat, cum tamen nec in illo Hieronymi dialogo, nec in cæteris Hieronymi ſcriptis, nec apud quenquam veterum tragicus ille Cerinthi exitus legatur; in *Huetio*, qui ex Latina Nicephori verſione male intellecta differentiam inter Ebionitas majores & minores excogitavit; in *Sixto Senenſi*, qui Melitonem de Deo incorporeo ſcripſiſſe aſſerit, cum tamen περὶ Θεοῦ ἐνσωμάτου h. e. de Deo corporeo ſcripſerit; in *Mariano Victorio*, qui per Montenſes apud Hieronymum Montaniſtas intelligit; in *Elia du Pin*, qui Marſilium Ficinum tractatum Tertulliani de pallio commentariis ſuis illuſtraſſe ſcribit, quod Marſilio Ficino in mentem nunquam venit; in *Voſſio*, qui carmen de Jona, quod Tertulliano adſcribi ſolet, tanquam ineditum allegat, cum tamen a Jureto & hic Lipſiæ a Rivino jam pridem editum fuerit; in *Cangio* qui,

Digitized by Google

qui a Prudentio duitatis i. e. duplicitatis vocabulum uſurpatum in gloſſario ſuo ſcribit, cum tamen Prudentius non duitatis, ſed Duitarum meminerit, Marcionitas Duitas appellans, quod duplicem Deum facerent; in *Matthæo Polo*, qui Hugonis Grotii commentationẽ ad loca quædã Novi Teſtamenti a Salmaſio ſub Simplicii Verini nomine refutatam ſcribit, cum tamen a Mareſio ſub Johannis Simplicii nomine refutata fuerit; in *Ludovico de la Cerda*, qui aliquos Lucani errores recenſens, eorum teſtem Irenæi lib. 3. c. 3. & Hilarii lib. 6. de Trinitate allegat, cum tamen in toto Irenæo & Hilario nulla Lucani mentio occurrat: ut aliorum quorundam errata, quæ in hac diſſertatione notantur, taceamus. Cum enim clariſſimus hujus diſſertationis Autor ipſe brevitatis ſtudioſus fuerit, nos in ea recenſenda juſto prolixiores eſſe nolumus.

LA DEFENSE DES CENSURES DU PAPE Innocent XI & de la Sorbonne &c.

id eſt,

Defenſio Cenſurarum Papæ Innocentii XI ac Sorbonæ adverſus Apologeticos Moralis Jeſuitarum Diſciplinæ, a P. Moya ejusdem Societatis ſub nomine Amadæi Guimenii propugnatæ: autore Oger Liban Erberg.

Coloniæ, apud Petrum Malleum A. 1690, in 12. Plag. 8.

CONfictum eſſe Autoris, quod in frontiſpicio libelli legitur nomen, quivis facile deprehendit; etſi Janſeniſtam quendam ſub eo latere voluiſſe, dubitari nequit. Perſonatum & typographum eſſe, Petrique Mallei (*Pierre Marteau*) nullibi terrarum inveniendi nomen ſatyricis libris aliisque, quorum editores pariter ac autores ignorari volunt, præſcribi ſolere, notiſſimum eſt. De argumento autem libelli ut rectius conſtet, paulo altius quædam erunt repetenda.

Inter eos qui novorum in Eccleſia Romana Caſuiſtarum, quos vocant, & Jeſuitarum inprimis licentiæ, qua Moralem Diſciplinam miſere depravabant, primi ſeſe oppoſuerunt, quidam fuit, Anony-

mus tum quidem, ſed quem *Eſclapezium* natione Hiſpanum fuiſſe libelli noſtri Autor nos docet, evulgato Lovanii A. 1646 opuſculo, quo Jeſuitarum illa moralis doctrina improbabilitatis, temeritatis & erroris publice arguebatur. Ac initio quidem negligi a Jeſuitis generoſo quaſi contemptu libellus viſus fuit, donec auctis inter Janſeniſtas & Jeſuitas odiis (poſtquam his curantibus quinque famoſæ propoſitiones Cornelii Janſenii Epiſcopi Yprenſis A. 1653 ab Innocentio X damnatæ eſſent) a Janſeniſtis, ut ægre viciſſim Jeſuitis facerent, recudi ſæpiuſcule cœpit, ac in varias transfundi linguas, ſpargiq; per omnẽ Chriſtianũ orbem. Itaq; neceſſitas impoſita tandẽ Jeſuitis fuit, ut exiſtimationi Societatis ſuæ conſulturi, ac corruptelarũ, quas inve-xiſſe in Moralẽ diſciplinam arguebantur, infamiã amolituri, libellũ illum publice refutandum decernerent. Sic ergo in lucẽ A. 1660 liber prodiit, ſæpius poſtea, diverſisque in locis, typis deſcriptus, vulgoq; adeo notiſſimus, hoc titulo: *Amadæi Guimenii Lomarenſis, olim primarii S. Theologiæ Profeſſoris, Opuſculum, Singularia univerſæ fere Theologiæ Moralis complectens, adverſus quorundam Expoſtulationes contra nonnullas Jeſuitarum opiniones morales.* Præfixa libro conſpiciebatur luculenta Approbatio *R. P. Franciſci Luyſii a Valentia, Capuccinorum Provinciæ Sanguinis Chriſti in regnis Valentiæ & Murciæ Provincialis, & apud Fidei Judices ſacros in utriusque Coronæ Senatibus Conſiliarii Qualificatoris*; nimirum ut tanti ex alieno Ordine viri autoritate eo majus iſti *Amadæi Guimenii*, ſeu *P. Moyæ* e Societate Jeſu (hunc enim genuinum fuiſſe illius autorem, nunc quidem extra dubium eſt) libro decus ac exiſtimatio conciliaretur. Tametſi vero perſuaſum Jeſuitæ haberent, iſto opere demonſtratum eſſe clariſſime, propoſitiones morales Jeſuitis exprobratas non ab his demum Orbi obtrudi, ſed Doctoribus ante cœptam Societatem illam aliis, imo ipſi Divo Thomæ probatas fuiſſe, nec temerarias eas eſſe aut falſas, ſed minimum probabiles, quasque in conſcientia tuto quisque ſequi poſſit: parum tamen conſultum Jeſuitis, ſi eventum ſpectes, iſto ſcripto fuit, quin cauſa potius eorum peſſum data. Poſtquam enim Lugduni quoque in Gallia typis exſcriptus liber eſſet, factum eſt, ut triginta primum Sorbonæ Doctoribus examinandus committeretur, nec multo poſt, A. 1664, a Facultate univerſa tanquam *Anti-Evangelium* damnaretur, autore in eorum collocato numerum,

Digitized by Google

merum, de quibus Apoſtolus I. ad Tim. III. prædixerat, quod *in noviſſimis temporibus diſceſſuri ſint a fide, attendentes ſpiritibus erroris* &c. Atque una cum illa Sorbonæ ſeu Facultatis Theologicæ Pariſienſis cenſura, publicatum eodem tempore fuit *P. Nicolai Capuccinorum* in provincia Pariſienſi *Provincialis* teſtimonium, quo nomine Generalis iſtius Ordinis aſſeverabatur, nullum eſſe inter Capuccinos *Luyſium de Valentia*, nec provinciam Capuccinorum, cui nomen ſit *Sanguinis Chriſti*; adeoque Approbationem illam ſub Luyſii Capuccini nomine Amadæi libro præfixam, ab ipſo *Amadæo*, i. e. *P. Moya* confictam ac ſuppoſitam fuiſſe. Cæterum iſta quidem Sorbonæ cenſura tantum abeſt ut rata ſit a Pontifice illius temporis Alexandro VII habita, ut damnata potius fuerit; magna quidem imprudentia, cum Pontifex hunc in modum, minimum indirecte, P. Moyæ opus ſcandaloſum probaret, quam libelli noſtri Autor non diſſimulat, ita tamen excuſat, ut in Jeſuitas, qui Sanctiſſimum Patrem in hoc non minus negotio, quam in cauſa Janſeniana, turpiter ſeduxerint, culpam omnem conjiciat. Nihilominus A. 1666 inter libros prohibitos Amadæi ſeu Moyæ illud opuſculum relatum; ab Inquiſitione A. 1675 damnatum; tandemque a Pontifice omnium, quos noſtrum ſeculum tulit, cordatiſſimo, *Innocentio XI*, A. 1680 proſcriptum fuit atque flammis addictum. Nec multo poſt *Philalethes* quidam, perſonatus ſcriptor, Bullam illam Pontificis in linguam Gallicam traductam, notiſque illuſtratam, repetito etiam *P. Nicolai* Capuccini de ſuppoſita Luyſii a Valentia Approbatione teſtimonio, edidit hoc titulo: *La Morale des Jeſuites juſtement condamnée dans le livre du P. Moia Jeſuite ſous le nom d'Amadeus Guimenius, par la Bulle de notre S. Pere le Pape Innocent XI.* i. e. Moralis Jeſuitarum Theologia juſte condemnata in libro P. Moyæ Jeſuitæ ſub nomine Amadæi Guimenii, per bullam Sancti Patris noſtri Innocentii XI.

Hæc cum ita contigiſſent, prodierunt, qui Jeſuitarum cauſam ſic ſatis afflictam tuerentur, perſonati itidem, ut apparet, Scriptores, *Servatius Gilberti* & *Daniel Campfort*, qui cum bullam Papæ oppugnare non auderent, duo tamen omni egerunt conatu, tum ut atteſtatis aliis evincerent, fuiſſe omnino in Capuccinorum Ordine *Luyſium* quendam *a Valentia*, fruſtraque adeo ejus approbationem Amadæi

dæi ſeu Moyæ libro præfixam in dubium vocari; tum ut oſtenderent, Moyam Jeſuitam, in libro illo famoſiſſimo non ſuam aut Jeſuiticæ Societatis, ſed aliorum Caſuiſtarum ſententiam propoſuiſſe, fulmenque adeo Pontificium non Moyam, ſed quorum ille dogmata hiſtorice retulerat, Autores alios ferire. Et fidem illis ex parte habuit *Philalethes*, utque candorem ſuum atque dexteritatem univerſo orbi litterato probaret, declarationem publicavit, *Hiſtoriæ Operum Eruditorum*, quam per menſium intervalla clariſſimus *Baſnagius* Roterodami ab aliquo tempore edidit, menſi Januario Anni 1688 inſertam, qua profitebatur, quæ olim a ſe teſtimonio P. *Nicolai* Capuccini confiſo ſcripta eſſent, *nullum in eo Ordine unquam* Luyſium a Valentia *fuiſſe, neque provinciam Capuccinorum, quæ* Sanguinis Chriſti *dicatur, uſpiam exiſtere*, revocata nunc ſe velle, certiora edoctum; ita tamen ut in dubio relinqueret, num approbatio illa, quæ Moyæ libro a Pontifice damnato præfixa legitur, Luyſium illũ a Valentia autorem habuerit, an vero a Moya fuerit conficta ac ſuppoſita, & ut doctrinam ipſam Moyæ libro traditam damnaret & execraretur. Speraverat nimirum *Philalethes*, ingenua hac erroris ſui confeſſione magnam ſe apud Jeſuitas gratiam initurum, ſed alia omnia expertus, novoque & aculeato, licet non niſi ſeſqui plagularum ſcripto petitus, quo malæ fidei arguebatur, illam tandem & ſui & *Cenſurarum in Moyæ librum a Pontifice Innocentio XI & Sorbona vibratarum Defenſionem* adornavit, publicique nuper admodum juris fecit, quam nunc recenſebimus.

Quatuor vero imprimis objecta Autori a Jeſuitis fuerant, quæ diluere inſtituit: *primum*, quod ſupponere non deſinat, P. *Nicolai* Capuccini teſtimonium ſæpius jam allegatum genuinum eſſe, quod pro ſuppoſito haberi mallent Jeſuitæ; *ſecundo*, quod, cum agnoviſſet *Luyſium* quendam *a Valentia* revera extitiſſe, eum tamen fateri noluerit autorem Approbationis, Moyæ libro ſub illius nomine præmiſſæ; *tertio*, quod doctrinam in Moyæ libro contentam Moyæ tribuerit; *quarto*, quod eandem doctrinam, a Pontifice damnatam, non erubuerit integræ Societati Jeſu adſcribere. De ſingulis ſe purgat Autor, & ubique bona a ſe fide, non mala actum, facunde evincit. Quoad *primum*, cauſam ſibi idoneam fuiſſe negat, cur teſtimonium P. Nicolai Capuccinorum Provincialis pro ſuſpecto habe-

ret,

ret, quod ipſius Academiæ Pariſienſis autoritate, ante hos viginti quinque annos, publicatum una cum Cenſura in Moyæ librum fuerit, nec a quoquam, niſi nuperrime a Moyæ defenſoribus in dubium vocatum. Enim vero, cum Moyæ primum liber a Sorbona damnaretur, res in obſcuro acta non fuit, ſed in totius Europæ luce, neque cenſura Sorbonæ in ſcrinium repoſita aut ſuppreſſa, ſed per orbem Chriſtianum ſparſa fuit, ut adjunctum illi P. Nicolai teſtimonium, nec P. Nicolaum ipſum provinciæ Pariſienſis Provincialem, nec Jeſuitas ulla ratione latere potuerit. Quod ſi teſtimonium illud ſuppoſitum fuiſſet, qui factum, quod P. *Nicolaus* impoſturam diſſimularit tanto tempore, nec prodiderit potius ac vindicaverit? qui factum, quod Jeſuitæ ipſi, qui per illud atteſtatum criminis falſi aperte arguebantur, totis quindecim annis, quod temporis intervallum inter cenſuram Sorbonæ, & Bullam Innocentii XI, qua Moyæ liber flammis addictus eſt, interceſſit, ſiluerint, nec de injuria ſibi illata unquam fuerint conqueſti? Interfuiſſet utique & dignitatis Ordinis Capuccinorum, & honoris Societatis Jeſu, fraudem, ſi quæ interceſſiſſet, mature detegi: quod cum factum non fuerit, ſed teſtimonium illud P. Nicolai, & ab ipſo Nicolao, & a Jeſuitis vel ſolo ſilentio ſuo fuerit agnitum, bonam hac in parte fidem Autor facile tuetur. Quoad *alterum*, etſi Luyſium a Valentia Chymericum non fuiſſe, ſed in Hiſpania vixiſſe, non diffiteatur amplius, ſuas tamen ſibi rationes easque prægnantes eſſe ait, cur approbationem libri P. Moyæ a Luyſio illo profectam credere nondum poſſit. Id enim a Moyæ advocatis probatum non eſſe, nec exemplar approbationis aut authenticam ejus copiam productam. Solenne vero eſſe Jeſuitis, approbationes ſupponere, quando legitimis potiri nequeunt: id quod exemplis bene multis, ſed quæ hic recenſeri prolixum nimis foret, Autor comprobare nititur. Quoad *tertium*, in quo quidem totius rei præcipuum momentum verſatur, facili negotio evincit Autor, Moyam, dum librum illum damnatum ederet, minime Hiſtorici tantum partibus fuiſſe functum, nec aliena dogmata nude recenſuiſſe, ſed propoſitiones morales, quæ exprobratæ Jeſuitis publice fuerant, propugnaſſe, tanquam probas, certe probabiles, & quas in conſcientia ſequi tuto poſſimus. Tametſi enim primus ſcandaloſarum propoſitionum architectus Moya non fuerit, eas tamen illum adoptaſſe & ſuas feciſſe, tum ex libri præfatione, tum ex ejus epilogo,

Autor clare ſatis oſtendit. Doctrinam libro contentam ut Moyæ damnatam ait a Sorbona; ut Moyæ refutatam a P. *Barone* ex Dominicanorum Ordine; ut Moyæ igni & flammis addictam ab Innocentio XI: hisque omnibus adeo inſultare Jeſuitas, qui Moyam ab erroneis illis dogmatibus immunem pronuncient. *Ultimum* quod attinet, videri quidem Autor poterat imprudenter & inique tribuiſſe Jeſuitarum Societati, quod ab uno ejus membro P. Moya ſub Amadæi Guimenii nomine peccatum forte erat. Hunc enim olim libro ſuo, ut ſupra jam dictum, titulum fecerat: *Moralis* Jeſuitarum *Theologia in libro P. Moyæ juſte condemnata.* Sed nec hic illi deſunt, quibus factum tueatur. Primum κατ' ἄνθρωπον cum Jeſuitis agit, aſſumpta eorum hypotheſi, non peccare eum, qui probabilem opinionem ſequatur; probabilem vero opinionem autoritate multorum Doctorum, imo unius gravis admodum viri fieri. Ita enim nec ſe peccaſſe cenſet, quia a Jeſuitarum inprimis Societate moralem diſciplinam corruptam fuiſſe, ultra ſexaginta parochi Pariſienſes partim, partim Rhotomagenſes, inq; iis multi Theologiæ Doctores publicæ docuerint. Deinde monet, ex nullo Religioſorum Ordine tot pravos Caſuiſtas prodiiſſe, quam ex Societate a Jeſu nomen habente. Porro Jeſuitas perverſa ſuorum dogmata nunquam damnare, ſed omni potius ſtudio, ne ab aliis damnentur, impedire. Denique Jeſuitas non permittere, ut quicquam a ſuis edatur, niſi approbatum a Generali aut Provinciali; ut adeo, quia Societas particularium Doctorum ſuorum ſententias adoptat, nulla ipſi injuria fiat, ſi quod a Jeſuitis ſingulis docetur, Societati adſcribatur. Etſi non diffiteatur Autor, nec ſemper Societatem Jeſu iis laboraſſe corruptelis, nec hodie ita laborare, quin credi debeat ſupereſſe, qui tacitis gemitibus ſodalium ſuorum improvida inſtituta ac temeritatem deplorent.

Unum ſupereſt, quod præteriri non debet. Facta ſemel iterumque mentio fuit Atteſtationis P. *Nicolai* Capuccinorum in provincia Pariſienſi Provincialis, quam cum Sorbona libelli noſtri Autor pro genuina habuit, Jeſuitæ ſuppoſitam reputant. Et horum quidem ſententia potior videri potuit, poſtquam in poſtremo P. Moyæ Apologetico producta eſſet nova P. Nicolai confeſſio, Pariſiis die 31 Aug. A. 1687 in Monaſterio Capuccinorum conſignata, qua diſerte profitetur, Atteſtationem talem nunquam a ſe editam,

ſed

Digitized by Google

ſed ab alio confictam eſſe ac ſuppoſitam. Verum non deſunt Autori noſtro, quibus & illam P. Nicolai d. 31 Aug. A. 1687 defuncti Confeſſionem ſuſpectam reddat, & a Jeſuitis fictam arguat. Sed piget nos his talibus immorari diutius. Crimen falſi ab alterutra litigantium parte hoc in negotio commiſſum fuiſſe, manifeſtum eſt. Nos neutram vel damnamus vel abſolvimus, judicium peritioribus relinquentes.

LIBRI NOVI.

Exemplar Horologiorum Solarium Civilium, duas complectens partes. Exponuntur in una Verticalia, in altera varii generis Horizontalia. Autore Carolo Maria Carafa, Buteræ, Roccellæ, ac Sacri Romani Imperii Principe. Mazareni per Joſephum la Barbera 1689, in folio charta auguſta.

Inſignium Theoria, ſeu Operis Heraldici Pars generalis. Autore Philippo Jacobo Spenero D. Francofurti ad Mœnum, apud J. David Zunnerum, in fol.

Vetera Monimenta; in quibus præcipue Muſiva opera, ſacrarum profanarumque ædium ſtructura, ac nonnulli antiqui ritus Diſſertationibus Iconibusque illuſtrantur Joannis Ciampini, Romani, Magiſtri Brevium gratiæ &c. Pars prima. Romæ apud Jo. Jac. Komarek, in fol.

Annus & Epocha Syro-Macedonum in vetuſtis urbium Syriæ Nummis præſertim Mediceis expoſita: autore F. Henrico Noris. Florentiæ, 1689, in fol.

Marmora Felſinea, innumeris non ſolum Inſcriptionibus exteris hucusque ineditis, ſed etiam quamplurimis doctiſſimorum virorum expoſitionibus roborata & aucta a Com. Carolo Cæſare Malvaſia. Bononiæ, ex typographia Piſariana 1690, in fol.

Compendium Annalium Eccleſiaſticorum Regni Hiberniæ. Autore Fr. Franciſco Portero. Romæ, apud Tinaſſium, 1690. in 4.

L' Incredulo ſenza ſcuſa. Opera di Paolo Segneri della Comp. di Gieſu. In Fierenze, 1690, in 4.

Bibliotheca Sluſiana, ſive Catalogus librorum, quos Jo. Gualterus S. R. Eccleſiæ Cardinalis Sluſius Leodienſis ſibi Romæ congeſſerat, Petri Aloyſii Baronis Sluſii Fratris juſſu, labore ac ſtudio Franciſci Deſſeine digeſta. Romæ, apud Jo. Jac. Komarek, 1690. in 4.

Hiſtoire de la Religion des Egliſes Reformées &c. pour ſervir de Réponſe

ponſe a l' Hiſtoire des Variations des Egliſes Proteſtantes de Mr. de Meaux &c. Par Mr. Baſnage. A Rotterdam, chez Abr. Acher, 1690, in 12.

Davidis Pſalmi decem. Item ſex Sacræ Scripturæ Vet. Teſt. integra capita. Priſco Hebræo metro reſtituit omnia, & cum tribus interpretationibus adparere voluit Marcus Meibomius. Amſterdami, apud Henr. Wetſtenium, 1690, in fol.

Davidis Huguenini Chriſtianus Ratiocinans, quo Cl. V. H. A. R. Diſſertationem Theologicam de Generatione Filii & Morte Fidelium temporali refellit. Lugd. Bat. apud Jord. Luchtmans, 1690, in 8.

Jacobi Uſſerii Arm. Archi-Ep. Hiſtoria dogmatica controverſiæ inter Orthodoxos & Pontificios de Scripturis & Sacris vernaculis. Accedunt ejusdem Diſſertationes II. de Pſeudo-Dionyſii Scriptis & de Epiſtola ad Laodicenos. Londini apud R. Chiswel, 1690, in 4.

Vitæ Juriſconſultorum, quorum in Pandectis extant nomina, conſcripta a Guilielmo Grotio. Lugd. Bat. apud Felicem Lopez, 1690, in 4.

Diſſertationes in Irenæum, autore Henrico Dodwello. Accedit Fragmentum Philippi Sidetæ hactenus ineditum de Catechiſtarum Alexandrinorum Succeſſione, cum notis. Oxoniæ e Theatro Scheldoniano, 1689, in 8.

Annotata præcurrentia ad Renati Carteſii Principia, autore D. Arnoldo Geulinx. Dordraci, apud Th. Goris, 1690, in 4.

Steph. Blancardi Lexicon novum Medicum Græco-Latinum. Lugd. Bat. apud Corn. Boutenſteyn & J. Luchtmans, 1690, in 8.

Entretiens Hiſtoriques, ou Diſſertation ſur cette Queſtion, ſi L' Empereur Philippe a eſt e Chreſtien. A Basle, chez Jaques Berſche, 1690, in 8.

Myſtica Anatomia Sacratiſſimi nominis Deiparæ Virginis Mariæ &c. Autore P. F. Joachimo a S. Maria, Carmelita Excalceato &c. Venetiis apud P. A. Brigoneium, 1690, in fol.

Expoſitio Myſtica & Moralis Evangelii ſecundum Matthæum; Autore Matthia Honcamp Can. Cap. &c. Moguntiæ ſumptibus Autoris 1690, in 8.

S S riptura & SS. Patrum Apologia adverſus P. Simonem & quosdam Hollandiæ Theologos: Autore eodem, Moguntiæ 1690.

Hippocrates Chymicus, ſeu Specimina quinque Chymiæ Hippocraticæ a Franc. Joſ. Burrho recognita &c. Bruxellis, apud M. Vleugaert, 1690, in 12. Prodit una cum menſe hoc Junio Sectio V. Supplementorum.

ACTA ERUDITORUM

publicata Lipſiæ

Calendis Julii Anno M DC LXXXX.

DICTIONAIRE UNIVERSEL, CONTENANT generalement tous les Mots François, &c. par Meſſire Ant. Furetiere &c.

ſive,

Dn. Antonii Fureterii, quondam Abbatis Chaliveienſis & Academiæ Franciccæ Socii Dictionarium Univerſale, generatim continens omnes voces Gallicas, tam antiquas, quam modernas, nec non terminos quarumvis Scientiarum & Artium.

Hagæ Comitum & Roterodami, apud Arnoldum & Regnerum Leers, 1690, in fol. Plag. 543.

PRodit nunc tandem Liber diu expectatus, cujusque jam plus vice ſimplici mentio in Actis hiſce fuit facienda. Nimirum prægustum ejus jam dederat Autor anno 1685, publicato quodam magni hujuſce operis ſpecimine, quod *in Actis Menſ. Novemb. dicti anni pag. 518* recenſuimus: iterumque *Menſe Jul. 1687 pag. 372* adverſa ejus fata enarravimus, & quomodo dudum geſtati hujusce fœtus enixui ſemet, haud ſecus ac Alcmenæ Herculem parturienti quondam æmula Juno, oppoſuerit Academia Francica; quæ adeo hic repetere non erit opus: quorſum etiam porro ſpectant, quæ hanc in rem ex Richeleti libello non ita pridem allegavimus *menſis noviſſime elapſi pag. 284.* Finis tandem is fuit, ut Liber, quos in Gallia ob dictam cauſam non potuerat, noviſſime in Belgio reperiret, qui eidem in lucem edendo obſtetrices præſtarent manus. Poſthumus

humus nihilominus hicce fœtus eſt, utpote cujus Autor, jam menſe Majo anni 1688 defunctus, eam non habuit felicitatem, ut ejus editioni ſuperviveret. Natus ille fuit A. 1620, & primum ſtudio Juris innutritus, in quo etiam tantos jam tunc progreſſus feciſſe fertur, ut munus Procuratoris Fiſcalis in Abbatia S. Germani Pratenſis aliquandiu ſuſtinuerit: poſtea vero ad ſtatum Eccleſiaſticū tranſiens Abbatia Chaliveienſi Biturigenſis Diœceſeos, nec non Prioratu Chuinenſi condecoratus fuit. In Academiam Francicam recipi meruit A. 1662, die 15. Maji: uti & varia opuſcula Gallica ab ipſo publicata in præfatione nominantur, ſatyrica fere & mimico conſcripta ſtylo. Inter alia & fabulas Æſopi carminice emiſit: quo ipſo tamen opere non ſolum minorem ſolito applauſum meruiſſe, ſed & ſimultatibus apud *Fontanum*, qui ſimile quid ante eum ediderat, & alia Academiæ membra, natis contra ſe potisſimam anſam præbuiſſe perhibetur. Cæterum nec diffitetur Editor in præmiſſa præfatione, Autorem in lite iſta inter ipſum & Academicos orta quædam nimis acriter ſcripſiſſe, ſpiritumque ſatyricum ultra juſtos limites ac moderamen inculpatæ tutelæ exercuiſſe: ſperat tamen nihiloſecius, Fureterio jam fatis functo, illuſtrem hancce Societatem nunc tandem ceſſaturam a perſecutione hujus operis, quod ob ſui præſtantiam in tantum linguæ Gallicæ honorem cedat; præſertim cum omnis gloria, quam Autor apud alios meriturus ſit, in ipſam Academiam ſimul & primario redundet, utpote e cujus potiſſimum conſortio, quo per tot annos gaviſus fuerit, Fureterius eam acquiſiiſſe habilitatem merito putandus ſit, quæ concinnando tam egregio operi ſufficere potuerit. Præterea ait, nullam omnino injuriam damnumve pati Academiam ex libri hujus publicatione: cum utiq; hoc Dictionarium ab eo, cui concinnando ipſa adhucdum occupata ſit, diverſum plane habeat ſcopum. Nimirum cum in Academiæ quidem Lexico non aliam eſſe poſſe, quam cujus gratia & ipſa primum fundata fuerit, videlicet expolitionem Linguæ Gallicanæ in utroque ſtylo, tam ligato, quam ſoluto, & quidem in uſum eorum maxime, quibus propoſitum ſit in edendis elegantioris ingenii fœtibus nitorem loquelæ obſervare :(ridiculam enim fuiſſe calumniam aliquorum Cardinalis Richelii inimicorū, quod venditare auſi fuerint, ipſum per fundationem hujus academiæ modo prætextum quæſiiſſe, novas nationi ſuæ impo-

impoſterum taxas ſeu mulctas imponendi, ſi quis nempe deinceps etiam in vulgato ſermone aut forenſi ſtylo regulas linguæ ſtatutas transgrederetur:) ut adeo omne illud, quod ad eum ſcopum non collimet, non niſi pro acceſſorio, iſtuc proprie non ſpectante habendum veniat. At vero Fureterium, cum univerſale Dictionarium, cunctos etiam artium terminos complectens, ſcribere intenderit, nitidioris loquelæ vocabula non aliter penſi habuiſſe, quam alia quælibet, communemque adeo ſermonẽ ejusve elegantias non niſi, ut acceſſorium, & partem totius, quod Autor perſequi ſibi præſtituerit, hic comparere. Præterea ipſum publice profeſſum eſſe, Lexicon ſuum fore tantum *Proviſionale* & prodromum ejus, quod Academia poſtmodũ publicatura eſſet, deciſurum tandem ſuprema cum autoritate de omnigena puritate ſingulorum vocabulorum tam antiquorũ quam modernorũ: neq; enim ſeſe quicquã hac in parte auſum eſſe definire, aut adeo uſurpare Jurisdictionẽ in voces, Academiæ propriam. Exiſtimat itaque Editor publicatione Lexici Academici nunc adhuc, poſt tot aliorum emiſſa dictionaria, magis quam unquam opus eſſe, quo tandem tot hujus loquelæ dubia hactenus nondum deciſa, plene componantur: optatque proinde egregio huic fœtui proxime partum felicem, fatumque melius, quam olim Italico Dictionario *Academicorum della Cruſca* contigerit; in quod ipſum nempe conſtet *Paulum Beni* inſurrexiſſe, idque impugnaſſe tanto cum ſucceſſu, ut &, *Thomaſino* judice, triumphi gloriam ex hoc certamine reportaverit. Cæterum hujus Academiæ laboris tarditatem excuſari poſſe autumat, applicato ad eum Zeuxis dicterio; qui nempe interrogatus, cur tantum temporis unicæ tabulæ elaborandæ inſumeret, reſpondiſſe fertur, ſe æternitati pingere.

Jam quod librum ipſum concernit, latiſſimus ejus contentorum ambitus vel ex ſolius Rubricæ, ampliſſimæ ſcilicet, perluſtratione abunde perſpicitur. Nimirum promittit ea, contineri in hoc Volumine univerſa vocabula Gallica, tam antiqua, quam moderna: quod ipſum tamen cum grano ſalis accipiendum eſſe, cum Lexici hujus perluſtratio, tum ipſius Editoris in præfatione facta monitio nos docet; ſcilicet per antiqua vocabula non intelligenda eſſe penitus obſoleta: neque exiſtimandum, ac ſi nihil omnino huic lexico deeſſet vocabulorum & phraſium; cum hæc fere omnium ejusmodi ope-

rum natura ſit, ut continuis dein augmentis creſcere gaudeant; uti videre v. g. liceat ex Johannis a Janua Catholico, conſarcinato ex Papiæ & Ugotionis collectionibus, comparato cum Aſcenſii Badii opere; aut Cornucopiæ Nicolai Perotti, collato cum Calepino hodierno. Quamobrem etiam is, cujus ſumtibus liber hicce prodiit, *Regnerus Leers* omnes ac ſingulos rogatos voluit, ut ſi quid iis occurreret aut emendandũ in hoc opere aut addendũ, id ipſi communicare haud gravarentur: quo in futuris, ſi quibus opus foret editionibus adjici ea poſſent, atq; ita liber cum tempore titulum Lexici vere univerſalis jure mereri. Fitq; ſimul ſpes aliqua eũ in caſum, de vocabulis obſoletis, quæ tempore Villaharduini, Froiſſardi, Montreleti, Joinvillii aliorumque iſtius ævi ſcriptorum uſu viguerunt, adjiciendis in ſeparato volumine, cui titulus Archæologiæ ſive Gloſſarii Linguæ Gallicæ deſignatur. Reliquum Rubricæ fere inſumitur enumerandis variis ſcientiis & artibus, quarum termini hoc in libro explanati habeantur. Quo etiam jejuna ſterilitas, quæ plura aliorum lexica inſipida fere reddit, in hoc ipſo caveretur, Autor id egit, ut ad evitandum lectoris tædium varia inſpergeret, quæ jucundiorem dictionarii hujus evolutionem facere poſſent. Sic potioribus materiis adjecit nomina ſcriptorum, qui de iis ex profeſſo tractarunt: etymologias etiam (aut certe non injucundas alluſiones,) ubivis ſedulo addidit ex *Sylvio*, *Borello*, *Menagio*, *Cangio*, *Nicodio* aliisque: & ſicubi vox aliqua Græcos agnoſcit natales, non omiſit Græca vocabula, Latinis tamen literis expreſſa adſcribere: proverbia item ſuæ gentis, eaque numeroſiſſima, debitis locis interſeruit, eorumque, ubi opus fuit, ſimul originem oſtendit. Potiſſimum vero id operam dedit, ut ubi vox aut phraſis aliqua exemplis illuſtranda eſſet, talia præ aliis adjiceret, quæ jucundi aut proficui quid continerent: quemadmodum & alias paſſim curioſa plurima, ex hiſtoria partim naturali partim civili petita interſperſit; e quibus nonnulla in gratiam Lectoris exempli loco hic delibaſſe fortaſſis haud pigebit; e primis tamen fere tantum paginis excerpta, cum vaſtum hoc opus totũ percurrere haud vacaverit.

Sic in voce *Abbé* inter alia plurima, quæ adducit, ad Abbatum hiſtoriam facientia, & hoc annotat, ſub hoc nomine antiquitus meros etiam monachos veniſſe: unde apud Epiphanium mentio reperiatur facta cujusdam Cœnobii, in quo mille Abbates fuerint & mille

cellulæ.

Digitized by Google

cellulæ. In voce *Abricot*, quæ malum Armeniacum ſignificat, allegatur, in Perſia fructum hunc venenatam habere naturam: quin & in Pedemontii regione ejus uſum adeo periculoſum eſſe, ut ſæpius ex unius eſu homines febre correptos conſtet. In voce *Academie* percenſet varii generis Academias per pleraſque Italiæ urbes ſtabilitas, quarum Socii plerumque nominibus miris appellari gaudeant: uti v. g. Academici Senenſes vocitentur *Intronati*, Florentini *della Cruſca*, (præter quos etiam in iſta Civitate viget Academia Phyſico-Aſtronomica, *del Cimento*, a Laurentio de Medicis ſtabilita;) Romani *Humoriſti*, *Lincei*, *Fantaſtici*, Bononienſes *Otioſi*, Genuenſes *Addormentati*, Paduani *Ricovrati* & *Orditi*, Vicentini *Olympici*, Parmenſes *Innominati*, Mediolanenſes *Naſcoſti*, Neapolitani *Ardenti*, Mantuani *Invaghiti*, Ticinenſes *Affidati*, Ceſenenſes *Offuſcati*, Fabrianenſes *Diſuniti*, Fayencienſes *Filoponi*, Anconitani *Caliginoſi*, Riminenſes *Adagiati*, Caſtellenſes *Aſſorditi*, Peruſini *Inſenſati*, Fermenſes *Raffrontati*, Maceratenſes *Catenati*, Viterbienſes *Oſtinati*, Alexandrini *Immobili*, Breſcienſes *Occulti*, Treviſani *Perſeveranti*, Veronenſes *Filarmonici*, Cortonenſes *Humoroſi*, Lucecani *Oſcuri*. In verbo *Accoucher*, ex Herrera enarrat ridiculam quorundam Americæ incolarum conſuetudinem, apud quos nempe infante recens in lucem edito non mater, ſed pater in puerperii lectulo decumbere & a familiaribus viſitari ſoleat. Ad vocem *Adultere* varia mulctarum genera percenſet, quibus crimen iſthoc antiquitus apud diverſas gentes fuerit coercitum, alicubi ſane ſatis levium: ſic ait in Arragonia quondam pœnam pro hoc delicto dictatam modo fuiſſe 60. ſolidorum: ſed in Francia non niſi 8 ſolidorum & 4 denariorum: in Polonia vero moris fuiſſe, ut adulteri ſeipſos caſtrare juberentur; & in Saxonia mœchum ſuſpendi debuiſſe ad rogum, in quo cadaver adulteræ fuiſſet cremandum, poſtquam ipſa ſibi prius laqueo gulam frangere coacta eſſet. In voce *Abecedaire* mentionem facit voluminoſi cujusdam operis, quod ob ordinem librorum Alphabeticum etiam *Abecedarium* fuerit dictum, conſcripti a *Petro d' Alva*, de Conceptione beatæ Virginis, XXI Tomis: ita quidem ut unica litera *A* tres Tomos in Folio adimpleret, editos Madriti A. 1648. Ad vocem *Année* notat, annum civilem in Gallia a menſe Januario inchoari demum cœpiſſe anno 1564, & quidem per expreſſam

Ordinationem a Carolo IX. hunc in finem promulgatam, cum antea poſtridie Paſchatis, circiter 25. Martii novus annus computari ſuevìſſet. Item, antiquos Franciæ hiſtoricos initium annos numerandi ſumſiſſe ab obitu S. Martini, defuncti nimirum anno Chriſti 401. aut 402. Ad vocem *Arabe* ex P. Angelo de S. Joſepho allegat, tantam linguæ Arabicæ luxuriem eſſe, ut 1000 habeat vocabula, quæ Gladium, 80. quæ Mel, 500 quæ Leonem & 200. quæ Serpentem ſignificent. In voce *Armoiries* inter alia adducit lepida civitatis Biturigum (Bourges) Inſignia, repræſentantia ſcilicet aſinũ cathedræ inſidentem: unde vulgato dicterio inhabilis ad honores promotus dici ſoleat arma Bituricenſium exhibere. Ad verbum *Arquebuſe* memorat, inventionem bombardarum pneumaticarum deberi civi cuidam, nomine *Marin*, ex urbe *Liſieux* oriundo, qui talem Henrico IV. primus in donum obtulerit. In voce *Auſtruche* ex Pat. Acareti Relationibus adducit, Struthiocamelum, cum videat ova ſua jam pullorum excluſioni proxima eſſe, ex eorum numero quatuor conquaſſare ſolere, quo ex iis computreſcentibus enati vermiculi futuris pullis eſcam præbeant. Item circa Promontorium Bonæ Spei tam ingentia reperiri ejusmodi ova, ut eorum unicum ſeptem hominibus ſatiandis ſufficiat. Occaſione vocis *Aueugle* varia cœcorum ingenioſorum exempla enumerat: inter quæ haud poſtremum eſt Sculptoris cujusdam, qui cum anno vigeſimo ætatis luminibus orbatus eſſet, nihilominus decennio poſt ſtatuam marmoream elaboraverit, Coſmi II. Hetruriæ Ducis effigiem apprime exhibentem, uti & aliam argillaceam, qua Urbani VIII. ſimilitudinem haud infeliciter expreſſerit. In voce *Baleine* commemorat, Balænas in Anglia inter regalia majora reputari, ita quidem ut ſi quæ circa iſta litora capiatur, ejus caput Regi, cauda vero Reginæ de jure in portionem cedat. In voce *Macreuſe* obſervat, hujus nominis Avem maritimam, anati non abſimilem, ob ſanguinem frigidum, quo gaudeat, inter Piſces numerari eatenus, ut quadrageſimali etiam tempore ejus eſus reputetur licitus. (Pleniorem de hac avium ſpecie notitiam ſi quis deſiderat, haurire poterit ex *Tranſaction. Philoſ. Angl. M. Jun. 1685. n. 172. pag. 1036.* ubi diverſæ communicantur Obſervationes, hac de re factæ a *D. Tancredo Robinſono;* qui nempe inter alia annotat, vulgo ſed falſo in Gallia credi, genus hoc avium generari aut ex putrido ligno, quod mari innatet,

natet, aut ex certis fructibus in aquam delapſis, aut ex conchis, anatiferis paſſim creditis, adhæreſcentibus antiquarum navium fundo & tabulis: perperam etiam a *Rob. Sybbaldo* & *Graindorgio* confundi cum *Bernacla* Scotica; cum tamen hæc anſerini, illa vero anatini generis ſit, utraque vero, teſte experientia recentiorum, manifeſte ovipara, nugas iſtas de generatione earum æquivoca, ante hac paſſim creditas reipſa refutet. Teſtatur quoque idem Robinſonus copioſiſſime avem hanc, retibus ſub aqua expanſis, capi in regione Languedociæ, Provinciæ ac Normanniæ, & præſertim ad Sequanæ oſtium: & valde huic æmulam, ſi non ſpecie eandem ſemet obſervaſſe ſuper Mari Mortuo & lacu Averno, perinde ac alias multas volucres, quotidie aquas haſce frequentare ſolitas, adeoque ipſo facto confirmantes, aut fabuloſam eſſe antiquorum relationem de venenatis iſtarum exhalationibus, aves prætervolantes enecantibus, aut effluvia iſta temporis lapſu penitus alterata fuiſſe. Denique communicat epiſtolam a Dno *Rajo* de hac ipſa ave *Macreuſe* ad ſe perſcriptam: in qua fatetur, ſemet hactenus incertum hæſitaſſe, ad quamnam ſpeciem ea referenda eſſet: nunc tamen, poſtquam ejus exuvias videre contigerit, non amplius dubitare, quin Anatibus marinis accenſenda, ac eadem omnino cum illa ſit, quam in *Willughbeji Ornithologia* ſub nomine *Anatis nigræ minoris* deſcriptam dederit: nequaquam vero ex *Mergorum* ſeu *Colymborum* genere, uti quidem antehac ſibi perſuaſerit. De cætero miratur, cur avis hujus eſus quadrageſimali aliisve jejuniorum temporibus magis indulgeatur, quam affinium ſpecierum ex aquatilibus: præſertim cum ipſa conchis modo & ſimilibus teſtaceis fere victitet, indeque carnem habeat non minus ſapidam ac aliæ anates ſimili eſca gaudentes; ubi e diverſo Tridactylæ & Mergi, piſcibus proprie talibus ſemet nutrientes multo magis piſcoſum & rancidum præbeant ſaporem. Sed hæc obiter.) Occaſione porro vocis *Memoire* narrat Fureterius noſter, Pontifici Clementi VI. tam divinam fuiſſe memoriam, ut nil quicquam eorum, quæ unquam audierit aut legerit, oblivione perdere fuerit ſolitus: quodque magis mireris, eam ipſi demum obtigiſſe adeo felicem, poſtquam aliquando ictu quodam ejus occiput fuiſſet percuſſum. Atque hæc quidem ex innumeris aliis adduxiſſe ſufficiet. Cæterum Lexicon hoc non modo Gallicas voces, uti Rubrica ſpondet, in ſinu ſuo continet

tinet

tinet, ſed & aliarum explicationem largitur, partim antiquarum barbararum, v. g. *Abracadabra*, item *Abadir* (quod nomen fuiſſe fertur ejus lapidis, quem faſciis involutum a Saturno filii loco devoratum anilis gentilium ſuperſtitio finxit:) partim modernarum exoticarum: e quarum numero potiſſimum ſunt plurimi termini in recentioribus relationibus, itinera varia per Orientales & Occidentales Regiones facta deſcribentibus, occurrentium. Quod reliquum eſt, non opus fuerit monere, Dictionarium hoc in tres Tomos diſtinctum eſſe, quorum primus ab *A* ad *E*, ſecundus ab *F* ad *O*, tertius denique a *P* ad *Z*, pertingat: cum hæc ipſa diviſio procul dubio non alio fine facta ſit, quam ut librum modo in Volumina commodiora compingere liceret.

NOUVEAUX ELEMENS DE GEOMETRIE, contenant &c. h. e.

Nova Elementa Geometrica, quæ præter novum plane ordinem, novasque maxime vulgarium propoſitionum demonſtrationes, complectuntur nova media, quibus linearum incommenſurabilitas oſtenditur, novas angulorum menſuras a nemine hucusque animadverſas, novasque rationes linearum proportionem inveniendi atq; demonſtrandi.

Editio ſecunda juxta Pariſinum exemplar recuſa Hagæ Comitum ab Henrico van Bulderen A. 1690, 8. Plag. 21.

Annus jam agitur vigeſimus tertius, ex quo Pariſiis primum in lucem prodiere Geometrica hæc Elementa, a concinno cumprimis ordine, quem ubique ſervant, ſe commendantia. Ea vero, cum eruditis adprime placuiſſent, magis expolienda ſibi ſumſit poſtea illorum Autor, & ſecunda vice A. 1685 edidit, ita tamen, ut ſecundum & tertium librum, qui de ratione & proportione agunt, maximam partem mutaret, poſtquam ipſi copia facta fuiſſet libelli, qui *Euclides Logiſticus* inſcribitur. Cum ergo hoc opuſculum denuo Belgarum typis recuſum hoc anno fuerit, paucis hoc indicandum duxi-

Digitized by Google

duximus, ſolum ordinem attuliſſe contenti, cum cætera ex titulo libri ſatis poſſint cognoſci. Abſolvitur autem libris quindecim, quorum I. agit de quantitate in genere & quatuor operationibus, addendi, ſubtrahendi &c. quatenus per ſymbola ſpecioſa peraguntur. II. De ratione & proportione Geometrica. III. De ratione compoſita, & rationum logiſtica. IV. De quantitatibus commenſurabilibus. V. De extenſione, linea recta & circulari, de rectis perpendicularibus & obliquis. VI. De lineis parallelis. VII. De lineis ad circumferentiam terminatis; ubi quoq; tractatur de ſinubus & proportione, quam arcus diverſorum circulorum, & illorum circumferentiæ inter ſe habent, ut & de parallelismo linearum circularium. VIII. De angulis rectilineis. IX. De angulis, qui verticem habent extra centrum circuli, cujus tamen arcus ipſos metiuntur. X. De lineis proportionalibus. XI. De lineis reciprocis, quæ alias antiparallelæ dicuntur. XII. De figuris in genere conſideratis, reſpectu angulorum & laterum. XIII. De triangulis & quadrilateris conſideratis quoad latera & angulos. XIV. De figuris planis conſideratis ſecundum aream, & primo quidem de rectangulis. XV. De menſura areæ parallelogrammorum, triangulorum & aliorum polygonorum. In fine acceſſit reſolutio problematis Arithmetici de conſtructione quadratorum magicorum.

SECONDE DENONCIATION DE LA NOUvelle Hereſie du Peché Philoſophique &c.

id eſt,

Secunda Denunciatio novæ Hæreſeos de Peccato Philoſophico, a Jeſuitis Divionenſibus, & aliquatenus a Lovanienſibus in ſcripto ſuo primæ Denunciationi oppoſito, antehac etiam in quindecim eorum diſputationibus diverſo tempore ab anno 1668 propugnatæ.

Coloniæ, apud heredes Baltaſ. ab Egmond, 1690, in 12.

PRimam Denunciationē exhibuimus in Actis anni proximi p. 620. Oppoſuerunt illi Jeſuitæ brevem Apologiam, cui titulus eſt: *Jan-*

 ſeniſta

ſeniſta novarũ hæreſium denunciator, calumniæ & falſi convictus. Subjuncta illa eſt huic tractatui p. 165 ad 180. In hac autorem denunciationis faciunt D. *Arnaldum*, quem infelicem Janſeniſmi heroem vocant, qui una cum *D. Vianio* a multis annis id egerit, ut Jeſuitarum exiſtimationem omnibus modis deſtrueret. Theſin Divionenſem iisdem, quibus Denunciator, verbis proponunt, ſed eam nec agnoſcere, nec rejicere videntur; haud pauca tamen pro ea vel defendenda vel excuſanda adducunt. Prolixiores ſunt in exagitatione adverſarii, inprimis quod in relatione & verſione theſis Jeſuitæ Lovanienſis (*de Reux*) vocabulum *tantiſper* omiſerit. Verba, ut ea d. l. Actorum p. 621. ex prima Denunciatione inſeruimus, hæc ſunt: *Fieri poteſt, ut exiſtentia Dei ab homine ordinariis tantum divinæ gratiæ auxiliis prævento, ignoretur inculpate.* At Reuxius ſcripſerat, ignorari poſſe *tantiſper*, i. e. ad tempus, *inculpate.* Huic igitur Apologiæ in præſenti ſcripto reſpondet Arnaldus, quem pro Autore, ipſo,
pag. 1. ut credimus, non invito habebimus. Ab initio generatim ſuperbam in errore pertinaciam, deinde in reſpondendo fallaciam & ambiguitatem Jeſuitis exprobrat, quod omiſſa, quam ſecundum bonæ fidei & pietatis leges debebant, manifeſta theſis aſſertione aut juſtificatione, ita reſpondeant, ut nemo mentem eorum intelligere poſſit, cumque nihil ad rem dixerint, in convitia tamen & ſcommata effun-
4. dantur, quo lectores a ſtatu quæſtionis avertant. Acceptat, quod negare non auſi ſint, theſin illam *Divione* omnino publicatam eſſe; irridet autem eos, quod parvam & exiguam vocent, in finibus Galliæ & flagrante bello editam; quaſi id ad rem faciat, aut *Divio* non ſit urbs regio tribunali (*Parlamento*) nobilis, vel quaſi durante bello ceſſet conſenſus orthodoxæ Eccleſiæ, aut literarum commercium non fuerit continuatum. Fatetur lapſum ſe eſſe feſtinatione, in omiſſione voculæ *tantiſper* in theſi *Reuxii*; ſed hoc ideo ſaltem exagitari a Jeſuitis ait, ut ſuſpectum faciant autorem, ac ſi etiam Divionenſem theſin, de qua præcipue agitur, non integre retuliſſet. Interim non diſſimulat, ſe in eo potiſſimum erraſſe, quod pravam illam de peccato doctrinam nunc primum Divione vulgatam eſſe putaverit,
8. cum eandem multis theſibus alii Jeſuitæ in Belgio publice aſſeruerint; id quod exemplis probat. Primum eſt ex diſputatione *Ejirixii* Jeſuitæ Lovanienſis, qui A. 1668. d. 23. Jul. ſcripſerit: *Nullum eſt pecca-*

tum

Digitized by Google

tum formale, niſi conſcientia hic & nunc judicet de malitia. Item: *Peccatum committi poteſt ab eo, qui Deum ignorat invincibiliter, & ſic non eſt formalis offenſa Dei, nec meretur pœnam ignis æternam.* Alterum affertur ex theſibus *Antonii Burgundi* Jeſuitæ A. 1670. in quibus primum reperiſſe ſe ſcribit Autor nomen *peccati philoſophici.* Refert autem hanc theſin: *Peccatum aliud dicitur Philoſophicum, aliud Theologicum. Hoc eſt formalis offenſa Dei, ex eoque* pag. 9. *capite ſpecialem habet malitiam: illud ne quidem eſt peccanti ſemper imputabile, ut factum contra Deum ejusque legem, adeoque non apparet, unde ſemper mereatur pœnam ſenſus æternam.* Sequitur alia *Ignatii Jonghe: Peccatum philoſophicum non meretur æternam pœ-* 10. *nam ſenſus, uti nec originale, quam tamen pœnam peccatum actuale mortale Theologicum mereri manifeſtum eſt. Non alia de cauſa illam meretur, quam quod ſit malitia infinita. Malitiam infinitam ex eo habet, quod ſit gravis & formalis offenſio perſonæ dignitatis infinitæ, cognitæ qua talis.* Poſt alia *Reuxii* quoque verba ad- 11. ducuntur: *Peccatum Philoſophicum, ut vocant, non eſt formalis of-* d. l. *fenſa Dei: neque adeo meretur pœnas ſenſus æternas.* Item: *Pœnam peccati mortalis æternam futuram docet fides. At unde hanc meretur? Non incongrue offenſæ Dei malitiam quodammodo infinitam ut cauſam aſſignaveris. Peccatum Philoſophicum, ut Schola appellat, cum non ſit formalis offenſa Dei, pœnis ſempiternis multi exi-* 12. *munt: Nec immerito, ſi ſpeculari liceat Theologis Scholaſticis.* Denique *Bruni: Cum Theologi ſtatuant, peccatum mortale Theologicum pœnas ſenſus æternas mereri, quia eſt gravis & formalis offenſa Dei, ſub ratione ſummi & infiniti boni agniti; paſſim etiam negant, peccatum Philoſophicum æternas pœnas ſenſus mereri, cum illud non ſit formalis offenſa Dei, ſub ratione ſummi & infiniti boni agniti. An non recte? Nobis quidem ita apparet. Sed apud timoratos judicium eſto.* Item: 14. *Quæ hinc invidioſa duci poſſint corollaria, non videmus. Unum nos tantum inferimus, peccatum hoc non mereri pœnas ſenſus æternas, hoc nixi argumento: Ideo præciſe quis illas incurrit, quia graviter formaliter offendit Deum ſub ratione ſummi & infiniti boni cognitum. Philoſophicum autem cum illa cognitione non committitur. Igitur pœnas illas ſenſus æternas non meretur; aut illas Philoſophice* 15. *peccans non incurrit. Nobis certe ea recte dici poſſe videntur: & cur non omnibus?* Stabilita hoc modo quæſtione facti, de jure inquirit

rit Autor, num iſta theſis vere ſit hæretica, & quod talis ſit, indubita-
tum eſſe ſtatuit, judicium viri alicujus inſignis afferens, qui Romæ di-
xerit, eſſe hæreſin, ſed oppoſitam illi, quam *Molinæus* produxerit. Hunc
enim docuiſſe, eum qui de ſolo Deo cogitet, non peccare, licet
atrociſſima crimina perpetret: Jeſuitas vero in oppoſitum errorem
incurrere, cum dicant, quod nec maxima crimina pœnas inferni me-
reantur, dummodo committantur ab iis, qui de Deo non cogitant.
pag. 17. Cum igitur de hæreſi conſtet, bene meritum de Eccleſia cenſet,
qui eam denunciaverit, & optat, ut pari libertate dudum admoniti
fuiſſent Jeſuitæ, quando diſciplinam Chriſtianam dogmatibus ſuis
corrumpere cœperint. Addit, ſi etiam novus hic error diſſimula-
tus fuiſſet, univerſalem totius populi depravationem, omniumque
ſcelerum licentiam ſecuturam fuiſſe, cum magnam juventutis in Eu-
ropa partem Jeſuitæ erudire ſoleant. Niſi igitur, ait, amoris pro-
prii idololatria excœcati eſſent, gratias monitoribus agere debuiſ-
ſent. Jam cum ad propoſitam quæſtionem candide non reſponde-
ant, ſe ipſos prodere dicit, & in magnum contemtum adducere; ni-
hilominus tam protervos eſſe, ut ſeditioſos vocent, qui vel hiſcere
20. contra ſe audeant. Probat hoc inter alia teſtimonio *Palafoxii*, E-
piſcopi Angelopolitani, & prædictum hunc lapſum eſſe notat a *Mu-
tio Vitelleſco* Societatis Generali, ante annos plus quam ſeptuaginta
ſcribente, fore ut nimis liberæ quorundam è ſuis opiniones Eccle-
ſiam in magnum malum ſint conjecturæ; unde & docendi modum
improbarit eorum, qui inter opiniones vagas & ambiguas fluctuan-
tes dicunt: *hoc poteſt doceri; hoc eſt probabile; ſunt, qui ita ſenti-
unt.* Agnoviſſe dicit implementum ominis illius nuperum Jeſuita-
22. rum Generalem *Joh. Paulum Olivam*, cujus verba ex Tom. III. conc.
29. part. 2. Latine verſa hæc ſunt: *Vix domum alicujus Eccleſiaſtici
intravi, cum me interrogavit, quid mihi videatur de periculoſiſſi-
ma & univerſali hac peſte. Si quæro, quam intelligant, confeſtim
reſpondent, de confuſione illa extrema ſe queri, quæ in medio Catholi-
corum oriatur ex frequentia opinionum, quas vocant probabiles. Per
has enim probantur hoc tempore uſuræ Zacchæi, ambitio Simonis, vio-
lentia Eſavi, murmura diſcipulorum, concuſſiones Antiochi, iniqui-
tates ſcribarum, & excepta impudicitia Herodis, & crimine Ammo-
nis, quæ nondum aperte laudantur, in nihilum rediguntur omnia, quæ
in*

Digitized by Google

in tabula Moyſis & in Eccleſia fidelibus præcipiuntur. Talia in ædibus Cardinalis *Bonæ* dicta eſſe putat Autor, ejusque gravem cenſuram ex libello *de principiis vitæ Chriſtianæ* contra licentiam illam allegat. Hujus vero præcipuos autores eſſe Jeſuitas, demonſtratum eſſe dicit a Paſtoribus Galliæ, in excerptis ex libris Jeſuitarum, quos vocant, *de Caſibus*, Clero regni exhibitis, & ad eorundem pertinere conſtitutionem Alexandri VII. A. 1665 editam, cujus verba quædam Gallice refert hoc ſenſu: Summe dolere Pontificem, quod opiniones reſuſcitentur vel novæ prodeant, quibus pietas Chriſtiana laxetur & animæ corrumpantur; ab audacibus enim ingeniis quotidie majorem licentiam ſumi, & in caſibus conſcientiæ inſenſibiliter ſententias plane alienas a ſimplicitate Chriſtiana & ſanctorum Patrum doctrina in Eccleſiam induci, ex quibus periculum ſit, ſi eas ſequantur fideles, ne maxima morum depravatio naſcatur. Tantô igitur periculo merito remedium quærendum eſſe judicat; ſi enim invaluerit hæc Jeſuitarum doctrina, nullum futurum eſſe atheum, aut affectibus ſuis ſervientem, qui non omnem de Deo cogitationem ex animo ſit ejecturus, ut numero peccantium eximatur, notitia quippe cariturus, quam Jeſuitæ ad formam peccati requirunt. Poſthæc ad omiſſionem vocabuli *tantiſper* reſpondens, eam non ſolum, ut ſupra fecerat, innoxio memoriæ lapſu, qui cuivis condonandus ſit, excuſat, ſed & adverſarios ob maledicendi ſtudium, & quod de Janſeniſmi hæreſi, quam imaginariam vocat, tantas turbas excitare nunquam deſinant, acriter perſequitur. Monſtrat porro, etſi vocula illa *tantiſper* non fuiſſet omiſſa, errorem aſſertionis non emendari, neque ſententiam Jeſuitæ *Reuxii* defendi poſſe.

pag. 23. 23. 27. 33.

Pluribus inde demonſtrationibus evincere conatur, quam nullo fundamento nitatur diſtinctio illa peccati Philoſophici & Theologici, quodq; minime realis ſit; utq; ſpeciatim Thomæ Aquinatis ſententiæ, quem tamen Jeſuitæ pro Doctore agnoſcant, adverſetur. Oſtendit etiam, quam abſurda ex aſſerto illo ſequantur. Allegat & ſumme improbat dictum *Jacobi Platelii* Jeſuitæ Duaceni in Synopſi Theologiæ A. 1679. edita ſcribentis: *Hinc peccatum, quantumvis rationi graviter repugnans, commiſſum ab invincibiliter ignorante, aut non advertente Deum eſſe, aut peccatis offendi, non eſt mortale: cum* 50.

enim nullum etiam virtualem & implicitum Dei contemptum includat, ſtare poteſt cum charitate perfecta & amicitia divina. Unde tale peccatum quidem eſſet grave gravitate Philoſophica, præciſe ſita in repugnantia cum natura rationali qua tali, cujus conſideratio pertinet ad Philoſophiã moralem; non tamen Theologica, conſiſtente in repugnantia cum lege & bonitate divina. Hæc enim malitia licet fundamentaliter ſit prior Dei prohibitione ejusque cognitione, ſumta tamen formaliter eſt poſterior. Deſtruit etiam, quicquid excipi poteſt ad excuſanda talia dogmata, quæ piis, ut ait, non poſſunt non horrori eſſe, atheos vero omniumque facinorum & probrorum reos feliciores quam vere Chriſtianos & Deum timentes faciunt. Stabilit orthodoxam regulam verbis Thomæ: *Ex parte averſionis ab incommutabili bono conſequitur peccatum mortale, reatus pœnæ æternæ, ut qui*
pag. 55. *contra æternum bonum peccavit, in æternum puniatur. Averſio vero illa a Deo, bono incommutabili, & converſio ad bonum commutabile, in omni peccatore etiam præter intentionem ſuam peccante invenitur.* Cum vero Jeſuitæ in Apologetico ſuo effugium quærant, & a theſi Divionenſi eatenus recedere videantur, dum eos, qui ex propoſito graviter peccant, a ſiniſtra Chriſti in judicio collocandos eſſe concedunt, inter eos ſcilicet qui in æternum eant ſupplicium; ſummæ tamen & plusquam Socinianæ impietatis eos accuſat, quod illa Chriſti verba ita cavillentur, quaſi ſenſus ſit, tales peccatores flammis illis in æternum cruciandos non eſſe, ſed fore ut aliquando iis liberentur. Hoc pro nova hæreſi denunciandum eſſe arbitratur, quia nullo modo, ſecundum analogiam fidei, liberatio illa locum habere poſſit, cum fieri nequeat ſine converſione damnatorum; hæc autem neque ſine gratia Dei fiat, niſi Pelagii doctrinæ locus detur, neq; gratia Dei per Chriſtũ data ad damnatos ad infernum pertineat.
62. Addit notabilia de peccatis gentilium, de quibus Paulus dicit, quod ignorent Deum; quorum tamen pauciſſimi, ex opinione Jeſuitarum, damnatione digni eſſent, vel ſi damnentur, pœnis tamen ſenſus ignis æterni liberandi forent, inepta quidem, ut Autor arguit, reſtrictione, cum æterna & infinita ſit pœna damni ob peccatum ex averſione erga Deum infinitum & æternum commiſſum, etſi pœna ſenſus, quatenus ad corpus pertineat, ex doctrina Thomæ P. 1. 2. q. 87. a. 4. c. finita dici poſſit. Contrarium ſentientes in Origeniſtarum

rum deliria lapſuros eſſe notat, & fundamentum erroris hujus ex alio fluere indicat, quod Jeſuitæ plerique de amore Dei pravam foveant opinionem. Allegat enim theſin A. 1689 in ſchola eorum Pontimusſitana defenſam: *Homo non tenetur amare finem ſuum ultimum, neque in principio, neque in decurſu vitæ ſuæ moralis.* Opponit horribili huic effato dicta Auguſtini Serm. 19 de verb. Apoſt. quibus amorem in Deum ab omnibus vere fidelibus exigit. Subtiliora ſunt, pag. 78.
quæ de alia Jeſuitarum exceptione commentatur, cum dicant, ad peccatum Theologicum ſive æterna pœna dignum ſufficere cognitionem Dei etiam ſub idea obſcura & confuſa: hanc autem habere ait Autor omnes paganos & idololatras, imo & atheos, ergo omnes peccare theologice. Plura ſubjungit de voculis illis *tantiſper* & *inculpate*, quibus theſin ab invidia liberare voluit *Reuxius*; Jeſuitarum etiam libros theſesq; citat Autor, in quibus absq; illa limitatione pec- 81.
catum formale eſſe negant, niſi cognoſcatur malitia, & inde abſurdiſſimam ſequelam deducit. Oſtendit porro, quot myriades paganorum, etſi variis de Numine opinionibus imbutorum, in ſpecie Americanorũ, ſufficientia media humana ad cognoſcendũ Deum non habuerint, quibus tamen Paulus *vindictam ignis denunciat, quod non cognoverint Deum*, II. Theſſ. I, 8. *& quos ſine Deo in mundo* fuiſſe aſ- 89. 95.
ſerit, Eph. II, 12. Hos igitur omnes, ſi Jeſuitæ recte ſentiant, inculpate Deum ignoraſſe. Negat autẽ & Jeſuitis contradicit, quod habuerint media divina, gratiã nempe, quam illi vocant, ſufficientẽ, quam- 99.
que omnibus hominibus a Deo dari ſtatuunt; quod illorum dogma pluribus refellit & Pelagianiſmi arguit. Provocat ad librum A. 1651 105.
& ſeq. bis publicatum titulo *Apologiæ SS. Patrum*, ad quem huc usque Jeſuitæ non reſponderint. Urget dictum Auguſtini *Lib. de grat.* 121.
& lib. arbitr. ubi inter alia ſcribit: *Etiam illa ignorantia, quæ non eſt eorum qui ſcire nolunt, ſed & eorum, qui tanquam ſimpliciter neſciunt, neminem ſic excuſat, ut ſempiterno igne non ardeat, ſi propterea non credidit, quia non audivit omnino, quod crederet, ſed fortaſſe, ut mitius ardeat.* Et verbis Pauli ad Lycaonios Act. XIV, 16. *Deus in* 125.
præteritis generationibus dimiſit omnes gentes ingredi viis ſuis, prorſus deſtrui contendit omnia, quæ de gratia ſufficienti docent Jeſuitæ. Cumulat plura pro ſua de gratia per ſe efficaci ſententia, & contradicit univerſali ad ſalvandos omnes homines gratiæ. Ad ea vero 134.
quæ

quæ Jeſuitæ regeſſerant,reſpondet, & ſpecialiter ad ea, quæ *Reuxius* D. *Steyarto* Lovanienſi oppoſuit. Theſes autem contradictoriæ eorum hæ ſunt; Steyarti: *Fieri poteſt, ut qui neſciunt, an Deus ſit, peccent peccato vere ſpirituali & Theologico*; Reuxii: *Fieri non poteſt, ut, qui neſciunt, an Deus ſit, peccent peccato vero, formali & Theologico.* Huic etiam Apologiſtam novum contradicere ait, cum ſtatuit, Americanorum, qui tamen neſciant, an Deus ſit, peccata eſſe vera, formalia & Theologica, item quod raro acciderit, ut tantum fuerint philoſophica. Addit exemplum notabile *Jeſuitæ Delphenſis*, qui per
pag. 152. avaritiam noluerit impuberes Catholici cujuſdam defuncti liberos ex eleemoſynis ad id deſtinatis alere, ut in religione Catholica educarentur, cauſatus, ignorantiam eorum non fore damnabilem; quo de caſu literas extare notat typis excuſas. Ultimo capite in cenſuram vocat theſes *Duffii* Hiberni, monachi *Recollecti*, ſed Jeſuitis ita deditι, ut in eorum gratiam, cum condemnatione ſuarum propoſitionum ab Innocentio XI. A. 1679 publicata offenſi eſſent, nonaginta theſes Lovanienſium Theologorum excerpſerit & in Hiſpaniam miſerit, ad quas tamen omnes a Facultate Lovanienſi A. 1683 d. 4. Maji ita reſponſum eſſe refert, ut Pontifici penitus ſatisfactum
155. fuerit. Inter *Duffii* autem theſes hæc eſt: *Nulla furta, adulteria, homicidia, aliave ſcelera, quantumvis enormia, habent rationem peccati formalis aut divinæ offenſæ in invincibiliter ignorante omnem Dei legem, prohibitionem aut exiſtentiam.* Explicat inde, quæ ignorantia vincibilis dicatur, vel invincibilis, & monachi opinioni tertium hæreſis locum aſſignat, primum & ſecundum theſibus Divionenſibus & Lovanienſibus. Finit gravi ad Jeſuitas adhortatione, ut abſtinentes a calumniis & convitiis, errores ſuos agnoſcant & retractent. Iſti refutationi ſubjuncta eſt, ut diximus, ipſa Jeſuitarum Apologia, & huic præterea annotationes breviuſculæ adjectæ ſunt, ex quibus pauca quædam referimus. Cum apologiſta Janſeniſtis, quos vocat, objeciſſet, quod excepto articulo de Euchariſtia in omnibus fere
185. cum Calvinianis conſentiant, pro maxima id calumnia & impudentiſſimo mendacio habet Arnaldus, primos ejus inventores nominans *Annatum* & *Meynerium* Jeſuitas. Quantum vero a Reformatis diſſentiat, ex ſcriptis ſuis, quæ recenſet, ſatis ait conſtare. Objectio-
187. ni, quod Janſeniſtæ omnibus permittant S. literarum lectionem reſpon-

reſpondet, prohibitionem veterem pro temporis ſtatu ab Eccleſia factam mutatis & ceſſantibus cauſis haud immerito ceſſare debere, id quod ſpeciatim ad prohibitionem lectionis illius applicat teſtimonio Card. *Richelii* & Jeſuitæ *Serarii*. De indulgentia, qua Jeſuitæ in abſolvendis, qui peccata ſua apud illos confitentur, uti dicuntur, notabilia exempla affert ex *Baunio* Theol. Moral. tract. 10. p. 475. & *Maſcarenio* de Sacramentis Tract. 4. diſp. 5. n. 284. qui cenſet, non eſſe removendos neque a Miſſæ celebratione, neque a Sacra communione, qui eo die qualiacunque infandæ libidinis crimina commiſerint, dummodo per confeſſionem rite ſint diſpoſiti. pag. 92.

TRADITION DE L' EGLISE ROMAINE SUR la Grace. Tome troiſieme contenant &c. par Mr. Germain, Doct. en Theologie.

id eſt,

D. Germani Traditio Eccleſiæ Romanæ de Gratia. Tomus III, quo novæ declarationes continentur, & objectiones Stephani des Champs Jeſuitæ, ignorantiæ, falſitatis & calumniæ convincuntur.

Coloniæ, apud Nicolaum Schouten, 1690, in 12. Plag. 26.

Tomum primum hujus operis enarratum invenient lectores in *Actis noſtris* A. 1688 p. 363: alterum p. 402. Lucem etiam afferent quæ excerpſimus ex epiſtolis *Principis Contii ad Jeſuitam des Champs* in Actis 1689, p. 428. & ex *Defenſione doctrinæ de gratia & prædeſtinatione* Proteſtantibus oppoſita p. 570; nec non relata ex libro *Gregorii Coronelli* de Congregationibus Romæ in controverſia de auxiliis gratiæ habitis, in Actis 1687. p. 353. Agnoſcit ipſe Autor in præloquio *Tomi hujus* III, ſuperfluam videri poſſe diſputationem de quæſtionibus hiſce operoſiſſime ventilatis, nec dignum reputat Jeſuitam, cujus gratia reſpondendi labor ſuſcipiatur; aliis itaque cauſis motum ſe eſſe dicit, ut Tomum hunc ederet. Inter has potiſſimas allegat, ut ſuam ſententiam, quam Catholicam vocat, ab hæreſi Calvini diſtingueret, & Eccleſiam Romanam ab imputato Pelagianiſmo

Uu denuo

Digitized by Google

denuo vindicaret, irritatus ſcriptis *D. Melchioris Leydeckeri* Theologi
cap. 1. Batavi, & *D. Jurii*, quæ allegat & taxat. Fatetur, ab aliis ſatisfactum non eſſe objectionibus Proteſtantium, nominatim reprehendens *Sanctium* (des Saintes) & *Albertum Pighium*; nec magis probat ſilentium, quod Jeſuitæ ad imputationes illas ſervaverint. Solis itaque Auguſtini & Thomæ diſcipulis (Janſeniſtas ante omnes innuit) deberi, & Tomis prioribus hujus operis evictum eſſe exiſtimat, quod orthodoxa & puriſſima ſit Eccleſiæ Romanæ ſententia, utut Jeſui-
2. tæ ab errore non ſint immunes. Cum vero D. *Jurius* doctrinam *de gratia efficaci* ab Innocentio X in Bulla contra quinque propoſitiones Janſenii damnatam eſſe contendat, & Pontificis declarationem poſt Bullam oretenus & ſcriptis factam parvi faciat, id magna cum diligentia agit, ut oſtendat declarationem illam plurimum valere, & Bulla Innocentii in ſtatu hujus quæſtionis nihil mutatum, ſed relictum eum eſſe, quomodo ſub Paulo V & Urbano VIII fuerit. Provocat ad libros nuperrimos *Laurentii Brancati Cardinalis de Laurea, & Macedo Luſitani*, qui inter Jeſuitas annis XXII verſatus, & quarto voto obſtrictus ad Franciſcanos tranſiit, item *Henrici de Noris* & aliorum, ex quibus manifeſtum eſſe ait, non placere tot Theologis & Sodalitiis ſacris, quæ Jeſuitæ docent. Ipſius etiam *Jurii* teſtimonium ex libro *de pace inter Proteſtantes* adducit fatentis, *ſaniores e Scholaſticis & Pontificiis doctoribus, Thomiſtas, Dominicanos & alios impediiſſe, ne gratia per ſe efficax anathemate in Eccleſia Romana feriretur.* Jeſuitas etiam in colloquio d. 14. Febr. A. 1653 Romæ cum Dominicanis habito agnoviſſe monet, cauſam Janſenianam ſeparatam eſſe a controverſia de Auxiliis, in congregationibus tractata. Dubitat tamen de eorum candore, putatque ſub alio nomine Moliniſmum a Jeſuitis pro dogmate Eccleſiæ venditari. Optat & felicem prædicat Pontificem, quicunq; is fuerit, qui ultimam manum huic liti admoturus, & decennales Clementis VIII & Pauli V labores decreto noviſſimo coronaturus ſit. Deplorat interim calamitatem Romanæ Eccleſiæ, quam ex dilatione deciſionis ſentiat, quippe qua
3. etiam converſio Proteſtantium retardetur. Hinc ad librum Campiani accedens, eundem illum eſſe dicit, quem ante annos triginta ſeptem ſub titulo *Secreti Janſeniani* procuderit, dudum ab *Abbate de Burzeis* juſto opere refutatum, quem nunc novo titulo *Traditionis*

Eccle-

Digitized by Google

Eccleſia immerito ornatum & a contumelioſis quibusdam dictis purgatum produxerit. In hoc Autor noſter Tomum I hujus operis plane intactum reliquiſſe Campianũ, eoq; ipſo falſum eſſe monet, traditionem Eccleſiæ de hoc dogmate a ſexdecim ſeculis usq; ad Concilium Tridentinum liquido fuiſſe demonſtratam. Adſcribit hac occaſione & infra denuo, inſigne dictum Cardinalis Poli ex *Pallavicino* Lib. VIII. Hiſt. Conc. Trid. cap. II. §. 2. quo Patres Concilii monuit, *ut etiam adverſariorum ſcripta cum animi aquabilitate legerent, ne pronis ad cuncta refellenda votis veritatem quærendo amitterent. Igitur ne dicerent*, Lutherus hoc ſcripſit, ergo falſum: & *cavere* jubet *Pighii exemplum, qui dum univerſam Lutheri doctrinam de peccato originis rejiceret, prope in Pelagianorum errorem lapſus fuerit.* Tales plerosque eſſe judicat Autor, quos Campianus ad probandam Eccleſiæ traditionem adduxerit. Prolixus inde eſt, ut contra adver- cap. 4. 5.
ſarium obtineat, decreto Innocentii X ſupra allegato contradictũ a Janſenii defenſoribus non eſſe, ſed illud ſumma cum reverentia acceptum. Speciatim defendit ſcriptum in tres areolas diſtinctum, in quibus Auguſtini, Molinæ & Janſenii ſententiæ juxta ſe poſitæ, & Pontifici exhibitæ fuerunt. Cum vero *Acta congregationis de au-* 6. 7.
xiliis male habeant Molinæ ſectatores, & eorum publicationem alio Innocentii X decreto A. 1654 vetitam fuiſſe urgeat Campianus, declinare hanc objectionem nititur Autor, non tantum, quod Bulla illa Pontificis a Clero Gallicano non fuerit recepta, ſed quod eam pro tempore & in primo circa cauſam Janſenianam fervore emiſſam eſſe dicat, neque fidei actorum noceat. Adducit etiam exempla aliarum prohibitionum ex collegio inquiſitorio, quibus editio librorum quorundam interdicta ſit ob cauſas quasdam, quæ materiam & fidem non tangunt. Queritur quod Jeſuita Bullam adducens, clauſulam mala fide omiſerit, qua præcipitur, ſtandum eſſe decretis Pauli V & Urbani VIII: hos vero ſilentium in controverſia de auxiliis ad tempus ſolum impoſuiſſe. Pergit ad rejiciendam toties, ut ait, 8.
repetitam calumniam, quod Auguſtiniani ſive Janſeniſtæ in articulo de gratia cum Calvino & Reformatis conſentiant. Apponit verba Janſenii ex Lib. VIII de gratia cap. 15, ubi ex Thomæ, Scoti & ſpeciatim ex Bonaventuræ traditis concludit, *gratia quantumcunque efficaci, etiam tali, qualis in Cœlo dabitur, nullo modo tolli libertatem;*

& adverſariũ reprehendit, quod in verſione Gallica pro *efficaci* ſubſtituerit *neceſſitantem*. Subjungit alium Janſenii locũ ex Lib. VI de Gratia cap. 34. ubi *non ſolũ coactionis, ſed & neceſſitatis immutabilis voluntariæ expertem facit hominum libertatem, eamq; ad utrumlibet indifferentem eſſe cum Scripturis, Auguſtino & Patribus, & Catholica fide perlibenter ſe fateri dicit; negari autem a Patribus judicat, quod in illa indifferentia generaliter ſita ſit humani arbitrii libertas*. Igitur non Janſenium ſolum, ſed multo magis, quos hodie vocant Janſeniſtas ab opinione Reformatorum de irreſiſtibilitate prorſus excuſat, ad eorum ſcripta provocans, illud præſertim, quod ſub nomine *Pauli Irenai*, Jeſuitæ *Annato* oppoſitum fuit, ex quo *Dionyſii Petavii* itidem Jeſuitæ celeberrimi notabilia verba *Theol. Dogm. Tom. I Lib. IX p. 602.* adducit, quæ digna nobis viſa ſunt, ut hic inſerantur: *Illud, quod per Chriſti merita tribuitur donum, non ſolum dat poſſe, ſi velint, ſed etiam velle, quod poſſunt, & eſt tale, ut, eo dato, non niſi perſeverantes ſint*; i. e. *ut certo, & quod in ſcholis dicitur, infallibiliter perſeverent; tametſi libere gratia illi donoque conſentiant, non neceſſario, ſed ita, ut diſſentire poſſint, ſi velint: quod Tridentina ſciſcit Synodus; quamvis ut non diſſentire velint, eodem illo perſeverantia dono perficitur.* His calculum ſuum adjicit Autor, & hanc affirmat Eccleſiæ ſententiam eſſe, quam Campianus non magis intelligat, ac illam,
cap. 9. 10. quam Reformati fovent. Cum autem omnis difficultas in conciliatione libertatis humanæ & gratiæ operantis conſiſtat, denuo & pluribus conciliandi modum explicat. Calvinum ait de conciliatione deſperaſſe, niſi pro ſtabilienda gratiæ omnipotentis efficacia, libertatem arbitrii humani plane tolleret. Contrario errore Molinam gratiæ efficaci detraxiſſe, quæ humano tribueret arbitrio. Medium tenuiſſe Auguſtini & Thomæ diſcipulos, dum libertatem etiam poſt peccatum agnoſcant, ſed quæ efficacia gratiæ unice ſanari poſſit; & hanc eſſe mentem Concilii Tridentini confidenter aſſerit, teſtimonio *Boſſueti* Epiſcopi Meldenſis ex Lib. XV de Variat. Proteſt. n. 146. dicta confirmans, ut & decretis *Lovanienſium* & *Duacenorum* contra *Leſſium*. Adverſario non ſolum Romanæ, ſed & Reformatorum doctrinæ ignorantiam imputat, inprimis quod neſciat, hodiernos Reformatorum Theologos a Calvini ſententia receſſiſſe, & cum
11. Auguſtino & Thoma conſentire. Teſtes adducit *Cardinalem Richelium*

lium Lib. III de Liber arbitr. *Veronium* Lib. I Controverſ. cap. 2. *Walenburgios* in tractatu de appropinquatione Proteſtantium ad doct. cathol. *Vincentium Baronium* Dominicanum in libello Gallico, *Hæreticus Convictus*. *Arnaldi* præjudicia contra Calvin. *Boſſuetum*, qui Expoſitione veræ ſententiæ Concilii Tridentini, Reformatos ad conſenſũ in hac quæſtione permoverit, quod Jeſuitæ ex principiis Molinæ nunquam, ut ait, præſtare potuiſſent. Denique *Fabrum Pariſienſem* (le Fevre) adducit, Autorem recentem, qui ex omnibus Proteſtantium confeſſionibus orthodoxam doctrinam de hoc articulo eruerit. His addit quædam ex *Melanchthone*, *Bucero* & *ex Actis* cap. 12.
colloquii Ratisbon. A. 1541, item ex *D. Jurio* & *Buxtorffio* juniore, cujus verba retulit *Sanctamorius*. Impietatis ergo accuſat Autor ad- 13.
verſarium, quod ſcribere auſus ſit, irreconciliabiles eſſe Reformatos cum Eccleſia Catholica in hac controverſia: nec vera eſſe, quæ Concilio Tridentino imputet, quaſi gratiam efficacem damnaverit. Negat etiam omnes Lutheri & Calvini ſententias de hoc articulo damnatas eſſe, ſed tantum mala conſectanea & abuſus, quos illis imputat; quam vere, hic non examinamus. Bene tamen eſt quod fatetur, ſub initium reformationis fuiſſe inter Catholicos, quos vocat, qui indiſcrete in hac materia locuti, Pelagianiſmi ſuſpectos ſe fecerint; id quod veriſſimum eſſe, acta illius temporis & libri innumeri oſtendunt. Nec parum minuit jactatam ab Autore Eccleſiæ Romanæ orthodoxiam, quod vel ipſo agnoſcente, poſt tot annos & tam operoſas diſceptationes, Pontifices tamen non audeant reliquias Pelagiani erroris, a Molina collectas, maſcula pietate diſſipare; quod indicio eſt, non fruſtra Lutherum aliosque reformationem hujus dogmatis urſiſſe, quod non ſolum illo tempore cathedras & pulpita impleverat, ſed & hodie myriades doctorum magnæ autoritatis in Romana Eccleſia habet, a quibus defenditur. Concludit inde, ex adverſarii 14.
ſui, veterani licet & annos plus ſeptuaginta quinque nati, exemplo ſatis apparere, tantos non eſſe Jeſuitarum Theologos doctrina & acumine, quantos ſeſe vunditent, hortaturque eos, ut vel Reformatorum, Calvini rigorem deſerentium, exemplo ſapiant, & Moliniſmo ſuo renuntient. Hæc, quæ huc usque recenſuimus, ad præloquium Campiani repoſita ſunt, primamque hujus Tractatus partem conſtituunt.

Digitized by Google

P. II. cap. I. *Parte ſecunda* Autor ſex capita, in quæ liber adverſarii diſtributus eſt, adoritur, & in genere repetit, certiſſimum eſſe, quod ſententia Auguſtini, ſive Janſenii, neq; gratiam neceſſitantem ad bonum, neque coactionem ad malum, multoque minus impoſſibilitatem ſervandi legem Dei, (qui errores Calvino imputantur) inducat, ſed iſti aliique potius ex Molinæ & Jeſuitarum atque Arminianorum opinionibus (cum quibus Jeſuitæ in plurimis conſentiant,) oriantur. Indignatur, quod non pudeat Jeſuitas Janſenium criminari, ac ſi doctrinam ſuam non ex Auguſtino, ſed ex Calvino hauſiſſet, cum ipſe Auguſtini opera univerſa decies, & quæ contra Pelagianos diſputavit, triceſies perlegerit, tantoque zelo contra Reformatos, inprimis Sylvæducenſes, ſcripſerit, ut iis ſumme fuerit exoſus. Allegat locum ex libro illius VIII. cap. XXI. ubi quinque capita proponit, in quibus ſua ſententia de concordia gratiæ & liberi arbitrii a Calvini traditis diſcrepet. Nihil referre ait, quod quidam ex Reformatis, aliis licet verbis, idem ſentiant, nec deſint, qui iisdem phraſibus utantur, e. g. *Ludovicus Blancus* Sedanenſis olim Profeſſor; neque enim omnia, quæ hæretici ſcribant, rejicienda eſſe. Speciatim oſtendit, diſtinctionem inter gratiam Adamo & Chriſto datam, & quæ hominibus poſt lapſum data eſt, non Calvino, ſed Auguſtino deberi, idque Clementem VIII in oratione & ſcripto, Tomo II. Autoris P. VI. p. 104. ſeq. allegato profeſſum eſſe, multosque alios egregios Theologos, & inter hos *Cardinalem de Laurea*, ipſum denique Campia-
2. num in literis ad Principem Contium id agnoviſſe indicat. Hac diſtinctione Janſenium defendit, repetitis ejus dictis ſupra ex Tom. III. Lib. VI. de grat. cap. 34. relatis, urgens, quod liberum arbitrium ejus ſententia minime tollatur, licet indifferentiam Molinæ prorſus rejiciat, & prolixe monſtrat, quomodo gratia efficax a neceſſitan-
3. te differat. Concilii Tridentini decretum, quod voluntas aſſenſum gratiæ moventi negare poſſit, ſenſu diviſo, non autem compoſito, accipiendũ eſſe, denuo monet; de qua ſubtilitate aliquid in relatione epiſtolarum Contii Principis in Actis A. 1689, p. 431. & ſeq. notavimus. Aliam ad eundem ſcrupulum diſſolvendum ex Cardinali *Laurea* affert, diſtinguente inter *voluntatem conſideratam ſecundum ſe, & ut eſt informata gratia actuali & actualiter cum illa cooperante.* Priori ſenſu, i. e. diviſo, reſiſti poſſe concedit Autor, non item poſteriori,

& diſ-

Digitized by Google

& diſſentienti Calvino opponit Auguſtinum Lib. XXII. de C. D. cap. 30. docentem, quod neque in beatis ceſſet liberum arbitrium, licet peccare non poſſint, nec Deo illud deſit, qui itidem peccare nequeat. Theſin inde Campiani tertiam, ex diſputatione ſub ejus præſidio A. 1646, a *Principe Contio* ſedecim tunc annorum adoleſcente defenſam, rigide examinat, & Semipelagianiſmi ream facit; utq; ambiguitatem & obſcuritatem diſputationis illius in conſpectum producat, totam ſub finem libri adjicit. Verba theſis, quæ potiſſimum in cenſuram vocat, hæc ſunt: *Gratia efficacis eſſentia, ſeu formalis ratio, non conſiſtit in motione voluntatem phyſice vel moraliter ad conſenſum prædeterminante; non in ſpeciali motionis congruitate, quæ in ſufficiente gratia locum non habeat: non in ea motione, prout divina conditionalium ſcientiæ ſubeſt; non in denominatione a conſenſu petita. Eſt ergo ipſa gratia entitas, prout de facto conſenſum infert, tanquam connotatum efficacitate adæquate ſumta poſterius. Inefficax gratia redditur per ſolam creatam voluntatem: at efficax ſimul atque indiviſibiliter per hanc & per ipſam gratiam.* Adſcribit poſtea, ne ſolo Auguſtino, apud Jeſuitas, ut putat, parum valente, niti videatur, locum ex Autore veteri incerto, *de vocatione Gentilium*, qui alias Molinæ opinioni favere videtur, his verbis Lib. II. cap. 26: *Nullum genus, nulla ſpecies cujusquam virtutis occurret, quæ vel ſine dono divinæ gratiæ, vel ſine conſenſu noſtræ voluntatis habeatur. Ipſa enim gratia hoc omni genere medendi atque auxiliandi agit, ut in eo quem vocat primam ſibi receptricem & famulam donorum ſuorum præparet voluntatem. Nam virtus nolentium nulla eſt.* Addit alium locum ex epiſtola ad Demetriadem, quæ eidem autori tribui ſolet, & huc usq; imputationem, quod ex gratia efficaci coactio ad bonum ſequatur, & Janſenius cum Calvino conſentiat, amoliri voluit.

Poſt hæc alteram diluit, nulloque modo ſequi dicit, quod ex eadem doctrina homines ad peccandum cogantur. Affert diſtinctionem *Guil. Eſtii* in Mag. Sent. II. diſt. 24. cap. 2. & 16. inter neceſſitatem abſolutam atque naturalem, & reſtrictam atque conſequentem; item puram & conditionalem; & poſteriori modo, ut ſupra *cap. 3.* dicere cœperat, intelligendos eſſe Patres monet, cum ſcribunt, quosdam neceſſario peccare, i. e. non coacte, ſed conſequenter & infallibiliter. Summam controverſiæ breviter expreſſam eſſe cap. 4.

dicit

dicit a *Generali Dominicanorum* in colloquio cum Jeſuitis A. 1653 habito, cujus ſupra etiam mentio facta eſt, hac formula: *Ad merendum & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiritur libertas ab omni neceſſitate, ſed ſufficit libertas ab omni coactione, hoc eſt a violentia & naturali neceſſitate.* Iisdem fere diſtinctionibus, quibus ſe ab objectione neceſſitatis Autor expedivit, etiam utitur in explicatione quæſtionis *de poſſibilitate ſervandi legem*, adductisque Auguſtini & aliorum ſententiis Moliniſmum oppugnat & reformat; Lutherum vero & Calvinum craſſisſimi erroris accuſat, quod etiam cum concurſu gratiæ divinæ impoſſibilem legis obſervationem eſſe ſtatuerint; quaſi ſcilicet horum ſententia nullam diſtinctionem vel mitigationem admittat, & poſſibilitas omnis perfecta, abſoluta & ejusdem generis & naturæ ſit. Ex Moliniſmo autem deducit, ceſſante gratia ſufficienti, qualem Jeſuitæ probent, impoſſibile eſſe, ut lex ſervetur; item, quod

cap. 5. illa impoſſibilitas peccatores excuſet. De vexatiſſimis quæſtionibus, quarum cauſa Janſeniſtæ in magnam invidiam adducuntur, num Deus velit, ut omnes homines ſalventur, & an Chriſtus pro omnibus mortuus ſit, multa diſputat Autor, de quibus cum ſatis notum ſit, & ex plurimis ſcriptis conſtet, quæ ſit Janſenii, Arnaldi & aliorum ſequacium ſententia, opus non eſt, ut pluribus hic agamus. Exhibentur tradita *Thomæ Aquinatis* Part. I. Summ. qu. 19. art. 16. & Cardinal. *Laureæ* d. l. cap. 20. ubi cum Auguſtino dictum Apoſtoli: *Deus vult omnes homines ſalvos fieri*; interpretatur de omnis generis hominibus. Ipſe etiam Autor alia Pauli dicta Rom. V, 18. & I. Cor. XV, 22. diſtributive accipit, quod nempe omnes, qui vivificantur & juſtificantur, non niſi per Chriſtum vivificentur & juſtificentur. Ex eodem Thoma decidit, docendum eſſe, quod Chriſtus mortuus ſit pro omnibus, contra Calvinum, qui pro prædeſtinatis tantum mortuum eſſe, iisque ſolis donum fidei & juſtitiæ ex merito Chriſti dari docuerit. Ideo autem univerſalem illam de morte Chriſti propoſitionem admittit Noſter, quia (1) mors ejus ſufficiens ſit pretium pro omnibus. (2) Quod Sacramenta Eccleſiæ etiam reprobis diſtribuantur. (3) Quod pro omnibus mortuus ſit voluntate antecedentis, ſive ſigni. (4) Speciatim etiam pro illis ex fidelibus, qui relabuntur in peccatum & in eo pereunt. Hæc an ſufficiant ad diſtinguendum Janſenii dogma a ſententia Reformatorum, quos Particulari-

ſtas

Digitized by Google

ſtas vocant, Theologi viderint. Interim producit Jeſuitam *Petavium*, iterumquè *Lauream*. Cum vero ultimum Campiani caput non ex veteri editione repetitum, ſed de novo compoſitum ſit, & in eo opinio de gratia ſufficienti, quam idolum Jeſuiticum Autor vocat, multo labore ornetur & ſtabiliatur, omnium diligentiſſime & prolixiſſime dogma illud Molinianum in examen vocatur, & ſimul oſtenditur, alio ſenſu Thomiſtas & Janſeniſtas, alio Molinam & Jeſuitas terminum illum *gratiæ ſufficientis* intelligere, idque teſtimonio multorum autorum, qui de quinque propoſitionibus Janſenii ſcripſerunt, probare, omnibusque exceptionibus & effugiis, quibus Jeſuitæ gratiæ efficaci ſufficientem peræquare & ſubſtituere, ut ſcribit, allaborant, occurrere nititur, vehementer queſtus, quod pro hæreticis diffament, qui hoc illorum jugum ſubire nolint, & nominatim taxat *Ferrerium* Jeſuitam in libro Gallico, cui titulus eſt, *Idea Janſeniſmi*, acerrime Janſenio & ſectatoribus inſultantem: nec Campiano parcit, qui toties meliora edoctus in decrepita ſenectute calumniis non abſtineat; cum tamen Janſeniſtæ, quos ille vocat, nihil aliud in Jeſuitis, quoad has controverſias reprehendant, quam quod iisdem Dominicani & alii Thomiſtæ objectant. In Epilogo ad Campianum converſa oratione, ad emendandum errorem graviſſime eum hortatur, miratus, quomodo in eo perſiſtere potuerit, poſtquam, ut jactaverit, libellum Auguſtini de correctione & gratia intra tres menſes ſexagies legerit. Hujus ipſius libelli, quem Auguſtinus monachis Adrumetanis oppoſuit, analyſin ſubjungit, ſcopumque & ſummam oſtendit, quod nempe correctio delinquentium omittenda non ſit, licet gratiam ad reſiſtendum non acceperint. In hoc etiam tractatu diſtinctionem ſupra notatam, inter gratiam Adamo ante lapſum & hominibus poſt lapſum datam tradidit Auguſtinus, & disquirentes, cur perſeverantiæ donum omnibus non detur, ad profunditatem judiciorum Dei, quæ penetrari non poſſunt, conſiderandam remittit. cap. 6.

CHRISTOPH. VVITTICHII ANTI-SPINOZA, ſive Examen Ethices Benedicti de Spinoza, & Commentarius de Deo & ejus attributis.

Amſtelædami, apud Joannem Wolters, 1690, in 4. Plag. 54.

QUis qualisq; *Benedictus Spinoza* fuerit, quibusque ſtudiis ac doctrinis ſeculo noſtro innotuerit, referre curatius ſupervacanei omnino laboris exiſtimamus. Iniqui tamen in illum non ſunt, qui peſſimæ notæ ac frugis, conculcatæque pietatis, unumque omnium audaciſſimum Atheum inſimularunt. Documento ſane luculentiſſimo Opera ejus poſthuma ſunt, reiq; abunde fidem faciunt, in quibus omnem & diſciplinæ Chriſtianæ ſanctitatem, & Numinis reverentiam ac majeſtatem elidit, penitusque evertit, eoque turpius incumbit vero, ac peſtilentius nocet, quo artem exercet callidius, & ſub Mathematico ſchemate ſubtilius philoſophatur. Interim non defuerunt, qui revelarunt hujus ſive fallaciæ ſive improbitatis ſcenam, & tam ſpinoſis argutisque dogmatibus larvam detraxerunt, ne aditus omnes occuparent, & in viſceribus ipſis Chriſtianiſmi impune adeo graſſarentur. Tentavit id poſt *Henr. Morum, Manſveldum, Lamb. Velthuyſium, Blyenburgium, Poiretum*, celeberrimus *Wittichius*, atq; ex domeſticis Philoſophiæ *Carteſianæ* principiis, impugnandæ refutandæque *Ethicæ Spinoſæ* in opere hoc poſthumo feliciter operam impendit. Quæ ut procederet rectius, pauca quædam de *Spinozæ* methodo, qua uſus eſt, Synthetica præmittit, multaq; hic perperam eum ſibi indulſiſſe, indubitatum exiſtimat: ita ut ordinem ipſum

pag. 5. philoſophandi multoties etiam turbarit, ac notiones, quas vocant, primas ſecundis, ceu rerum involucris, temere poſtpoſuerit.

7. 8. 11. Hinc genuinam philoſophematum *Spinozæ* mentem ex ſpinoſisſimis

40. 106. definitionibus, iisque ſuperſtructis epicherematis eruit, & a falſis dubia, a dubiis certa explorataque ſolicite ubivis ſecernit, nec quicquam intentatum relinquit, quo elicere omnia arcana, ſpeculariquè abditos Atheiſmi ſenſus altius poſſit. Sic nempe quid in definitione Subſtantiæ p. 1. Ethic. *Spinoza* monſtri alat ſtudio detegit, quamque pro ſola Divina probanda Subſtantia unice contendat, reliqua omnia tantum pro modis illius ſubſtantiæ habeat, aperte oſtendit.

11. 14. Quid ſenſerit de Numine, quam mira, quam abſurda præpoſtere finxerit, ex definitione VI, atque ex literis ad *Oldenburgium* p. 397. 449. 453. ad *Simon. de Vries* p. 462. ad *Anonymum* p. 570. iisque clariſſimis locis fuſius deducit. Scilicet Idolum nobis format, ſeu

16. Originem quandam Naturæ infinitis attributis conſtantem, in qua Creaturæ velut divini conceptus, ideæ, decretaque exiſtant, eoque

Pauli-

Paulinum illud, quo in Deo eſſe, vivere & moveri dicimur, (Actor. XVI, 28) ἀπεργοσδυονύσως interpretatur l. cit. 449. Quaſi vero pag. 22.
tam inſana ſanctiſſimo Viro mens fuiſſet, nosmet in Deo velut partes in toto contineri, Creaturasque extra Numen nihil eſſe, niſi meros Creatoris conceptus ideasque, quæ cum a Deo revera non differant, pro Numine ipſo hominem, lapidem, ranam, lumbricum omnino habenda. Hæc itaq; talia tam frivola, tam inſulſa deliramenta jure meritoque explodit Autor, ac illud ἐν αὐτῷ apud *Paulum* *PER IPSUM* ſenſu multum ſaniore uſitatisſimoque explicat.
Creationem quoque ex nihilo ſalvam integramque contra *Spinozam* 23.
aſſerit, utut modus ſeu ratio divina ita ſubmota humanis ſenſibus, inque arcano poſita videatur, ut deprehendere nulla ingenii noſtri vis, nulla facultas aſſequi valeat. Nec enim impugnanda, vel neganda penitus, quæ captum noſtrum excedunt longe, imbecillitatemque humani intellectus ſuperant; quaſi ille rerum menſura, ipſiusque divinitatis terminus eſſet. De rebus liberis & neceſſariis *Spinoza* 23. 24. 25.
ſecus philoſophatur, vocibusq; Definit. VII p. 2. aliā ſignificationem affingit, quam tolerat uſus, quem penes eſt vis & norma loquendi. Quod ſæpius atro calculo notare ſolet Autor; jamque libertatem arbitrii ac voluntatis humanæ contra *Spinozæ* argutias erudite adſtruit. Poſt ſpinoſarum Propoſitionum jugulum petit, & ſingula, quan- 27. 28. 29.
tacunque ſint, momenta felici ictu confodit. Enimvero quicquid de Subſtantia *Spinoza* p. 3. ad 12. generatim præmittit, ad Propoſitionem XIV aditum acceſſumque munit: *Præter Deum nullam dari neque concipi poſſe Subſtantiam.* Unde ſenſum erroresque pasſim *Wittichius* propius indagat. Scilicet arbitratu ſuo finxiſſe eum definitiones, & Subſtantiæ vocabulum ſoli infinitæ eiq; independenti, pro lubitu, nullo inter alios conſenſu, addixiſſe; nihilo tamen ſecius ad ejusmodi Definitionum præſcriptum rerum dijudicaſſe eſſentias, earumq; demonſtrationes formaſſe. Id quod legibus regulisq; methodi, qua uſus ſit, ſyntheticæ maxime contrarium cenſeatur. Deinde con- 51.
fundere ac perturbare eum omnia, modum cum re, cujus eſt modus, 67.
Creatorem cum Creaturis &c. Ideam fateri quendam modum eſſe 82.
cogitandi in Scholio Propoſ. XLIII. Part. II. p. 80. ſimulque mentem noſtram pro modo Divinæ Subſtantiæ venditare. Sic vero modi haberi modum, eumque pariter tanquam Subſtantiam concipien-

pag. 67. dum. Progreſſum cauſarum infinitum Propoſ. XXVII p. 25, velut
certum exploratumque fundamenti loco ponere, quem rectius tamen ipſemet in epiſtola 29. p. 470. vel ipſius *Rab Chasdai* argumento
impugnare videatur: *Si datur progreſſus cauſarum in infinitum, erunt omnia quæ ſunt etiam cauſata. Atqui nulli, quod cauſatum eſt,
competit vi ſua naturæ neceſſario exiſtere. Ergo nihil eſt in natura, ad
cujus eſſentiam pertinet neceſſario exiſtere. Sed hoc eſt abſurdū, E. &
illud.* Nec enim cum productione quorundam proxima a Deo, quam
in Scholio Propoſ. XXVIII neceſſariam judicat, proceſſum iſtum
conciliari poſſe, *ſi nulla cauſa ſit finita, quæ* juxta Propoſitionē citatam *ad exiſtendum & operandum non iterum determinetur ab alia*
77. 78. *cauſa, idque in infinitum.* Porro fatalem rerum neceſſitatem præpoſtere introducere, adeo ut nullum in natura contingens, quod
vocant, vi Propoſ. XXIX. p. 26. locum ſortiatur, ſed omnia *ex ne-*
68. 69. 79. *ceſſitate Divinæ naturæ*, nulla interveniente divina voluntate decretove, omnino *ſequantur*; Propoſ. XVI. p. 16. Tandem ad appendicem Partis I. Ethices Autor delabitur, multaque partim ingenue
probat, partim ut falſa atque a veritate aliena manifeſto repudiat,
quæ noxios inter errores, vulgique præjudicia *Spinoza* reputat.
*Quod communiter ſupponant homines, omnes res naturales, ut ipſos,
propter finem agere*, fatendum utique eſſe, cauſamque videri, quod
rebus quibuscunque appetitum aliquem adeoque cognitionem imprudenter vindicent, & rem cogitantem inter atque extenſam minus recte apteque diſcriminent. Interim huic culpæ ipſum etiam
Spinozam ſuccumbere, dum rebus Cogitantibus arbitrii libertatem
abjudicet, easque ad unum intrinſecus determinatas ejusdem cum
extenſis conditionis exiſtimet. Numini quidem finem ſcopumque
omnem *Spinozam* detrahere, neutiquam ſaniores Theologos atque
Metaphyſicos, qui Deo finem quendam *aſſimilationis* non *indigentiæ*
84. in foro ſuo aſſignent. Cæterum in inquirendis finibus iſtis moderationis modeſtiæque regulam optimam eſſe. Turpe eſſe in rebus
naturalibus ſcopum Divinum rimari, ac conſiliorum abyſſum velut indagine venari, nec tam a cauſis rerum quam abditis ſecretisque
finibus argumentari. Perperam agere, quotquot hos limites invadunt, quos Philoſopho attingere fas non ſit; neque fieri poſſe, quin
Carteſii etiam ſuffragio extra orbitam ferantur, qui hac ſemita ad

naturæ

naturalem ſcientiam contendant. Sed & præpoſterum *Spinozæ* judicium, durumque omnino ἔγκλημα: *qui ad Dei voluntatem confugiunt, ad aſylum ignorantiæ confugere.* p. 37. Quod ſi enim Divina voluntas ex cauſarum cenſu numerove penitus eliminanda, quomodo ullius rei proxima cauſa cum *Spinoza* Deo aſſignanda? His pag. 87.
ita pluribusque aliis fuſius penſitatis, momentoq, ſuo ponderatis, 88.
ad Partem ſecundam cum *Spinoza* tranſit Autor, ubi ille Deum tanquam rem corpoream & extenſam Definitione I. p. 40. & Propoſ. II. p. 41. conſiderat: quod Divinæ tamen naturæ ac perfectioni, quin & ſimplicitati, docente *Wittichio*, omnino repugnat; cum extenſio tota, quanta eſt, aliunde pendeat, ejusque, cui adhæret, perfectionem minuat, inque partes facillime diducatur. Naturam 94. 98.
Dei ad rerum Creatarum eſſentiam pertinere, eamque formaliter, 99.
ut loquuntur, conſtituere, grande paradoxon eſt, quod ex Scholio Propoſitionis X. p. 49. elicitur. Idea rei alicujus ſingularis actu 105. 106.
exiſtentis juxta Propoſition. XI. p. 50 primum illud potiſſimumq; dicitur, *quod actuale mentis humanæ eſſe conſtituit.* At ita mens noſtra nulla erit, quando Deum cogitat, infinitamque eſſentiam ſecreta æſtimatione penſitat, cum ſingularium numero & ordine Deum *Spinoza* excludat; vel iſtud ἀποφώθεγμα ratum firmumque habebitur, Numinis ideam menti humanæ nunquam obverſari, hincque omnino negandum atque pernegandum, *Spinozam* unquam de Deo cogitaſſe, adeoque hunc librum, qui de Deo inter alia agit, conſcripſiſſe. Quid quod mortalem animæ noſtræ conditionem tacitis li- 107.
cet ambagibus innuit, dum Propoſ. XIII, p. 52. objectum ideæ, quæ mentem humanam efficiat, ſolum corpus facit, quo deſtructo everſoque mentem etiam ipſam ceſſare neceſſe ſit, quæ nempe ſic deſtituatur formali ſuo actu, in quo ejus eſſentia, quanta quanta, conſiſtit. Cum verius accuratiusque demonſtrarit *Carteſius* in Meditat. II, mentem utique ſuperare poſſe, quamvis nullum corpus etiam humanum exiſtat. Verum iſtud οἰκεῖον *Spinoſæ* Philoſophiæ eſt, 111.
ut mentem & corpus inconſulte ac temere confundat, perturbetque omnia, quæ tanta opera atque labore a *Carteſio* diſtincta ſunt. Nihil enim tam abſurdum, quam mentem & corpus, quod *Spinoza* 129.
Scholio Propoſ. XXI. p. 65. videtur, *unum & idem eſſe individuum, quod jam ſub cogitationis, jam ſub extenſionis attributo concipiatur;*

cum alia plane ſit corporis eſſentia, quæ in extenſione, alia mentis, quæ in cogitatione conſiſtit: vel ſi unum idemque ſunt, neque ulla re aliqua *extenſio* & *cogitatio* diſſident, nulla amplius inter res diſtin-
pag. 163. ctio locum habebit. Ridiculi quoque *Spinozæ* ſunt, qui animæ ſedes & habitacula fingunt, Scholio Propoſ. XXXV. p. 73. At neutiquam fingi, potius certis argumentis domicilium in cerebro probari dicitur, ubi nervi omnes & ſpiritus concurrunt, qui corpori
129. motum juxta ac quietem largiuntur. In Parte III Autor doctrinam naturamq; affectuum cum *Spinoza* propius aggreditur, dubius incertusque omnino, utrum affectus, qui infirmitatem humanam ac imperfectionem arguunt, quosque ipſe *Spinoza* cum morbis humani corporis Scholio Propoſ. XLIV p. 130 comparat, demonſtrari Mathematice cognoſcique poſſint, cum mutationibus non unis ſint obnoxii, & in diverſis hominibus ab iisdem objectis, imo in eodem homine diverſis temporibus, conſentiente *Spinoza* Propoſ. LI. p. 134. diverſi affectus excitentur. Morborum enim naturam, eorumque ſymptomata tam varia, tam diverſa, in diverſis vel iisdem hominibus, aliisque ſubinde temporibus, quotusquisque more Geo-
158. 159. metrico demonſtraret? Nec Definitionem ipſam recte accurateque *Spinoza* tradit p. 95, cui *Carteſianam* illam Paſſionum artic. XXVII.
160. 161. p. 14, utpote claram evidentemque, Autor longe anteferendam cen-
233. ſet. Quomodo corpus in mentem, mensque in corpus mutua omnino opera agat, nec ullo momento ſine cogitatione ſubſiſtat, contra Propoſ. II. p. 97. pluribus oſtendit, certiſſimoque velut argumento ὀδȣ πάρεργον concludit: *Philoſophiam eorum, qui negant mentem ſemper cogitare, quique præfracte tuentur mentis eſſentiam in cogitatione non conſiſtere, qui cogitationem & cognitionem etiam brutis tribuunt, longe plus habere affinitatis cum Spinoza, adeoq; ad Atheiſmũ ſuſcipiendũ magis eſſe idoneos, quam eos qui in alia omnia eunt, quique ea philoſophandi methodo utuntur, qua* RENATUS DES CARTES *fuit uſus, qui fundamenta omnia Atheiſmi ſic convellunt.*
162, Moderamen etiam affectuum noſtri arbitrii ac poteſtatis facit, quam
167. *Spinoza* temere elidit, nulloque jure evertit. Inde adeo ad ſpecialem Affectuum explicationem, quo *Spinozæ* placet, ordine progreditur, & de ſingulis ſingulatim ultro citroque erudite disquirit, ita ut *Carteſianam* doctrinam, a qua *Spinoza* ſæpius abludit, ſartam tectam ubique

Digitized by Google

ubique aſſerat. De ſenſibus brutorum ad Scholium Propoſ. LVII pag. 177.
p. 143 obiter injicit, neutiquam equidem animalibus, quæ irrationa- ad p. 234.
lia dicuntur, iſtos denegandos eſſe; cæterum cum humanis illis,
quorum partes numeroſque eodem modo non adimplent, minime
quoque confundendos. Unde cum *Carteſio* tres ſenſuum gradus diſ-
tinguit, quorum primum, qui in motu organi conſiſtit, ex quo
in cerebro influxus ſpirituum in muſculos hos vel illos re-
gendis moderandisque membris idoneos ſequitur, beſtiis pa-
riter cum hominibus communem facit; ſecundum vero, qui rei
illius, quæ ſenſum movet, perceptio dicitur, atque tertium, qui
fingit formatque judicium, brutis omnino abjudicat. In Axio- 218. 219.
mate Partis IV. p. 166. cauſarum progreſſu in infinitum primo vel-
ut adminiculo ſacraque anchora nititur *Spinoza*, quem tanquam
falſiſſimum abſurdiſſimumque, totque errorum, tantæ caliginis fon-
tem ac caput iterum explodit Autor. Ex demonſtratione Propoſ. 241.
IV. p. 169. ubi Deus & creatura pari diſcrimine habentur, *ipſaque Dei*
potentia formaliter potentia hominis eſſe dicitur, plurima etiam σό-
λοικα, plurima inconcinna producit, itemque hominem in optimo
feliciſſimoque ſtatu, (quem fides poſt reſurrectionem inculcat) quan-
do corpus & anima commodiſſime ſe habent, ſempiternum edu-
rare ſuſtentarique poſſe evincit. In Scholio Propoſ. XVIII. p. 178. 243.
illud potisſimum *Spinoza* agit, ut *Virtutis fundamentum ipſum illum*
conatum proprium eſſe conſervandi aſtruat, felicitatemque in eo ſta-
biliat, *quod homo ſuum eſſe conſervare poſſit.* At ita furem, latro-
nem lictoribus obſiſtentem, eosq; trucidantem, imo quemvis cum al-
tero peregrinantem, eundemque occidentem, quo liberetur a metu,
ne viventium numero a comite ipſemet exturbetur, virtuti ſimiliter
operari colligit *Wittichius*. Proinde cognitionem ſui ipſius in ordine 250.
aliarum rerum, reſpectuque ad Deum, ad proximos, cui vitam mo-
resque homo attemperet atque conformet; ſolum virtutis funda-
mentum, ſolam baſin agnoſcit. Cæterum illud axioma de conſer-
vatione ſui ipſius ad conſervationem aliorum, adeoque ſocietatis
humanæ, *ſi homo conſideretur ante peccatum & abuſum rationis*,
nonnihil momenti atque ponderis conferre facile lubenterque con-
cedit. In Scholio II. Propoſ. XXXVII p. 193 ſtatum hominis na- 252.
turalem & civilem *Spinoza* pertractat, juſtumque & injuſtum, meri-

tum

Digitized by Google

tum ac peccatum ex ſolis legibus civilibus derivat. *Nihil enim in*
ſtatu naturali dari, quod ex omnium conſenſu bonum aut malum ſit,
&c. *atque adeo in ſtatu naturali peccatum concipi non poſſe, nec quic-*
quam fieri quod juſtum aut injuſtum dici queat. p. 194. At vero ne-
gat atque pernegat *Wittichius*, ejusmodi ſtatum congruentem con-
venientemque naturæ habendum eſſe, cum juxta *Spinozam* naturæ
magis incommodet, debeatq; mutari in civilē meliorem. Potius er-
go ſtatum iſtum naturæ appellat *hominum naturaliter ex Adamo pro-*
genitorum corruptionē, per quam factum eſt, ut nonniſi ſe ipſos & crea-
turas ad ſe relatas quærant, a quibus commodum trahere poſſunt, ad-
eoque omnia ſuis commodis metiantur. Præpoſtere itaque repelli at-
que excludi peccatum a ſtatu naturali, cum totus ipſe, quantus eſt,
non niſi peccatis, vitiis, ſceleribusque contaminatisſimus eſſe poſ-
pag. 263. ſit. Aſt quid ſi hæc talia, quæ in vitiis flagitiisque ponuntur, me-
264. ra phantaſmata, ſolidæque imaginationes cum *Libertinis Spinozæ*
quoque videantur, ſiquidem Scholio Propoſ. LXXIII. p. 221. *quic-*
quid vir fortis moleſtum & malum, quicquid impium, horrendum, inju-
ſtum & turpe reputat, id omne ex eo deducat, quod res ipſas pertur-
289. *bate, mutilate & confuſe concipiat.* Humilitatem & Pœnitentiam
e Virtutum cenſu pariter excludit Propoſ. LIII. & LIV. p. 205. ad-
eoque ad vitia ſceleraque etiam plurima ſemitam, ſentiente
273. 274. *Wittichio*, compendiariam aperit. In Præf. Partis V. p. 234. ſeq.
Carteſiana hypotheſi de unione mentis ſeu cogitationis, eaque arctiſ-
ſima, cum certa quadam quantitatis particula, *glandula* ſcilicet *pine-*
ali, a forma ſeu figura dicta, ut inconcinnæ nimis nimisque recon-
ditæ, atque omni occulta qualitate, quam tantopere deteſtatur Phi-
loſophus, occultiori maxime repugnat. Cujus cauſam ſedulo ta-
men tuetur atque defendit *Wittichius*, ſingulaque quibus *Spinoza*
291. 292. Carteſium impetit, tela depellere nititur. Memoriam itidem intelle-
ctualem vel puræ mentis, quæ propria eſt animæ ſeparatæ poſt hanc
vitam, contra Propoſ. XXI. p. 250. adſtruit. Propoſitione XXIII.
mentis æternitati probandæ *Spinoza* operam impendit, ita tamen, ut
magno molimine nihil efficiat, ac rem potius, docente *Wittichio*,
denſisſimis nebulis involvat, ſanamque doctrinam, callide licet at-
314. 315. que ex aſtu, totam evertat. Quod maximum, ſi recte ponimus
325. calculum, *Spinoſæ* Philoſophiæ artificium eſt, cujus refellendæ con-
futandæ

Digitized by Google

futandæq; negotiũ in hoc opere *Witichius* ſtrenue penſi habuit, atq; ut de ſubacto penitus furore impio triumphum ageret, Commentariũ integrum de Deo ejusque attributis ſubjecit. Ubi *Philoſophi* ſui veſtigia ſecutus, ab idea omniſcii ſummeque perfecti Entis nobismet obverſantis Divinam exiſtentiam luculente cumulateque probat; Ut nullam tamen inter Nos infinitumque Numen proportionem Pag. 337.
concedat, quamvis in intellectu & voluntate convenientia qualiscunque appareat. Quomodo Divinus intellectus rerum ideas 340. 341.
formet, & cum voluntate ac eſſentia uno eodemque plane actu conſpiret, nihilque præter Eſſentiam in Deo locum habeat, quæ varias creaturarum reſpectu denominationes ſortiatur, quas *Attributa* nuncupamus, erudite poſtmodum oſtendit, deque ſingulis hisce diſtincte ac ordine prolixius disquirit. Æternitatem inde Di- 353.
vinam ab omni ſucceſſione & duratione vindicat, cum multum ſimpliciſſimo Numini derogent, perfectionemque ſummam labefactent. 354.
Indifferentiam quoque ab omni actu Divino tam intellectus quam voluntatis longiſſime removendam eſſe, rationibus confirmat. Itemque duplicem a Deo ordinem, univerſalem ac particularem 362.
conſtitutum, quorum illum ſtabilem immutabilemque nulla infinita potentia migrare poſſit, nexumque rerum ab alia potius origine, quam ab ipſis rebus deducendum, contra *Spinozam* aſſeverat. Poſt- 372. 373.
hæc ad libertatem Divinam pergit, eidemque, omni coactione ac 374.
indifferentia ſequeſtrata, ſolam independentiam tranſcribit. Tum 375.
de ſanctitate, prædeſtinatione, bonitate, juſtitia Dei vindicativa & 380.
remunerativa differit, pluribusque argumentis, repugnare juſtiſſimo Numini, ut nulla præſtita ſatisfactione peccatum impunitum relinquat, ſcite ſubtiliterque conficit. Atque eodem modo ſcientias in 387.
Deo clare dilucideque explicat, ut *mediam* illam tanquam inventum Jeſuitarum, quibus abſolutiſſima Divinæ voluntatis libertas, ſummaque omnium creaturarum a Numine dependentia nondum rite cognita perſpectaque, planiſſime proſcribat. Mundi creaturarumque pariter æternitatem potius ut ἄλογον & a rerum natura prorſus 395. 396.
alienam dijudicandam eſſe, demonſtrat. Atque Deum nullius pec- 401.
cati maliq; cauſam vel autorem arceſſendum, rerumque contingen- 405.
tium, cum ex ſola voluntate Divina per cauſas maxime neceſſarias, 406 407
ſupra captum tamen humanum, eveniant, optime gnarum, ſolide- 408.
que conſcium, at nulli loco vel πȣ̃, proprie loquendo, quomodo

Digitized by Google

corporeum fundamentum ponit, præſentem habendum dicendumve declarat: ut tandem in omnipræſentia Divina, ſimplicitate
pag. 410. & immutabilitate deſinat, finemque ac erudito labori ſupremum imponat.

ANTONII VVILHELMI SCHOVVARTI, PHIL. Mag. & J. U. Licent. Obſervationes Hiſtorico-Genealogicæ.

Francofurti ad Viadrum, apud Jer. Schrey & hæredes Henr. Joh. Meyeri, 1690, in 8. Plag. 27.

T*Otius Europæ Regum, Electorum cæterorumque præcipuorum Principum origines, nativitatum ſeries & res geſtas; nec non cujuscunque familiæ incrementa, decrementa & prætenſiones præ cæteris notiores, ad annum usque M DC XC, jucunda brevitate a ſe expoſitas*, operis ipſius fronti inſcripſit Autor, ob ſtudium de juventute elegantiorum literarum cupida bene merendi, laude ſua minime indignus. Familiarum recenſu facile defungemur. Sunt enim non niſi viginti tres, hoc ordine ſeſe invicem inſequentes: *Auſtriaca, Gallica, Anglica, Danica, Suedica, Luſitanica, Palatino-Bavarica, Saxonica, Brandenburgica, Brunſuico-Luneburgenſis, Haſſiaca, Meklenburgenſis, Würtenbergica, Badenſis, Aſcania, Naſſovica, Lotharingica, Medicæa, Sabaudica, Mantuana, Parmenſis, Mutinenſis* atque *Curlandica.* Nulli vero miramur, recentiora caſuum Genealogicorum exempla non pauca fugiſſe Noſtrum, quum id libris hujus generis non poſſit non ſolenne eſſe. Quum vero *brevi meliora & majora a ſe expectare* nos jubeat in præfamine, rem ei non ingratam facturos nos arbitramur, ſi pauca quædam ad Genealogiam Saxonicam pertinentia indicaverimus. Namque quod ALBERTINAM LINEAM attinet, latuit Autorem, *Joh. Adolpho*, Duci *Saxo-Weiſſenfelſenſi* (præter liberorum enneada abs eo enarratam,) natos quoque eſſe ex *Johanna Magdalena* D. Saxo-Altenburgenſi, 22 Jan. 1686 defuncta, liberos binos, *Sophiam* nempe 2. Aug. 1684, & *Johannem Adolphum* 4. Sept. 1685: *Fridericum* autem *Wilhelmum*, horum germanum, non A. 1683, ſed A. 1681. 20. Nov. mortalitatem exuiſſe. Joh. Adolphi fratrem *Albertum* ad Rhenum opulen-

pulentiſſimum iniiſſe matrimonium, Schovvarti quidem verba ſunt; conjugis tamen nomen adjectum vellemus, *Chriſtiana* nimirum *Thereſia*, Comitis Leonſteinenſis & Wertheimenſis. In familia *Martisburgenſi*, liberi *Chriſtiani*, Principis primogeniti, hac ſerie recenſentur: (1) *Chriſtianus*, n. 1680. 7. Nov. (2) *Mauritius Wilhelmus*, n. 1681. 11. Oct. (3) *Aug. Fridericus*, n. 1684. 10. Mart. Sed ita potius dicendum fuerat: (1) *Chriſtianus Mauritius*, n. 7. Nov. 1680. (2) *Johannes Wilhelmus*, n. 11. Oct. 1681. mort. 29. Maji 1685. (3) *Auguſtus Fridericus*, n. 1684. 10. Mart. m. 1685. 13. Aug. (4) *Philippus Ludovicus*, n. 1686. 3. Nov. (5) *Mauritius Wilhelmus*, n. 5. Febr. 1688. Pergimus ad *Cizenſem* lineam, ubi *Mauritio Wilhelmo* decem fratres ac ſorores tribuuntur, cum non niſi octo reapſe habuerit. Nam *Eleonora Magdalena* ac *Magdalena Sibylla* in tabulas genealogicas variorum Autorum, neſcio cujus primum errore, perperam irrepſerunt. Tertiam Divi *Mauritii* conjugem *Sophiam Eliſabetham* hodienum viduam eſſe, Schovvartus refert. Ignoravit nempe d. 19. Aug. 1684 fatis eam functam eſſe. *Mauritii Wilhelmi* ſobolē *Fridericum Wilhelmum* n. 26. Mart. m. 15 Maj. 1690. obiter memoramus, licet eam poſt opus hoc typis jamjam exſcriptum in lucē editam eſſe, probe meminerimus. Ne juſto prolixiores aut inſtituti noſtri immemores videamur, e LINEA ERNESTINA exempli loco ſolius *Bernhardi* Ducis Saxo-Mainungenſis, mentionem injicere juvat. Hunc ex poſteriori thoro ſuſcepiſſe *Eliſabetham Erneſtam Auguſtam* n. 1681. 3. Decembris, Schovvartus quidem retulit; at *Erneſtina* nomen pro *Erneſta* ſubſtituere, ac ſequentes addere par fuiſſet: (2) *Eleonoram Fridericam*, n. 2. Mart. 1683. (3) *Antonium Auguſtum*, n. 20. Jun. m. 10. Dec. 1684. (4) *Wilhelminam Louyſam*, n. 19. Jan. 1686. (5) *Antonium Ulricum*, n. 22. Oct. 1687. Sed hæc ſufficiant; quibus ſi ad perpoliendum *majus* illud *opus*, cujus nobis ſpes facta eſt, ſymbolam aliquam non prorſus pœnitendam contuliſſe Autori videbimur, erit cur nobis gratulemur. Vel hinc vero patet, quanta cura ac ſolicitudo adhibenda illi ſit, qui Principum Genealogiis accurate deſcribendis ſe accingit.

JOHANNIS MUYS MEDICINÆ DOCTORIS Arnhemienſis Praxis Chirurgica Rationalis. Decas Sexta & Septima.

Lugduni Batavorum, apud Petrum vander Aa, 1690, in 12.
Conſtat plagulis 5.

AUtor Clariſſimus, quo fidem in Decade quinta, *Actis noſtris A. 1687. p. 396.* inſerta, liberet oppignoratam, petitisque multorum gratificetur, ſpretis plane aliorum in patria obtrectationibus, *ſextam & ſeptimam Obſervationũ* hic *Decadem* exhibet, plures etiam impoſterum ingenue communicaturus. *Decade VI. Obſ. I.* tibiam fractam cum vulnere ac fragmenti oſſis ſeceſſu ſtipatam, brevi quidem, absque turunda vulnerisque dilatatione commemorat reſtitutam. *Obſ. II.* tamen in profundo pectoris vulnere turundam cum apozemate quodam pectorali profuiſſe innuit, ſyncopen autem in principio per aliquot horas ſimul affligentem ab ira vehementiori non ſine ratione deducit. *Obſ. III.* vulnerati vaſculi lymphatici circa externum ſiniſtri pedis malleolum exponit medelam, quomodo ope ſpecilli aliquousque idem molliter retrorſum protrudendo, ut plicæ ſic in vaſe lymphatico efformatæ commodius per fibrillas jungerentur, junctæque ad mentem *Dn. Solingen*, vaſculum obturarent, nec non pulveribus vitrioli cyprini & croci martis adſtringentis alternatim inſperſis, exteriusque emplaſtro diapompholygos cum ſtricta ligatura ſuperimpoſito, fuerit peracta. *Obſ. IV.* ulceri pollicis cancroſo, loco unguis una decidui, laminam nigram tenuiorem, ob tubulorum figuram a pure immutatam exhibenti, remediis mercurialibus externe, lignique Guajaci decocto interne ſuccurrit. *Obſ. V.* peſſimorum ſymptomatum, a ſpina volæ manus pueruli profunde infixa, nervumque forſan lædente ſubortorum, proficua deſcribit auxilia. *Obſ. VI. & VII.* duas fiſtulas inſanabiles producit, ductus ſalivalis exulcerati alteram, alteram vero lumborum ad renem usque penetrantem. *Obſ. IIX.* inſignem oculi læſionem tradit ab acuto baculo projecto inductam; ubi tumori inflammatorio, excreſcentiæ ſuccedenti carneæ, aliisque pathematis remedia anodyna, ſanguinisq; circulum promoventia, exoptatam quidem opem tulerunt, cæcitatem tamen ob humores oculi mox confuſos impedire minus valuere. *Obſ. IX.* quem in *Podalirio* ex hernia reconvaluiſſe Chirurgo fidens aſſeruerat adoleſcentem, lenta demum morte periiſſe indigitat, propter abſceſſum hinc inde in ſcroto æque

ac pau-

Digitized by Google

ac paulo ſupra pubem ruptum & contentis inteſtini pluribusque omenti corrupti portionibus exitum concedentem. *Obſ. X.* in paralyſi utriusque brachii poſt colicam bilioſam, verius acidam denominandam ob præternaturale acidi cum bile conſortium, flagellationem imprimis cum urtica viridi, acrem & deobſtruentem humorem plorante, præter linimentum quoddam attenuans extollit.

Decad. VII. Obſ. I. partim in miranda pueruli ſemeſtris epilepſia levi de cauſa externa recurrente, optimum ſuadetur Veſicatorium ingens nuchæ applicandum, aut, hoc minus ſuccedente, fonticulus cuti capitis circa ſuturæ coronalis cum ſagittali conjunctionem inurendus; partim mentio injicitur fœminæ cujusdam a motibus convulſivis, ter vel quater de die miſerrime affligentibus, poſt lividum quoddam in brachio tuberculum, corroſivum valde humorem continens, exſectum liberatæ. *Obſ. II.* Motus convulſivi, manus pedesque pueri duodecim annorum continuo ac mire torquentes, veſicatorio ingenti nuchæ adaptato, hinc brevi variolis ſpiſſe erumpentibus, penitus perhibentur ſedati, argumento evidenti, motus hoſce convulſivos ab acido principia nervorum vellicante propullulaſſe. *Obſ. III.* itidem veſicatorium in pollicis tremore, ac in ſpaſmo manus linimentum quoddam anodynum & emolliens, quo fibrillis laxatis particulæ acres & obſtruentes libere denuo circulum ſuum repetere posſint, ſalutaria laudantur; in panaritio vero ab acido in tubulis ſtagnante, & cum particulis ſalinis efferveſcente excitato, nec non indicis plerumque articulum primum ob calloſitatem laboribus ibidem introductā afficiente, callum primo cutis cultello removendum, hinc ſuctione ejusdem digiti aliquamdiu ab ægro continuata, cataplaſma aliquod ex malva, floribus chamomillæ, aliisque emollientibus & mitigantibus, imponendum, tandem digitum ſuppuratum in apice aperiendum eſſe præcipitur, absque eo, ut, *Foreſto* ipſo conſentiente, ſcalpellum ſtatim ad os usque crudeliter ſatis cum quibusdam adigendum veniat. *Obſ. IV.* ingentem manus tumorem febri comitatum, ratione tubulorum exiguorum ab humore viſcido aceſcente obſtructorum, corroſivo potisſimum circa carpum admoto, recenſetur evanuiſſe. *Obſ. V.* febris quotidiana & ſpaſmus muſculorum temporalium toto paroxyſmo moleſtus, remediis externis & internis acidum temperantibus ſiſtuntur curata; in febrici-

 tanti-

tantium ſiquidem ſanguine acidum peccare, ut plurimum ex pancreate redundans, ſtatuitur. Quemadmodum vero epicarpia, febris quæ fugandæ gratia ſolent confici, parvi penduntur; ita & iis, qui febrim ſeſe producere poſſe gloriantur illinendo pulſibus oleum, cui ſcarabæi cornuti aliquamdiu fuere incocti, parum fidei habetur. *Obſ. VI.* exiguum cruris vulnus proponitur, lethale tamen propter ſpasmum muſculorum temporalium ſupervenientem, quatenus nervulus fortasſis a pure acriori irritatus levem primo convulſionem excitavit, quæ vero ſurſum aſcendens intuitu nervorum connexionis fibrillas muſculi temporalis in conſenſum denique rapuit, ceu cujus contracti lethalitatis variæ adſignantur cauſæ. *Obſ. VII.* in colli diſtorſione, a particulis viſcoſis poros tendinis muſculi maſoidei obſtruentibus enata, medicaminum incidentiũ & externe & interne adhibitorum, fauſta operatio decantatur. *Obſ. IIX.* intempeſtiva ſeminis ejaculatio ab uſu decocti cujusdã, humores viſcidos in urethra foramina carunculæ laxantes attenuantis, oſtenditur levata. *Obſ. IX.* puerulus a faba, in trachæam hujus fortuito illapſa, ob impeditum aeris in pulmones ingreſſum jugulatus fertur; ſternutatio alias iis expellendis, quæ laryngis rimulam recenter ingreſſa ſunt, deprædicatur appropriata. Tandem *Obſ. X.* luis venereæ ab humore quodam acido corroſivo ſcaturientis curatio ſine ſalivatione perficienda edocetur.

G. G. L. AD EA, QUÆ VIR CLARISSIMUS J. B. menſe Majo nupero in his Actis publicavit, Reſponſio.

DUo dedit Vir Cl: unum pro ſolutione problematis olim a ſe propoſiti; alterum occaſione problematis mei, ſuo olim in Diario Eruditorum, ut video, propoſito ſatisfacit. Mei vero, cujus ſolutionem celeberrimus Hugenius, ſynthesin ego publicaveramus, analyſin profert ſecundum leges calculi novi a me in his Actis prolati, quem voco differentialem vel incrementalem. Et quidem Analyſin illam mei problematis eruere utique non erat cujusvis, præſertim cum artificium talis calculi adhuc ſit paucis cognitum, nec quisquam mihi ſit notus, qui melius quam V. CL. mentem meam penetraverit. Propoſuit

Digitized by Google

poſuit præterea mihi ſolvendum problema aliud, de quo mox dicam, ubi prius vicem reddens, fundamentum ſolutionis ab ipſo datæ circa problema proprium in dicto Diario propoſitum, expoſuero.

Sic igitur ille: duo aleatores ludunt una teſſera ea condtione, ut qui primus aſſignatum in ea punctorum numerum jecerit, vincat. A primo inſtituit unum jactũ, & B unum; dein A duos jactus, conſequenter & B duos; hinc A tres & B tres &c. *Vel*: A inſtituit unum jactum, dein B duos, hinc A tres, poſtea B quatuor, &c. quouſque alteruter eorum vincat. Quæritur ratio ſortium. Rem ſic exhibeo.

Sit $5:6 = n$ erit $1:6 = 1 - n$.

In caſu priore,

1	n	n^2	n^3	n^4	n^5	n^6	n^7	n^8	n^9	n^{10}	n^{11}	&c.
A	B	A	A	B	B	A	A	A	B	B	B	&c.

Sors ipſius A,

$1 + n^2 + n^3 + n^6 + n^7 + n^8 + n^{12} + n^{13} + n^{14} + n^{15}$ &c; mult. per $\overline{1-n}$.

unde facta actu ipſo multiplicatione, prodibit

$1 - n^1 + n^2 - n^4 + n^6 - n^9 + n^{12} - n^{16}$ &c.

At Sors ipſius B,

$n + n^4 + n^5 + n^9 + n^{10} + n^{11} + n^{16} + n^{17} + n^{18} + n^{19}$ &c; mult. per $\overline{1-n}$

unde facta actu ipſo multiplicatione, prodibit

$n^1 - n^2 + n^4 - n^6 + n^9 - n^{12} + n^{16}$ &c.

In caſu poſteriore:

1	n	n^2	n^3	n^4	n^5	n^6	n^7	n^8	n^9	n^{10}	&c
A	B	B	A	A	A	B	B	B	B	A	&c.

Sors ipſius A,

$1 + n^3 + n^4 + n^5 + n^{10} + n^{11} + n^{12} + n^{13} + n^{14}$ &c. mult. per $\overline{1-n}$

ſeu facta multiplicatione,

$1 - n^1 + n^3 - n^6 + n^{10} - n^{15}$ &c.

At Sors ipſius B

$n + n^2 + n^6 + n^7 + n^8 + n^9 + n^{15} + n^{17} + n^{18} + n^{19} + n^{20}$ &c. mult. per $\overline{1-n}$

ſeu facta multiplicatione,

$n^1 - n^3 + n^6 - n^{10} + n^{15} - n^{21}$ &c.

Et in utroque caſu $A + B = 1$, poſito unitatem eſſe totum jus in præmium ludi. Eademque Methodus ſuccedit in caſibus aliis ſimilibus,

etiamſi

etiamſi plures eſſent luſores & teſſeræ, facilisque hinc ſolutio in numeris quantumlibet exactis habetur. Perplacet autem problema, quod cum ſimplex admodum videatur, ad ſeries tamen non ſatis adhuc examinatas ducit.


Problema aliud mihi propoſuit his verbis: *Analyſin Autoris* calculo differentiali *inſtitutam nunc pando eum in finem, ut ad par officii genus publico præſtandum, tentandamque ſua methodo problematis deinceps proponendi ſolutionem invitem.* Ipſum autem problema huc redit: *Invenire lineam, in quam ſe funis duabus extremitatibus ſuſpenſus proprio pondere curvat.* Supponitur autem, funem manere ejusdem longitudinis ut catena, non vero extendi aut contrahi ut filum. Propoſitum hoc problema inde a Galilæi temporibus celebre, nondum, quod ſciam, ſolutionem accepit. Itaque ab onere impoſito jure me poſſem excuſare, præſertim aliis rebus diſtractiſſimus. Fecit tamen humanitas clariſſimi Viri, ut primæ ejus compellationi deeſſe noluerim. Aggreſſus itaque ſum, quod hactenus ne tentaveram quidem, & occluſos aditus clave mea feliciter reſeravi.

Paulo autem implicatius eſt hoc problema illo priore meo, & ſingularem quendam Methodi noſtræ uſum oſtendet; itaque operæ pretium putavi, ante publicationem ſolutionis meæ dare ſpatium aliis quoque exercendæ artis. Hoc enim velut lapide lydio cognoſcemus optimas Methodos; quod plurimum refert ad ſcientiæ perfectionem: præſertim cum hic non prolixo calculo, ſed artificio tantum ſit opus. Inprimis autem Nobiliſſimus D. T. qui præclara in hoc genere ſpondet (vid. Act. Feb. hujus anni p. 68. 69.) rogandus eſt, ut ſuæ quoque Methodi vires hic experiri velit. Quod ſi *ante anni exitum* nemo ſolutionem a ſe repertam eſſe ſignificabit, ego meam Deo volente dabo. Similiter non inutile erit ad profectum ſcientiæ tentari problema a me propoſitum in locum ejus, quod ſolverat Hugenius, ut ſcilicet quæratur *linea, quam percurrens grave uniformiter recedat a dato puncto, vel accedat ad datum punctum.* Hujusmodi problemata cum non ſint in poteſtate Algebræ vel ſpecioſæ vulgo cognitæ, proderunt ad excitandos eos, qui nimium tribuentes iis, quæ didicere, quaſi nihil magni momenti amplius quærendum in hoc genere reſtaret, non ſine detrimento reipublicæ literariæ ab illa diligentia remittunt, quæ ad ſcientiam augendā neceſſaria eſt.

COM-

Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google

COMMENTARIUS CAROLI PATINI IN ANtiquum Cenotaphium Marci Artorii Medici Cæſaris Auguſti.

Patavii, ex typographia Seminarii, A. 1689, in 4. Plag. 4.

STudiorum medicorum ſeveram, ut vocat, acerbitatẽ Muſis ſuavioribus nonnihil temperaturus Clariſſimus *Patinus*, pergit abſtruſas antiquitates, per multa hactenus ſecula reconditas, Commentariis ſuis ornare & reipublicæ literariæ exponere. Quarum in numero Tab. IX.
cum minime poſtremum mereatur locum marmoreum Cenotaphium, Smyrna haud ita pridem mercatorum opera allatum Venetias, & Patini pretio redemtum; hoc ſcripto ſuo illud ſic dedit illuſtratum, ut non perſonas tantum, quarum imagines habet inſculptas, nominarit, verum hiſtoricos etiam flores ad ſingula Inſcriptionis verba plena manu ſparſerit.

Stantis itaque in eo viri, tunicati, togatique figura M. Artorium ait deſignari: dextram ab eodem porrigi ſedenti juveni tunica Pag. 433.
non minus vel toga induto. quem ipſum uti filium vel affinem, vel amicum Artorii interpretatur, ita ex adſtantibus in minori ſtatura pueris tunicatos facit ad miniſterium paratos, monetque cippum hunc majoris vel eo æſtimandum eſſe nomine, quod fuerit ab univerſa Smyrnæorum republica civem ſuum honorante poſitus.

Rationem tituli redditurus, Cenotaphium a ſepulchro diſtinguit, tanquam vacuum, imaginarium, & honorarium tumulum ab 436.
ipſo corporis aut exuviarum conditorio. Naufragio ſiquidem qui periiſſent, illis erecta fuiſſe Cenotaphia, teſte Servio ad Virgilium, Suetonio in vita Claudii, Dione & Lampridio in Alexandro Severo: ſimile diſcrimen a Græcis inter *μνημεῖον* & *τάφος* obſervari. Ipſam inſcriptionem ſic expreſſit nobis Patini Commentarius: Μάρκον Ἀρτώριον Ἀσκληπιάδην Θεοῦ Καίσαρος Σεβαστοῦ Ἰατρὸν Ἡ Βουλὴ καὶ ὁ Δῆμος τῶν Σμυρναίων Ἐτίμησαν Ἥρωα πολυμαθίας χάριν. vertitque: *Marcum Artorium Aſclepiadem, Dei Cæſaris Auguſti Medicum, Senatus Populusque Smyrnaorum Honoravit Heroem, polymathiæ gratia.*

Ex nomine Medici expreſſo arguit, perperam appellari eum a nonnullis *Martorium*, minimeq; pro ipſo Antonio Muſa eum haberi

poſſe; quanquam ea in ſententia quondam fuerit Petrus Lambecius,
Lib. II. Biblioth. Cæſar. c. 7: aliud loqui ipſum prænomen, nomen,
& cognomen integre hoc loco poſitum. Hinc oſtendit, quantum
luminis hoc monumentum inferat explicandis Valerii Maximi, Vel-
leji, Flori, Suetonii, Plutarchi, Appiani, Lactantii, Tertulliani,
Clementis Alexandrini, Euſebii, Scaligerique locis, Artorii hujus,
ejusq; ſomnii, quo Cæſar Auguſtus dicitur ſervatus eſſe, mentionem
pag. 441. facientibus. In cognomine evolvendo dum occupatur, jam nomen,
cognomen, aut agnomen; jam ſtirpem; jam exercitium; jam ſectam
eodem obſervat denotari. Inter alia & ejus Aſclepiadis meminit,
qui ubi totos dies cum Philoſophis exegiſſet juvenis, omnibus facul-
tatibus deſtitutus, in piſtrinum noctu deſcendit, acceptis in laboris
mercedem duabus drachmis: cujus ſedulitatem poſtmodum Areo-
pagitæ, re ex piſtrini præfectis comperta, ducentis drachmis ſint re-
munerati. Inter Aſclepiadas, qui ex genere & ſtirpe Æſculapii me-
443. dici celeberrimi ortum traxerint, eminere memorat Hippocratē, Ga-
leni teſtimonio: eos ſucceſſione quadam hæreditaria acceptam a pa-
rentibus medicinæ cognitionem in liberos propagaſſe, excluſis plane
alienis familiis. Porro divinam artem profeſſos *Aſclepiadæos* fuiſſe
nominatos, Cenotaphio Podalirii atque Machaonis docetur: non
tamen omnibus promiſcue id cognominis tributum ſed conſummatis
ſolum & nobilioribus, exemplo Pauſaniæ Medici Siculi. Maxime
vero obtinuiſſe, ut methodici atque dogmatici, Aſclepiadis dogma-
ta tuentes, Aſclepiadæi dicerentur, quorum alii in Co, alii in Cnido,
447. nonnulli in Rhodo olim extiterint. Titulus Θεοῦ cum hic tributus
Cæſari legatur, ἀποθέωσιν deſcribit, communiter quidem fato jam
functis decretam; Auguſtum tamen vivum adhuc inuſitato exemplo
fuiſſe conſecratum, teſte Horatio, & Appiano. Græcis Auguſtum
nominari σεβαστὸν, quaſi venerandum & majorem homine: Augu-
ſti nomen Octaviano quidem impoſitum; ex eo tamen quod Hygi-
nus libertus dicatur Auguſti, male colligi, ſcriptorem hunc vixiſſe
Octaviani ætate aurea. Per ἰατρὸν deſignari exercitium defuncti,
451. non vocari autem Archiatrum, quod illud nomen Auguſti ævo non-
dum in uſu fuerit: Andromachum Neronis Medicum ἀρχιατρὸν di-
ci a Galeno; inde productum in morem eſſe, ut honorifico hoc ti-
tulo mactarentur medici, quaſi Principum Medicos, vel Medico-

rum

Digitized by Google

rum principes dicas. Græcos, redacta in provinciæ formam patria, ſæpe in urbem medicinæ faciendæ cauſa properaſſe, quam excoluerint præ cæteris. Galenum Aurelii Veri, Fauſtinæque gratisſimum Archiatrum fuiſſe. Ex verbis, ἡ βȣλὴ ϗ ὁ δῆμος Σμυρναίων conjicit, pag. 453.
audito Smyrnæ M. Artorii, in patriam reverti volentis naufragio, Senatum Populumque Smyrnenſem hoc Cenotaphium honori ejus decreviſſe. Herois axioma ſolis olim Deorum filiis fuiſſe tributum, 457.
poſtmodum tamen & coquis & pincernis delatum, apud Homerum legi; jure meliori autem Medico in ſumma artis dignitate conſtituto. Polymathias vocem ſatis prodere, Artorium non medicæ ſolius artis, verum aliarum quoque diſciplinarum peritia & Principi ſuo placuiſſe, & popularium ſuorum gratiam honoresque meruiſſe, eoque malitiam eorum, qui πολυμαθίας ſtudium vitio, quam laudi vertere malint medico, non immerito mirandam eſſe.

LA VISIERA ALZATA &c.
i. e. LARVA DETRACTA.

Centuria Scriptorum, quibus, cum extra Bacchanalium tempus perſonati incederent, larvam detraxit Johannes Petrus Jacobus VILLANIUS Senenſis, Academicus Humoriſta, Infœcundus & Genialis.

Item:

Semicenturia ejusmodi Scriptorum, &c. *ſive Continuatio LARVÆ DETRACTÆ.*

Parmæ, impenſis hæredum Vignanorum, 1689, in 12. Plag. 6.

Quemadmodum pluribus abhinc annis clariſſimus *Vincentius Placcius* nomina vera *ſesquimille* anonymorum pſeudonymorumve ſcriptorum cum erudito orbe communicavit: Ita *ſesquicenturiam* id genus autorũ doctiſſimis fratribus, *Antonio* & *Jacobo MAGLIABECCHIIS*, anno pridem 1678 retecta facie ſtitit *Villanius* noſter, Vir multæ lectionis, quem aut provectæ admodum ætatis aut jamjam mortalitate defunctum eſſe, ex variis opuſculi hujus (ſuperiori demum anno publici juris facti,) locis colligere, in proclivi fuit. Si pro more ſpecimen quoddam contentorum hoc libello in medium proferre par eſt, memorabile vel maxime videtur, quod præter ex-

tur, ut pro virtutibus vitia amplexentur mortales, & ambitioſi, avaritiæ, intemperantiæ, mendaciis, famæ ſtudio, aliisque vanis rebus dediti, pœnitentiam peſſime transactæ vitæ in ſeram usque ætatem differant; ad quam tamen pauci pertingant, vel ſi qui pervenere, bona fide reſipiſcendi facultate amplius haud gaudeant. Quapropter ſpe aliquando pœnitendi non differendam pœnitentiam *p. 27. ſeq.* inculcat, & latronis in cruce ſub mortem ad Deum converſi, & æterna ſalute potiti exemplo, neutiquam ſecuros & præſidentes nos eſſe debere monet. Seriam affectuum noſtrorum & totius animi perſcrutationem, imbecillitati huic noſtræ mederi poſſe *p. 37.* docet: ſicut ubi peſtis timetur intrantes examinantur, ne cum advenis intret contagio; ita ſerio excutiendos eſſe affectus, qui per ſenſuum poſticam ad animum pertingunt; pravam quoque conſuetudinem (*p. 40.*) & ſatyricas ac joculares aliorum cavillationes (*p. 44.*) vitandas, Deumque rogandum, ut ipſe pravos animi motus in ordinem redigat, hortatur. Ita enim artem vitæ nos poſſe conſequi, omnium artium principem, & ſine qua omnis noſtra vita vaga eſt & erroris plena, ut loquitur doctiſſimus *Jo. Georgius Graevius*, in præfatione hujus libelli, quem a clariſſimo editore e Scotia miſſum, de literarum hactenus, nunc etiam hominum ſalute bene meritus Vir typis ſuæ urbis evulgavit, perſuaſus magnum ex ipſius lectione fructum omnes, vitæ rectam viam qui inſiſtere rectaque ratione recte uti cupiunt, eſſe percepturos.

VVILHELMI ADAMI Lauterbachs/ *JCTI VVurtenb. Collegium Theoretico-Practicum ad L Pandectarum Libros, nunc primum publicatum ſtudio Filii* Ulrici Thomæ Lauterbachs *J. U. D. & Sereniſſ. Wurtenb. Duc. a Conſ. Super.*

Tubingæ, ſumptibus J. G. Cottæ & Phil. Brunnii, 1690, in 4.

Conſtat plagulis 181.

POſtquam ante duo & quod excurrit luſtra, conſultiſſimus *Schützius* Compendium Juris ad Pandectarum libros, ex prælectionibus celeberrimi *Lauterbachii* affabre contractum publice exhibuit; brevi illud inclareſcere, & theoriæ potiſſimum uſui in Academiis conſecrari cœpit. Neque id inconſulto quodam impetu, aut novitatis forte

forte gratia intercedente factum. Enimvero, quod & nomen innuit, Compendium eſt, ac mole externa haudquaquam præſtat; doctrinæ tamen ſoliditate atque ubertate nullo ſectæ hujus Syſtemate exiſtit inferius: quandoquidem ob nervoſam brevitatem, & textuum famoſiorum probatiſſimorumque Autorum ſelectam allegationem, inſigni cum artificio ſolertiam Doctoris acuit ſimul, ac induſtriam Auditoris & attentionem ſollicite provocat. Et licet ſubinde obſcurum quid ſubrepere videatur (quod in ſynopſi tali haud aliter fieri potuit) ſuſtinuit tamen Fautorum ſpem, integrum Collegium Lauterbachianum ad Pandectas juſto & laxiori magis habitu aliquando proditurum eſſe, quo difficultatis iſtius quicquid forte obveniret, facile ſuperari poſſet. Quocirca deſiderio huic non minus, quam pietati ſuæ conveniens prorſus negotium ſubiit Dominus *Thomas Ul. Lauterbach*, paternæ virtutis & fortunæ æmulus, dum operis iſtius editionem difficili ſatis cum labore aggreſſus eſt. Prior pars non ita pridem nobis exhibita umbilicum Digeſtorum (quo nomine lib. 20. ff. Doctoribus paſſim venire conſtat) proxime attingit, & alteram partem quantocyus ſociam expectare jubetur. Ex Præfatione obiter adnotaſſe ſufficiat, Lauterbachium Schleizæ Variſcorum natum educatum, poſt in celebrioribus per Germaniam Academiis, Jenenſi primum, Lipſienſi dein, Baſileenſi & Argentoratenſi, adusque virilis ætatis maturitatem, Jurisprudentiæ ſeriam ac continuam impendiſſe operam, donec Tubingæ honoribus Doctoralibus & munere Profeſſorio mactaretur. Quam ſpartam ubi per triginta annos ſingularum applauſu ornaſſet, denique ſecretioris Conſilii Senator & Judicii Eccleſiaſtici Præſes conſtitutus, cum jam ſexagenario proximus fieret, naturæ debitum A. 1678 ſolvens, vix per unius anni ſpatium arduis hiſce muneribus præfuit. Ipſum opus poſthumum quod concernit, id egit Nobiliſſimus Editor, ut ex Parentis optimi adverſariis privatis, & publicis documentis, Diſſertationibus puta IV. Volum. comprehenſis, Concluſionibus Forenſibus, Tractationibus ſynopticis, aliisq; ſcriptis ſparſim editis, continuam Digeſtorum interpretationē ſiſteret, & inſimul ſedulo conferret, quicquid a recentioribus JCtis ſolide elaboratum proſtat. Hinc frequentiſſime habemus obvios Brunnemannum, Strauchium, Ziglerum, Struvium, Strykium, Frommannum, Fritſchium, & qui primo loco poni debuiſſet, illuſtrem

Mauri-

Digitized by Google

tur, ut pro virtutibus vitia amplexentur mortales, & ambitioni, avaritiæ, intemperantiæ, mendaciis, famæ ſtudio, aliisque vanis rebus dediti, pœnitentiam peſſime tranſactæ vitæ in ſeram usque ætatem differant; ad quam tamen pauci pertingant, vel ſi qui pervenere, bona fide reſipiſcendi facultate amplius haud gaudeant. Quapropter ſpe aliquando pœnitendi non differendam pœnitentiam *p. 27. ſeq.* inculcat, & latronis in cruce ſub mortem ad Deum converſi, & æterna ſalute potiti exemplo, neutiquam ſecuros & præſidentes nos eſſe debere monet. Seriam affectuum noſtrorum & totius animi perſcrutationem, imbecillitati huic noſtræ mederi poſſe *p. 37.* docet: ſicut ubi peſtis timetur intrantes examinantur, ne cum advenis intret contagio; ita ſerio excutiendos eſſe affectus, qui per ſenſuum poſticam ad animum pertingunt; pravam quoque conſuetudinem (*p. 40.*) & ſatyricas ac joculares aliorum cavillationes (*p. 44.*) vitandas, Deumque rogandum, ut ipſe pravos animi motus in ordinem redigat, hortatur. Ita enim artem vitæ nos poſſe conſequi, omnium artium principem, & ſine qua omnis noſtra vita vaga eſt & erroris plena, ut loquitur doctiſſimus *Jo. Georgius Graevius*, in præfatione hujus libelli, quem a clariſſimo editore e Scotia miſſum, de literarum hactenus, nunc etiam hominum ſalute bene meritus Vir typis ſuæ urbis evulgavit, perſuaſus magnum ex ipſius lectione fructum omnes, vitæ rectam viam qui inſiſtere rectaque ratione recte uti cupiunt, eſſe percepturos.

VVILHELMI ADAMI Lauterbachs/ *JCTI VVurtenb. Collegium Theoretico-Practicum ad L Pandectarum Libros, nunc primum publicatum ſtudio Filii* Ulrici Thomæ Lauterbachs *J. U. D. & Sereniſſ. Wurtenb. Duc. a Conſ. Super.*

Tubingæ, ſumptibus J. G. Cottæ & Phil. Brunnii, 1690, in 4.
Conſtat plagulis 181.


POſtquam ante duo & quod excurrit luſtra, conſultiſſimus *Schützius* Compendium Juris ad Pandectarum libros, ex prælectionibus celeberrimi *Lauterbachii* affabre contractum publice exhibuit; brevi illud inclareſcere, & theoriæ potiſſ[illegible] uſui in Academiis conſecrari cœpit. Neque id incon[illegible] impetu, aut novitatis

forte

forte gratia intercedente factum. Enimvero, quod & nomen innuit, Compendium eſt, ac mole externa haudquaquam præſtat; doctrinæ tamen ſoliditate atque ubertate nullo ſectæ hujus Syſtemate exiſtit inferius: quandoquidem ob nervoſam brevitatem, & textuum famoſiorum probatiſſimorumque Autorum ſelectam allegationem, inſigni cum artificio ſolertiam Doctoris acuit ſimul, ac induſtriam Auditoris & attentionem ſollicite provocat. Et licet ſubinde obſcurum quid ſubrepere videatur (quod in ſynopſi tali haud aliter fieri potuit) ſuſtinuit tamen Fautorum ſpem, integrum Collegium Lauterbachianum ad Pandectas juſto & laxiori magis habitu aliquando proditurum eſſe, quo difficultatis iſtius quicquid forte obveniret, facile ſuperari poſſet. Quocirca deſiderio huic non minus, quam pietati ſuæ conveniens prorſus negotium ſubiit Dominus *Thomas Ul. Lauterbach*, paternæ virtutis & fortunæ æmulus, dum operis iſtius editionem difficili ſatis cum labore aggreſſus eſt. Prior pars non ita pridem nobis exhibita umbilicum Digeſtorum (quo nomine lib. 20. ff. Doctoribus paſſim venire conſtat) proxime attingit, & alteram partem quantocyus ſociam expectare jubetur. Ex Præfatione obiter adnotaſſe ſufficiat, Lauterbachium Schleizæ Variſcorum natū & educatum, poſt in celebrioribus per Germaniam Academiis, Jenenſi primum, Lipſienſi dein, Baſileenſi & Argentoratenſi, adusque virilis ætatis maturitatem, Jurisprudentiæ ſeriam ac continuam impendiſſe operam, donec Tubingæ honoribus Doctoralibus & munere Profeſſorio mactaretur. Quam ſpartam ubi per triginta annos ſingulari cum applauſu ornaſſet, denique ſecretioris Conſilii Senator & Judicii Eccleſiaſtici Præſes conſtitutus, cum jam ſexagenario proximus eſſet, naturæ debitum A. 1678 ſolvens, vix per unius anni ſpatium arduis hiſce muneribus præfuit. Ipſum opus poſthumum quod concernit, id egit Nobiliſſimus Editor, ut ex Parentis optimi adverſariis privatis, & publicis documentis, Diſſertationibus puta IV. Volum. comprehenſis, Concluſionibus Forenſibus, Tractationibus ſynopticis, aliisq; ſcriptis ſparſim editis, continuam Digeſtorum interpretationē ſiſteret, & inſimul ſedulo conferret, quicquid a recentioribus JCtis ſolide elaboratum proſtat. Hinc frequentiſſime habemus obvios Brunnemannum, Strauchium, Ziglerum, Struvium, Strykium, Frommannum, Fritſchium, & qui primo loco poni debuiſſet, illuſtrem

Mauri-

Digitized by Google



Digitized by Google

COMMENTARIUS CAROLI PATINI IN ANtiquum Cenotaphium Marci Artorii Medici Cæſaris Auguſti.

Patavii, ex typographia Seminarii, A. 1689, in 4. Plag. 4.

STudiorum medicorum ſeveram, ut vocat, acerbitatē Muſis ſuavioribus nonnihil temperaturus Clariſſimus *Patinus*, pergit abſtruſas antiquitates, per multa hactenus ſecula reconditas, Commentariis ſuis ornare & reipublicæ literariæ exponere. Quarum in numero cum minime poſtremum mereatur locum marmoreum Cenotaphium, Smyrna haud ita pridem mercatorum opera allatum Venetias, & Patini pretio redemtum; hoc ſcripto ſuo illud ſic dedit illuſtratum, ut non perſonas tantum, quarum imagines habet inſculptas, nominarit, verum hiſtoricos etiam flores ad ſingula Inſcriptionis verba plena manu ſparſerit. TAB. IX.

Stantis itaque in eo viri, tunicati, togatique figura M. Artorium ait deſignari: dextram ab eodem porrigi ſedenti juveni tunica non minus vel toga induto. quem ipſum uti filium vel affinem, vel amicum Artorii interpretatur, ita ex adſtantibus in minori ſtatura pueris tunicatos facit ad miniſterium paratos, monetque cippum hunc majoris vel eo æſtimandum eſſe nomine, quod fuerit ab univerſa Smyrnæorum republica civem ſuum honorante poſitus. Pag. 433.

Rationem tituli redditurus, Cenotaphium a ſepulchro diſtinguit, tanquam vacuum, imaginarium, & honorarium tumulum ab ipſo corporis aut exuviarum conditorio. Naufragio ſiquidem qui periiſſent, illis erecta fuiſſe Cenotaphia, teſte Servio ad Virgilium, Suetonio in vita Claudii, Dione & Lampridio in Alexandro Severo: ſimile diſcrimen a Græcis inter *μνημεῖον* & *τάφος* obſervari. Ipſam inſcriptionem ſic expreſſit nobis Patini Commentarius: Μάρκον Ἀρτώριον Ἀσκληπιάδην Θεοῦ Καίσαρος Σεβαστοῦ Ἰατρὸν Ἡ Βουλὴ καὶ ὁ Δῆμος τῶν Σμυρναίων Ἐτίμησαν Ἥρωα πολυμαθίας χάριν. vertitque: *Marcum Artorium Aſclepiadem, Dei Cæſaris Auguſti Medicum, Senatus Populusque Smyrnaeorum Honoravit Heroem, polymathiæ gratia.* 436.

Ex nomine Medici expreſſo arguit, perperam appellari eum a nonnullis *Martorium*, minimeq; pro ipſo Antonio Muſa eum haberi

 poſſe,

poſſe, quanquam ea in ſententia quondam fuerit Petrus Lamb
Lib. II. Biblioth. Cæſar. c. 7: aliud loqui ipſum prænomen, no
& cognomen integre hoc loco poſitum. Hinc oſtendit, quan
luminis hoc monumentum inferat explicandis Valerii Maximi, Vel-
leji, Flori, Suetonii, Plutarchi, Appiani, Lactantii, Tertul
Clementis Alexandrini, Euſebii, Scaligerique locis, Artorii h
ejusq; ſomnii, quo Cæſar Auguſtus dicitur ſervatus eſſe, mentio
pag. 441. facientibus. In cognomine evolvendo dum occupatur, jam no
cognomen, aut agnomen; jam ſtirpem; jam exercitium; jam ſ
eodem obſervat denotari. Inter alia & ejus Aſclepiadis mem
qui ubi totos dies cum Philoſophis exegiſſet juvenis, omnibus f
tatibus deſtitutus, in piſtrinum noctu deſcendit, acceptis in lab
mercedem duabus drachmis: cujus ſedulitatem poſtmodum Are
pagitæ, re ex piſtrini præfectis comperta, ducentis drachmis ſint re-
munerati. Inter Aſclepiadas, qui ex genere & ſtirpe Æſculapii me-
443. dici celeberrimi ortum traxerint, eminere memorat Hippocratē, Ga-
leni teſtimonio: eos ſucceſſione quadam hæreditaria acceptam a pa-
rentibus medicinæ cognitionem in liberos propagaſſe, excluſis p
alienis familiis. Porro divinam artem profeſſos *Aſclepiadæos*
nominatos, Cenotaphio Podalirii atque Machaonis docetur:
tamen omnibus promiſcue id cognominis tributum ſed conſu
ſolum & nobilioribus, exemplo Pauſaniæ Medici Siculi. M
vero obtinuiſſe, ut methodici atque dogmatici, Aſclepiadis do
ta tuentes, Aſclepiadæi dicerentur, quorum alii in Co, alii in C
447. nonnulli in Rhodo olim extiterint. Titulus Θεȣ̃ cum hic tribu
Cæſari legatur, ἀποθέωσιν deſcribit, communiter quidem fato
functis decretam; Auguſtum tamen vivum adhuc inuſitato exem
fuiſſe conſecratum, teſte Horatio, & Appiano. Græcis Auguſ
nominari σεβαστὸν, quaſi venerandum & majorem homine: Au-
ſti nomen Octaviano quidem impoſitum; ex eo tamen quod Hygi-
nus libertus dicatur Auguſti, male colligi, ſcriptorem hunc vixiſ
Octaviani ætate aurea. Per ἰατρὸν deſignari exercitium defuncti,
451. non vocari autem Archiatrum, quod illud nomen Auguſti ævo non-
dum in uſu fuerit: Andromachum Neronis Medicum ἀρχιατρὸν di-
ci a Galeno; inde productum in morem eſſe, ut honorifico hoc ti-
tulo mactarentur medici, quaſi Principum Medicos, vel Medico-

rum

rum principes dicas. Græcos, redacta in provinciæ formam patria, ſæpe in urbem medicinæ faciendæ cauſa properaſſe, quam excoluerint præ cæteris. Galenum Aurelii Veri, Fauſtinæque gratisſimum Archiatrum fuiſſe. Ex verbis, ἡ Βȣλὴ ϗ ὁ δῆμος Σμυρναίων conjicit, pag. 453.
audito Smyrnæ M. Artorii, in patriam reverti volentis naufragio, Senatum Populumque Smyrnenſem hoc Cenotaphium honori ejus decreviſſe. Herois axioma ſolis olim Deorum filiis fuiſſe tributum, 457.
poſtmodum tamen & coquis & pincernis delatum, apud Homerum legi; jure meliori autem Medico in ſumma artis dignitate conſtituto. Polymathias vocem ſatis prodere, Artorium non medicæ ſolius artis, verum aliarum quoque diſciplinarum peritia & Principi ſuo placuiſſe, & popularium ſuorum gratiam honoresque meruiſſe, eoque malitiam eorum, qui πολυμαθίας ſtudium vitio, quam laudi vertere malint medico, non immerito mirandam eſſe.

LA VISIERA ALZATA &c.

i. e. LARVA DETRACTA.

Centuria Scriptorum, quibus, cum extra Bacchanalium tempus perſonati incederent, larvam detraxit Johannes Petrus Jacobus VILLANIUS Senenſis, Academicus Humoriſta, Infœcundus & Genialis.

Item:

Semicenturia ejusmodi Scriptorum, &c. *ſive Continuatio LARVÆ DETRACTÆ.*

Parmæ, impenſis hæredum Vignanorum, 1689, in 12. Plag. 6.

QUemadmodum pluribus abhinc annis clariſſimus *Vincentius Placcius* nomina vera *ſesquimille* anonymorum pſeudonymorumve ſcriptorum cum erudito orbe communicavit: Ita *ſesquicenturiam* id genus autorū doctiſſimis fratribus, *Antonio* & *Jacobo MAGLIABECCHIIS*, anno pridem 1678 retecta facie ſtitit *Villanius* noſter, Vir multæ lectionis, quem aut provectæ admodum ætatis aut jamjam mortalitate defunctum eſſe, ex variis opuſculi hujus (ſuperiori demum anno publici juris facti,) locis colligere, in proclivi fuit. Si pro more ſpecimen quoddam contentorum hoc libello in medium proferre par eſt, memorabile vel maxime videtur, quod præter ex-

poſſe; quanquam ea in ſententia quondam fuerit Petrus Lambecius, Lib. II. Biblioth. Cæſar. c. 7: aliud loqui ipſum prænomen, nomen, & cognomen integre hoc loco poſitum. Hinc oſtendit, quantum luminis hoc monumentum inferat explicandis Valerii Maximi, Velleji, Flori, Suetonii, Plutarchi, Appiani, Lactantii, Tertulliani, Clementis Alexandrini, Euſebii, Scaligerique locis, Artorii hujus, ejusq; ſomnii, quo Cæſar Auguſtus dicitur ſervatus eſſe, mentionem
pag. 441. facientibus. In cognomine evolvendo dum occupatur, jam nomen, cognomen, aut agnomen; jam ſtirpem; jam exercitium; jam ſectam eodem obſervat denotari. Inter alia & ejus Aſclepiadis meminit, qui ubi totos dies cum Philoſophis exegiſſet juvenis, omnibus facultatibus deſtitutus, in piſtrinum noctu deſcendit, acceptis in laboris mercedem duabus drachmis: cujus ſedulitatem poſtmodum Areopagitæ, re ex piſtrini præfectis comperta, ducentis drachmis ſint remunerati. Inter Aſclepiadas, qui ex genere & ſtirpe Æſculapii medici celeberrimi ortum traxerint, eminere memorat Hippocratẽ, Ga-
443. leni teſtimonio: eos ſucceſſione quadam hæreditaria acceptam a parentibus medicinæ cognitionem in liberos propagaſſe, excluſis plane alienis familiis. Porro divinam artem profeſſos *Aſclepiadæos* fuiſſe nominatos, Cenotaphio Podalirii atque Machaonis docetur: non tamen omnibus promiſcue id cognominis tributum ſed conſummatis ſolum & nobilioribus, exemplo Pauſaniæ Medici Siculi. Maxime vero obtinuiſſe, ut methodici atque dogmatici, Aſclepiadis dogmata tuentes, Aſclepiadæi dicerentur, quorum alii in Co, alii in Cnido,
447. nonnulli in Rhodo olim extiterint. Titulus Θεȣ̃ cum hic tributus Cæſari legatur, ἀποθέωσιν deſcribit, communiter quidem fato jam functis decretam; Auguſtum tamen vivum adhuc inuſitato exemplo fuiſſe conſecratum, teſte Horatio, & Appiano. Græcis Auguſtum nominari σεβαστὸν, quaſi venerandum & majorem homine: Auguſti nomen Octaviano quidem impoſitum; ex eo tamen quod Hyginus libertus dicatur Auguſti, male colligi, ſcriptorem hunc vixiſſe Octaviani ætate aurea. Per ἰατρὸν deſignari exercitium defuncti,
451. non vocari autem Archiatrum, quod illud nomen Auguſti ævo nondum in uſu fuerit: Andromachum Neronis Medicum ἀρχιατρὸν dici a Galeno; inde productum in morem eſſe, ut honorifico hoc titulo mactarentur medici, quaſi Principum Medicos, vel Medico-

rum

rum principes dicas. Græcos, redacta in provinciæ formam patria, ſæpe in urbem medicinæ faciendæ cauſa properaſſe, quam excoluerint præ cæteris. Galenum Aurelii Veri, Fauſtinæque gratisſimum Archiatrum fuiſſe. Ex verbis, *ἡ Βȣλὴ ϗ ὁ δῆμος Σμυρναίων* conjicit, pag. 451.
audito Smyrnæ M. Artorii, in patriam reverti volentis naufragio, Senatum Populumque Smyrnenſem hoc Cenotaphium honori ejus decreviſſe. Herois axioma ſolis olim Deorum filiis fuiſſe tributum, 457.
poſtmodum tamen & coquis & pincernis delatum, apud Homerum legi; jure meliori autem Medico in ſumma artis dignitate conſtituto. Polymathias vocem ſatis prodere, Artorium non medicæ ſolius artis, verum aliarum quoque diſciplinarum peritia & Principi ſuo placuiſſe, & popularium ſuorum gratiam honoresque meruiſſe, eoque malitiam eorum, qui *πολυμαθίας* ſtudium vitio, quam laudi vertere malint medico, non immerito mirandam eſſe.

LA VISIERA ALZATA &c.
i. e. LARVA DETRACTA.

Centuria Scriptorum, quibus, cum extra Bacchanalium tempus perſonati incederent, larvam detraxit Johannes Petrus Jacobus VILLANIUS Senenſis, Academicus Humoriſta, Infœcundus & Genialis.

Item:

Semicenturia ejusmodi Scriptorum, &c. *ſive Continuatio LARVÆ DETRACTÆ.*

Parmæ, impenſis hæredum Vignanorum, 1689, in 12. Plag. 6.

QUemadmodum pluribus abhinc annis clariſſimus *Vincentius Placcius* nomina vera *ſesquimille* anonymorum pſeudonymorumve ſcriptorum cum erudito orbe communicavit: Ita *ſesquicenturiam* id genus autorũ doctiſſimis fratribus, *Antonio & Jacobo MAGLIABECCHIIS*, anno pridem 1678 retecta facie ſtitit *Villanius* noſter, Vir multæ lectionis, quem aut provectæ admodum ætatis aut jamjam mortalitate defunctum eſſe, ex variis opuſculi hujus (ſuperiori demum anno publici juris facti,) locis colligere, in proclivi fuit. Si pro more ſpecimen quoddam contentorum hoc libello in medium proferre par eſt, memorabile vel maxime videtur, quod præter ex-

pag. 102. pectationem de *Emanuele Theſauro* refert Villanius, Hiſtoriam nempe Italiæ ſub Barbaris, (*Hiſtoria di Italia ſotto Barbari,*) utut ejus nomen tam in editione Taurinenſi *Zappata*, quam Veneta *Johannis Jacobi Herzii* præferat, non ejus, ſed *Philippi* Comitis *S. Martini d' Aglie* opus eſſe; in cujus fidem ad locum orationis a *Franciſco Amadeo Ormeno*, Presbytero congregationis Oratorii, in exſequiis, *Philippi* iſtius d. 8. Auguſt. 1667 habitæ provocat. Aſſeverat viciſſim, *Theſaurum* autorem eſſe *annotationum* ad *Hiſtoriam* illam *Italiæ*, licet *Valeriani Caſtilionæi Mediolanenſis* nomen fronti earum præfigatur. Memorat etiam, opinionem in univerſo Pedemontio invaluiſſe, nonniſi *Caroli Emanuelis I.* Sabaudiæ Ducis ſententias iis contineri. Gravius eſt, quod addit, nimirum, aut *Theſaurum Juglaris*, aut hunc illius plagiarium fuiſſe, cum utriusque *Elogia* nimium quantum ſibi invicem ſint ſimilia. Quanquam autem litem hanc Viro illuſtri Antonio Magliabecchio decidendam relinquat, verba tamen, quibus utitur, non obſcure videntur innuere, Villanium hoc ſtigmate digniorem cenſuiſſe *Theſaurum*, quam *Iuglarem*.

134.

104.

Venetiis ſuperiori ſeculo excuſa fuit *La Raffaella*, *ò de la bella creanza delle donne*, i. e. Raphaelidis & Margaritæ colloquium de

25. fide pulchra mulierum. Autorem ejus *Paulum V. R. P.* credidere *Rhodius* & *Placcius*, ſed *Villanius* autoritate ſcriptoris Anonymo coævi *Antonii Franciſci Doni*, aſſerit, hoc, quicquid eſt, gloriolæ Alexandro Piccolomineo deberi.

58. Prodiit Monachii A. 1607 *Nicodemi Macri Senioris civis Romani cum Nicolao Craſſo juniore cive Veneto Diſceptatio, de Paraneſi Card. Baronii ad Seren. Remp. Venetam. Macrum* illum *Craſſi æmulum, Aſcanium Perſium* fuiſſe Græcæ Linguæ Profeſſorem Bononienſem, ſententia fuit *Rhodii* & *Placcii*. Demonſtrat autem Noſter, ſub hoc nomine latere *Gaſparem Scioppium*, qui & *Paſcaſii Groſippi*, *Aſpaſii Croſippi*, *Mariangeli a Fano Benedicti*, *Oporini Grubinii*, *Holofernis Krigsſederi* titulos, in diverſis opuſculis ſibi adſcivit.

Veronæ A. 1649 in 4to editum eſſe librum *Delle Rivolutione della città di Palermo auuenute l' A. 1648. racconto d' Andrea Pocili*, (de revolutionibus, quæ in urbe Panormitana A. 1648. contigerunt, relatio Andreæ Pocili) dudum innotuit; non item, quod verum autoris nomen ſit *Placidus Reina*.

Neque

Digitized by Google

Neque in his oris ignotæ plane ſunt *obſervationes Anonymi de Arminis ad Annales Eccleſiaſticos Henrici Spondani, Apamiarum in Gallia epiſcopi. A. 1656.* At Villanius inſuper indicat, *Anonymum* illum eſſe *Hieronymum de Marinis*, equitem Genuenſem...

Anagramma *Antonii Moraines*, autoris *Anti-Janſenii, ſive ſele-* pag. 64.
ctarum Diſputationum de hæreſi Pelagiana, Semipelagiana, deque variis ſtatibus humanæ naturæ & de gratia Chriſti Salvatoris, in quibus vera de illis doctrina proponitur, & Corneli Janſenii Iprenſis falſa dogmata refutantur. Lutet. Pariſ. apud Sebaſt. Cramoiſi 1650 fol.
JOANNEM MARTINONUM prodere, Villanius obſervat. 97.

Miratur is, cenſorem librorum politicum Florentinum licen- 90.
tiam indulſiſſe perſonato autori Compendii Hiſtorici nobiliſſimæ antiquitatis gentis Cevoliæ (*Compendio Iſtorico della Nobiliſſ. Antichità di Caſa CEVOLI, del Conte Vittorio Aldiberti*,) ut in officina Ducali typis illud exſcribere integrum eſſet. Autorem enim pſeudonymum, qui *Marchio* ille eſſe credatur, cui liber inſcriptus eſt, maximopere injurium fuiſſe in *Creſcentium*, poſtea inter purpuratos eccleſiæ Romanæ Patres allectum.

DE HUMANÆ RATIONIS IMBECILLITATE, ea unde proveniat, & illi quomodo poſſimus mederi, Liber ſingularis, autore Georgio Mackenzeo a Valle-Roſarum, apud Scotos cauſarum patrono.

Trajecti ad Rhenum, apud Franc. Halma, 1690, in 8. Plag. 3.

TOta vita diſcendum eſſe vivere, maximosque viros relictis omnibus impedimentis, cum divitiis, officiis, voluptatibus renunciaſſent, hoc unum in extremam usque ætatem egiſſe, ut vivere ſcirent, plures tamen ex his nondum ſe ſcire confeſſos e vita abiiſſe, Seneca annotat. Idem agit in hoc libello doctiſſimus Scotus, & miratur animam omnis materiæ expertem usque adeo corporeis & externis occupari poſſe, ac aliis ſcientiis addiſcendis defixam moralis Chriſtianorum philoſophiæ exiguam habere rationem: qua nihilominus in præſenti vera animi tranquillitas, & futura in æternum felicitas acquiratur. Imbecillitatis hujus, quam vocat, duos oſtendit fontes, incongruam nempe & ineptam mediorum electionem, & male deductas, imo & inter ſe pugnantes illationes: e quibus oria-

Digitized by Google

tur, ut pro virtutibus vitia amplexentur mortales, & ambitioſi, avaritiæ, intemperantiæ, mendaciis, famæ ſtudio, aliisque vanis rebus dediti, pœnitentiam peſſime tranſactæ vitæ in ſeram usque ætatem differant; ad quam tamen pauci pertingant, vel ſi qui pervenere, bona fide reſipiſcendi facultate amplius haud gaudeant. Quapropter ſpe aliquando pœnitendi non differendam pœnitentiam *p. 27. ſeq.* inculcat, & latronis in cruce ſub mortem ad Deum converſi, & æterna ſalute potiti exemplo, neutiquam ſecuros & præfidentes nos eſſe debere monet. Seriam affectuum noſtrorum & totius animi perſcrutationem, imbecillitati huic noſtræ mederi poſſe *p. 37.* docet: ſicut ubi peſtis timetur intrantes examinantur, ne cum advenis intret contagio; ita ſerio excutiendos eſſe affectus, qui per ſenſuum poſticam ad animum pertingunt; pravam quoque conſuetudinem (*p. 40.*) & ſatyricas ac joculares aliorum cavillationes (*p. 44.*) vitandas, Deumque rogandum, ut ipſe pravos animi motus in ordinem redigat, hortatur. Ita enim artem vitæ nos poſſe conſequi, omnium artium principem, & ſine qua omnis noſtra vita vaga eſt & erroris plena, ut loquitur doctiſſimus *Jo. Georgius Graevius*, in præfatione hujus libelli, quem a clariſſimo editore e Scotia miſſum, de literarum hactenus, nunc etiam hominum ſalute bene meritus Vir typis ſuæ urbis evulgavit, perſuaſus magnum ex ipſius lectione fructum omnes, vitæ rectam viam qui inſiſtere rectaque ratione recte uti cupiunt, eſſe percepturos.

VVILHELMI ADAMI Lauterbachs/ *JCTI VVurtenb. Collegium Theoretico-Practicum ad L Pandectarum Libros, nunc primum publicatum ſtudio Filii* Ulrici Thomæ Lauterbachs *J. U. D. & Sereniſſ. Wurtenb. Duc. a Conſ. Super.*

Tubingæ, ſumptibus J. G. Cottæ & Phil. Brunnii, 1690, in 4.

Conſtat plagulis 181.

POſtquam ante duo & quod excurrit luſtra, conſultiſſimus *Schützius* Compendium Juris ad Pandectarum libros, ex prælectionibus celeberrimi *Lauterbachii* affabre contractum publice exhibuit; brevi illud inclareſcere, & theoriæ potiſſimum uſui in Academiis conſecrari cœpit. Neque id inconſulto quodam impetu, aut novitatis forte

forte gratia intercedente factum. Enimvero, quod & nomen innuit, Compendium eſt, ac mole externa haudquaquam præſtat; doctrinæ tamen ſoliditate atque ubertate nullo ſectæ hujus Syſtemate exiſtit inferius: quandoquidem ob nervoſam brevitatem, & textuum famoſiorum probatiſſimorumque Autorum ſelectam allegationem, inſigni cum artificio ſolertiam Doctoris acuit ſimul, ac induſtriam Auditoris & attentionem ſollicite provocat. Et licet ſubinde obſcurum quid ſubrepere videatur (quod in ſynopſi tali haud aliter fieri potuit) ſuſtinuit tamen Fautorum ſpem, integrum Collegium Lauterbachianum ad Pandectas juſto & laxiori magis habitu aliquando proditurum eſſe, quo difficultatis iſtius quicquid forte obveniret, facile ſuperari poſſet. Quocirca deſiderio huic non minus, quam pietati ſuæ conveniens prorſus negotium ſubiit Dominus *Thomas Ul. Lauterbach*, paternæ virtutis & fortunæ æmulus, dum operis iſtius editionem difficili ſatis cum labore aggreſſus eſt. Prior pars non ita pridem nobis exhibita umbilicum Digeſtorum (quo nomine lib. 20. ff. Doctoribus paſſim venire conſtat) proxime attingit, & alteram partem quantocyus ſociam expectare jubetur. Ex Præfatione obiter adnotaſſe ſufficiat, Lauterbachium Schleizæ Variſcorum natū & educatum, poſt in celebrioribus per Germaniam Academiis, Jenenſi primum, Lipſienſi dein, Baſileenſi & Argentoratenſi, adusque virilis ætatis maturitatem, Jurisprudentiæ ſeriam ac continuam impendiſſe operam, donec Tubingæ honoribus Doctoralibus & munere Profeſſorio mactaretur. Quam ſpartam ubi per triginta annos ſingulari cum applauſu ornaſſet, denique ſecretioris Conſilii Senator & Judicii Eccleſiaſtici Præſes conſtitutus, cum jam ſexagenario proximus eſſet, naturæ debitum A. 1678 ſolvens, vix per unius anni ſpatium arduis hiſce muneribus præfuit. Ipſum opus poſthumum quod concernit, id egit Nobiliſſimus Editor, ut ex Parentis optimi adverſariis privatis, & publicis documentis, Diſſertationibus puta IV. Volum. comprehenſis, Concluſionibus Forenſibus, Tractationibus ſynopticis, aliisq; ſcriptis ſparſim editis, continuam Digeſtorum interpretationē ſiſteret, & inſimul ſedulo conferret, quicquid a recentioribus JCtis ſolide elaboratum proſtat. Hinc frequentiſſime habemus obvios Brunnemannum, Strauchium, Ziglerum, Struvium, Strykium, Frommannum, Fritſchium, & qui primo loco poni debuiſſet, illuſtrem

Mauri-

Mauritium, cui propter ſuſceptam operis hujus reviſionem ſingulares nuncupantur gratiæ. Eam inſuper methodum conſtanter obſervatam fuiſſe deprehendimus, ut unicuique libro generalis præmittatur connexio, qua inferiores conſtringantur tituli, mox circa ſingulos titulos ex Codice Juſtinianeo & Corpore Juris Canonici ſub numerorum notis tituli paralleli recenſeantur.

DE ACTIONE ORATORIA, SIVE DE PRONUNCIATIONE & Geſtu liber utilisſimus, in Gallia Gallico idiomate ſub Conrarti nomine editus, nunc Latinitate donatus.

Helmſtadii, apud Georg. Wolfg. Hammium, 1690, in 4.
Conſtat plagulis 18.

UTile futurum quod dixeramus in Actis anni 1687 menſe Jan. p. 18 inſtitutum, ſi quis Gallicum *de oratoria actione* libellum Latinum redderet, proſpere executus eſt Academiæ Helmſtadienſis, quæ & Julia a conditore dicitur, doctiſſimus Profeſſor *Melchior Smidius*. Cui etiam acceptum verum nomen autoris ferendum eſt: quod Galli, poſtquam A. 1676 Lugduni absque ullo autoris nomine libellum dederant, decennio poſt Pariſiis *Conrarti* eſſe commenti fuere; quod etiam recuſa in Belgio expreſſit editio. *Michaelem Faucherium* autem verum ejus autorem eſſe, Eccleſiæ Caretonienſis quondam Miniſtrum, in Præfatione doctiſſimus Interpres monuit.

ERRATA NONNULLA.

In Actis menſis Maji hujus anni in figura 4, linea 3 A 3 B, quæ curve exhibetur, debet eſſe recta, & linea recta, quæ a 4 A veniens tranſit per C, debet finire ſub 4 B. Pag. 216. lin. 14. pro *redetes* lege *redeuntes*. Pag. 232. l. 30. pro *diſpoſitionem* lege *diſploſionem*. lin. 36. pro *relinquam* lege *relinquo an*. Pag. 237. lin. antepenult. pro *quantitatem* lege *entitatem*. Pag. 249, l. 14. pro *Rinaldum* lege *Raynaudum*. Pag. 264. l. 17. pro *Juda V. 13.* lege *Judæ verſ. 13.* lin. 33. pro *Im-Moff* lege *Im-Hoff*.

Digitized by Google

ACTA ERUDITORUM

publicata Lipſiæ

Calendis Auguſti Anno M DC LXXXX.

CRITICA HISTORICO-CHRONOLOGICA IN Annales Baronii, in qua rerum narratio defenditur, illuſtratur, ſuppletur; ordo temporum corrigitur, innovatur, & periodo Græco-Romana nunc primum concinnata munitur; Autore R. P. Antonio Pagi Ord. Min. Conventus S. Franciſci. Tomus I.

Lutetiæ Pariſiorum, apud viduam Edmundi Martini, Johannem Boudot, & Stephanum Martini, A. C. 1689, fol.

Conſtat plagulis 210.

CÆſaris Baronii annales eccleſiaſticos alii in epitomen redegerunt, ut *Abrahamus Bzovius*, *Henricus Spondanus*, *Joh. Gabriel. Biſciola*, *Ludovicus Aurelius Peruſinus*, &c; alii continuarunt, ut præter *Bzovium* & *Spondanum* modo nominatos, *Odoricus Raynaldus*, qui novem tomis ab A. 1198, ubi Baronius deſiit, ad annum usque 1565, annales eccleſiaſticos perduxit, & octo priores tomos ipſe, dum viveret, edidit, quos etiam poſtea in unius voluminis compendium contraxit, nonum autem tomum in duas partes diviſum ineditum reliquit, qui etſi jam A. 1676 & 1677 Romæ impreſſus fuerit, hactenus tamen ſuppreſſus nuper admodum in lucem prodiit; alii refutarunt, ut *Iſaacus Caſaubonus*, *Joh. Henricus Ottius* &c; alii vindicarunt, ut *Jul. Cæſar Bulengerus*, *Heribertus Rosweidus* &c. Præſens quod recenſemus opus, inſcribitur Critica in annales Baronii, in qua id laboris Autor in ſe ſuſcipit, ut Baronii annales partim illuſtret, partim ſuppleat, partim corrigat & emendet; quæ emendatio non tam fidei dogmata & controverſias de poteſtate eccleſiaſtica, quibus explican-

plicandis Baronius haud raro immoratur, quam hiſtoriam rerum geſtarum & chronologiam, quæ annalium quaſi materiam & formam conſtituunt, concernit.

Deſiderat in Baronio, quod cyclos Solis & Lunæ omiſerit, nec indictiones, quæ jam a Conſtantini M. imperio viguerunt, ante finē ſexti ſeculi annotaverit;& inter alia ejus errata chronologica hoc primum obſervat, quod ab initio usque ad A. C. 249. æram Chriſtianam duobus annis antevertat, & ab eo anno usque ad A. 280. chronologiam multo magis perturbet, & ab A. 280. æram quidem Chriſtianam ſatis accurate deſignet, ſed reliquas biennio decurtet, quos errores a Spondano abbreviatos, non ſublatos, queritur. Ut autem res poſt Chriſti nativitatem in eccleſia geſtæ cum iis, quæ ante illud tempus apud Judæos, Romanos aliosque populos acta ſunt, commode connecti, omniumque temporum momenta communi quaſi fulcro ſuſtentari poſſint, periodum quandam excogitavit, quam, quia tres æras mundanas, ſeu periodos Chriſtianorum Orientalium, in hiſtoriæ Byzantinæ Scriptoribus & eccleſiæ Græcæ monumentis frequenter obvias, cum Romana conciliat, Græco-Romanam appellat; de qua peculiarem diſſertationem inſtituit, antequam ad ipſam Baronianorum annalium Criticam accedat.

In ea diſſertatione, etſi primum Julianam illam periodum, quam *Joſephus Scaliger* vel primus concinnavit, vel, ut aliis viſum, a Roberto Lotharingo Herefordienſi inventam chronologiæ dirigendæ adaptavit, maximopere commendet: ſuam tamen Græco-Romanam, in qua Græcorum æras ad Latinam chronologiam accommodat, ut magis communem & univerſaliorem, majoribus commodis gaudere minime dubitat; cujus rationem antequam explicet, primum de æra incarnationis, de cyclo 532 annorum, ac imprimis de tribus æris mundanis Græcorum nonnulla diſſerit. Primam ex æris illis Græcorum mundanis Alexandrinam vocat, ſecundam Antiochenam, tertiam Conſtantinopolitanam ſeu Romanam, ſcilicet a Roma nova ſeu Conſtantinopoli ſic appellatam. Et Alexandrina quidem Chriſtum A. 5501, Antiochena autem 5493, & Conſtantinopolitana 5509 incarnatum ſtatuit. Obſervandum tamen monet Autor, quod Alexandrini a primo Diocletiani anno æram ſuam mundanam decem annis mutilaverint, & ab eo tempore æram Dionyſi-

Dionyſianam non amplius tribus annis anteceſſerint, ſed ſeptem potius annis a Latinis ſuperati fuerint; quam decurtationem ab Anatolio Alexandrino Laodiceæ Syriæ Epiſcopo factam ſuſpicatur. Secundam ſeu Antiochenam periodum melius forte Græco-Alexandrinam dici poſſe putat, eamque ab Alexandrinis poſt initia imperii Diocletiani non amplius differre docet. Cum enim Alexandrini annum mundi 5501, quem incarnationis primum faciunt, cum anno Juliano 43 connectant, Antiocheni annum mundi 5493, in quem Chriſti incarnatio ſecundum illos incidit, non ad annum Julianum 43, ſed 45 retulerunt, adeoq; annos creationis mundi decennio tardius quam Alexandrini inchoarunt; quam ſupputandi rationem, ſive a Panadoro monacho Ægyptio, ſive a quocunque alio Antiochenæ æræ inventore, ideo factam exiſtimat, ne decem annorum mutilatio, quam Anatolius induxerat, Alexandrinam æram, impoſterum fœdaret. Et hac ratione annus primus Diocletiani, tam juxta Alexandrinam, quam juxta Antiochenam periodum, eſt annus mundi 5777, incarnationis autem juxta Alexandrinos 277, & juxta Antiochenos 284; quam Antiochenorum epocham in annis Chriſti numerandis etiam Dionyſiana ſequitur. Fatetur tamen Autor, ſe in nullis Scriptoribus Græcis hujus æræ ſecundum Antiochenos, quoad annos incarnationis exemplum poſt Diocletianum inveniſſe, & valde ſuſpicatur, Panadorum vel quemvis alium hujus computi artificem, propriam magis opinionem propoſuiſſe, quam publicam aliquam incarnationis æram invexiſſe, & forte Dionyſium Exiguum primum fuiſſe, qui Panadori opinionem ad æræ gradum promovit. Ab Antiochena procedit ad Conſtantinopolitanam, quæ & in plurimis Scriptoribus paſſim occurrit, & adhuc in Patriarchatu Conſtantinopolitano, nec non in Moſcovia, aliisque regionibus Conſtantinopolitano Patriarchæ quondam ſubjectis uſurpatur, cum Antiochena in eo conveniens, quod primum incarnationis annum anno Juliano 45. illiget, in eo vero diſcrepans, quod creationem mundi annis ſedecim priorem faciat.

Has mundanas Græcorum æras dum perluſtrat Autor, varia in aliis Chronologis reprehendit. Obſervat inter alia, annum mundanum Alexandrinæ æræ 5501 *a Scaligero* perperam cum anno Juliano 45, nec rectius a *Petavio*, cujus ſententiam prolixius refutat, cum anno Juliano 54. connecti; *Petavium* Alexandrinam æram cum Antioche-

tioche-

tiochena confudiſſe, & hujus loco aliam quandam a nullo populo unquam uſurpatam effinxiſſe; minus recte a *Scaligero* primam Græcorum æram Orientalem, ſecundam Lunarem, & tertiam Paſchalem appellari; *Calviſium* primum quidem chronico certis temporum characteribus munito orbem literatum beaſſe, æraque Conſtantinopolitanæ & reliquarum præcipuarum Solarium pariter ac Lunarium annos ſemper notaſſe, Alexandrinæ tamen & Antiochenæ nusquam meminiſſe, quia dubio procul ex magnis, quibus irretitæ ſunt, difficultatibus extricare ſe non potuerit. Cum autem veræ incarnationis initium in æra Alexandrina *Scaligerum* latuiſſe, ideoque cyclorum tabulam a *Scaligero* exhibitam vitioſam eſſe minime dubitet, aliam cyclorum Solarium ac Lunarium, & literarum Dominicalium Romanarum tabulam oculis ſubjicit, in qua annos omnium computorum a Calendis Januariis repetit, quamvis annus & indictio ab antecedente Septembri incipiant. Ac ut eo melius appareat, quantum anni mundani Græcorum & inter ſe & a Dionyſianis diſcrepent, aliam tabulam ſubnectit trecentos annos complexam, & ſeptem columnis diviſam, quarum prima annos Dionyſianos a Calendis Januarii, ſex reliquæ annos mundi & incarnationis ſecundum Alexandrinos, Antiochenos, & Conſtantinopolitanos a Calendis Septembris exhibet.

His ita præmiſſis, tandem periodi ſuæ Græco-Romanæ artificium exponit. Cum enim Dionyſius & æram Chriſtianam, & cyclos Alexandrinos apud Latinos invexerit, ad perficiendum Dionyſii conſiliũ nihil amplius reſtare ſtatuit, quam ut una ex periodis mundanis Orientalium, quæ omnium epocharum ſedes & fulcrum exiſtat, Latinorum uſibus accommodetur. Obſervat igitur, periodum Antiochenam, quæ incarnationem in annum Julianum 45, cum quo Natale Dionyſianum convenit, annumque mundi 5493 confert, ſi per 15 dividatur, eandem indictionem Romanam, quæ in curſu eſt, reddere, & prorſus Julianam ac Romanam effici poſſe, ſi annũ non a Septembri, ut Orientales, ſed cum Latinis a Calendis Januariis auſpiceris, & præterea e cyclo Lunæ, quem reddit, unitatem ſemper abjicias, cyclo vero Solis quatuor unitates addas. Annus enim Julianus 45, quo Dionyſius Chriſtum natum ſupponit, cyclo Solis 9. Lunæ 1. indictione 3. munitur. Annus vero mundi Antiochenus

5493.

Digitized by Google

5493. indictionem 3. itidem reddit, ſed cyclum Lunæ 2. & Solis 5. Quamobrem, ſi e cyclo Lunæ unitas abjiciatur, & cyclo Solis quatuor unitates adjiciantur, annusque 5493. a Calendis Januariis inchoetur, habebitur periodus Græco-Romana: quæ Græca erit, quando anni initium a Calendis Septembribus repetes, & cyclos, quos exhibet, uſurpabis; Romana vero, quotiescunque annum a Januario auſpicaberis, ejusque cyclos prædicto modo, nempe indictione retenta, e cyclo Lunæ unitate ſublata, & ad cyclum Solis quatuor unitatibus adjectis, ad Latinorum uſum accommodabis. Hanc periodum Græco-Romanam Scaligeri Juliana præſtantiorem eſſe, ſequentibus argumentis probat. Primum Scaliger fatetur, periodum ſuam Græcis inutilem futuram: at periodus Græco-Romana omnes Orientalium æras mundanas complectitur; cum nihil aliud ſit quam Antiochena diverſo tantum reſpectu conſiderata, ex qua ſtatim Alexandrina fieri poteſt, ſi ante Diocletianum decem unitates addantur, & Conſtantinopolitana, ſi ſedecim anni additi fuerint. Deinde inventio periodi Julianæ æras præter neceſſitatem multiplicat: cum Græco-Romana omnes quaſi ad unam reducat, & ipſa Juliana periodus haud difficulter ad Græco-Romanam reduci poſſit, ſi annis periodi Julianæ anni 780 adjiciantur; ſiquidem periodus Juliana anno periodi Græco-Romanæ 781. primordium ſuum capit. Tertio, anni periodi Julianæ mere artificiales ſunt, neque præter cyclos Solis, Lunæ & indictionis, quicquam indicant: at periodus Græco-Romana non mere artificialis, ſed ſimul hiſtorica eſt, cum nihil aliud ſit, quam æra mundana Antiochenorum, cum qua ſimul etiam res in illis annis geſtas memoriæ imprimere poſſumus. Oſtendit Autor & alios quosdam uſus periodi ſuæ Græco-Romanæ, & quomodo æra LXX Interpretum, epocha ab ortu Abrahami, qua Euſebius in chronico utitur, epocha Trojæ captæ, æra Olympiadum, epocha urbis conditæ, cæteræque præcipuæ æræ ad periodum Græco-Romanam reduci poſſint ac debeant, exponit.

Ut *Baronius*, antequam annales ſuos eccleſiaſticos ederet, velitationis inſtar notationes ſuas in Romanum Martyrologium in lucem publicam emiſit: ita *Pagi* noſter, antequam ſe ad Criticam in annales Baronii accingeret, diſſertationem hypaticam ſeu de Conſulibus Cæſareis publicavit, in Actis noſtris menſe Junio 1683 p. 235. memoratam, cujus præcipua fundamenta in præfatione hu-

Digitized by Google

jus Criticæ repetit, & in ipſa Critica cum paſſim alibi, tum imprimis ad A. C. 383, ex oratione Themiſtii de conſulatu Saturnini, quæ cum diſſertationem hypaticam ederet, nondum e tenebris prodierat, magis confirmat. Atque ut Baronius apparatum quendam ſuis annalibus præfixit: ita & Pagi noſter ſuæ Criticæ apparatum quendam chronologicum præmiſit, in quo hiſtoriæ veteris Teſtamenti compendium exhibet, & præcipue res proxime ante Chriſti nativitatem geſtas temporibus ſuis reddit, ut lectores ſuos ad primum æræ Chriſtianæ annum ſenſim manuducat. Quod dum facit, haud raro a Baronio diſcedit. In ipſa Critica non tam integros Baronii annales, quam eorundem epitomen a Spondano adornatam ſequitur, cum hæc inter plurium manus verſetur, & ad epitomes illuſtrationem tomi tres ſufficiant, ad ſingula autem, quæ in annalibus habentur, diſcutienda pluribus tomis opus fuiſſet. Et primus quidem hujus Criticæ tomus, qui ſuperiore anno lucem publicam aſpexit, quatuor prima ſecula complectitur; ſecundus quatuor ſequentia ſecula continebit; reliqua tertio & ultimo reſervantur.

Stimulos ad maturandum hoc opus dederunt *Hieronymus Caſanata*, *Hieronymus Barbarigo*, & *Laurentius de Laurea* Cardinales, qui frequentibus literis Autorem, ut moras rumperet, incitarunt; quorum autoritatem illis opponit, qui per ejusmodi Criticam Baronio injuriam fieri putarunt. Cæterum ad hanc Criticam multa contribuerunt varii Scriptores, qui poſt Baronii obitum in plurimis tractatibus, operibusque chronologicis ac hiſtoricis, occaſione data Baronii errores emendarunt, aliisve eruditis obſervationibus hiſtoriam eccleſiaſticam illuſtriorem reddiderunt; quorum nomina ſuis locis in hac Critica diligenter conſignavit, ne eorum quidem nominibus prætcritis, qui apud Pontificios pro hæreticis haberi ſolent. Ingenue enim fatetur, multos Proteſtantium, in variis operibus, hiſtoriæ & chronologiæ difficultatibus expediendis non parū laboris impendiſſe, pluraque primos animadvertiſſe, quæ alios hactenus latuerant; quos laude ſua minime fraudandos exiſtimat, cum veritas & eruditio hæreticæ non ſint, nec periculum ſit ea ſectari, quæ a viris doctis catholicam religionem non profitentibus accurate ſcripta ſunt. Agnoſcit præterea, ſe multum debere viro bonarum literarum ſtudioſiſſimo *Antonio Magliabeco*, a quo ſibi non ſolum quæ in

orbe

Digitized by Google

orbe literario circa hoc inſtitutum geſta ſunt, diligenter communicata, ſed & libros recens editos, quos cito & commode habere non potuerit, benevole ſibi transmiſſos prædicat. Ut autem lectori magis conſtet, qualia ſint, quæ in hac Critica ab Autore obſervantur, ex primo ſeculo nonnulla excerpemus.

Ad A. C. 1, qui Baronio 3. eſt, obſervat, hoc anno cum L. Æmilio Paulo non Auguſtum decima quarta vice Conſulem fuiſſe, ſed Cajum potius Cæſarem Auguſti F. hunc conſulatum geſſiſſe, ideoque Baronium, quæ olim cum Onuphrio recte ſcripſerat, perperam retractaſſe, cum Auguſtum tredecim tantum conſulatus geſſiſſe, *Noriſius* in Diſſ. 2. de Cenotaph. Piſano invictis argumentis demonſtraverit. Addit, opinionem illam de 14 Auguſti conſulatu natam ex corrupto Dionis loco, quem interpretes, dum emendare voluerunt, magis corruperint. Cum enim in MSC. regio, quo Dionis editores uſi ſunt, legatur: γ. Καῖσαρ Ἄυγȣςος τȣ ὑὶ, Robertus Stephanus legendum cenſuit Ἄυγȣςος τὸ ιδ; cum potius legendum ſit Γ. Καῖσαρ Ἀυγȣ́ςȣ ὕ. C. Cæſar Auguſti Filius. Ad A. C. 3, qui Baronio 5. notat, falli *Valeſium*, cum ait, omnes Syriæ Præſides a Joſepho recenſitos fuiſſe, cum recte a *Noriſio* obſervatum ſit, inter Varum & Quirinum, alium Syriæ Præſidem ponendum eſſe, quem neque Joſephus nominaverit, nec alii Scriptores usquam indicaverint. Fuit autem ille Præſes Cnejus Sentius Saturninus, quod Pagi ſe didiciſſe profitetur ex numiſmate, quod a *Toinardo* ſibi communicatum dicit. Ad A. C. 11. multis argumentis probat, Tiberium ab Auguſto Imperii collegam adſcitum; unde etiam apud Dionyſium in deſcriptione orbis, cum Romam ſuorum *μέγαν οἶκον Ἀνάκτων* vocat, per Reges iſtos non Antoninos intelligi cenſet, quod *Barthio* viſum, neque Severum cum filiis Caracalla & Geta, quod *Scaligero* placuit, neque Cajum & Lucium Cæſares, quæ *Noriſii* eſt ſententia, ſed dubio procul Auguſtum & Tiberium Imperii jam Collegam. Poſtea etiam, quo die & anno Tiberius Imperii collega dictus fuerit, disquirit, & *Petavii* argumenta refellit, qui Proconſularem dignitatem citra imperium Tiberio datam ſtatuit. Ad A. C. 15. conjicit, ante Neronis mortem Cæſaris nomen familiam tantum, non dignitatem deſignaſſe, ideoq; Zonaram falli, cum ſcribit, Germanicum tres filios reliquiſſe, quos Auguſtus in teſtamento ſuo Cæſares appellaverit; qua

qua de re ſe a *Noriſio* per literas monitum indicat, quanquam ſibi adhuc hærere aquam fateatur. Ad A. C. 29. ex *Scaligero* refert, Chriſtianos Coptos quotannis die Epiphanias in piſcinam ſe immergere, & eo facto memoriam baptiſmi Chriſti inſtaurare, & ex *Allatio*, Orientales quasdam eccleſias Epiphaniorum die ſtatuam Chriſti pueri ter in aquam immergere, & aquam illam incorruptam conſervari. Addit Joſephum Giorgetinum Sani Archiepiſcopum, cum A. 1676. die Epiphaniorum in Aquenſi civitate verſaretur, eccleſiæ Græcæ ritu Chriſti pueri ſtatuam ter in aquam immerſiſſe, & aquæ illius partem in phiala quadam conſervatam per multos annos incorruptam permanſiſſe, & forte diutius manſuram fuiſſe, niſi phialam illam frangi contigiſſet. Ad A. C. 32. cum *Schelſtrateno* cauſam, cur apud antiquos Patres tranſubſtantiationis dogma non occurrat, a diſciplina arcani arceſſit. Eodem anno varias veterum & recentiorum ſententias de anno, menſe & die paſſionis Dominicæ, examini ſuo ſubjicit; qua occaſione etiam eclipſin, quæ Chriſto patiente contigit, explicat, & peculiarem modum, quo nonnulli autores in Olympiadibus ſupputandis uſi ſunt, obſervat. Ad A. C. 37. ex antiqua quadam Imperii Notitia exhibet diœceſes & provincias, in quas Romanum Imperium diviſum fuit, quatuor Præfectis Prætorio ſubjectas, & poſtea ex Nili Doxopatrii tractatu de 5 thronis patriarchalibus antiquarum metropoleon notitiam ſubjungit, & eccleſias per reſpectum ad Imperium ordinatas fuiſſe probat. Ad A. C. 39. de Petronio Syriæ Præſide agens, poſt Noriſium obſervat, Baronium e tribus Petroniis unum facere. In ejusdem anni geſtis ſtatuit, epocham Pompejanam Antiochenſium eandem eſſe cum epocha Gazenſi anno periodi Julianæ 4653. inchoata, quia eo anno Pompejus Romam rediit, & conſenſus Senatus ad utramque urbem liberam declarandam expectatus fuit, licet epocha urbis Gadaræ ab anno periodi Julianæ 4651. cœpta fuerit, non ſolum ob Demetrii Gadarenſis Pompeji liberti commendationem, ſed etiam quia inconſulto Senatu duas urbes adeo celebres, quales erant Gaza & Antiochia, Pompejus libertate non donaſſet. Hoc ſe didiciſſe fatetur a Toinardo, quem in hac cauſa a ſe conſultum refert. Ad A. C. 42. *Combefiſii* ductum ſecutus a Baronio diſcedit, qui Mariam Deiparam cum Johanne in Aſiam migraſſe ſtatuit, idque ex actis Epheſini Concilii probare perpe-

Digitized by Google

perperam contendit. Ibidem cum *Schelſtrateno* exiſtimat, eccleſias Africanas ab Apoſtolis inſtitutas non fuiſſe, & ad ea, quæ a Baronio pro contraria opinione proferuntur, argumenta breviter reſpondet. Simonem Magum a Romanis conſecratum negat, etſi hoc etiam a Baronio aſſertum fuerit. Eodem anno animadvertit, famem ſub Claudio ſæpe graſſatam, & primam quidem famem anno ſecundo Claudii non exortam ſed continuatã, ex Mediobarbi nummis probat. Ad A. C. 43. cum *Baluzio*, *Papebrochio* & *Ludovico du Four*, cujus obſervationes MSCtas ad chronologiam Pontificiam ſibi benevole communicatas dicit, Petri adventum in urbem Romanam non ad Claudii, ſed ad Neronis tempora referendum arbitratur. Ad A. C. 49. ex *Petri de Marca* diſſertatione poſthuma eos, qui Petro in primatu Paulum ut conſortem imperii adjungunt, refellit, & cur in bullis plumbeis Paulus dextrum locum occupet, exponit. Eodem anno de epiſtola Barnabæ, quæ Baronii ætate in lucem nondum prodierat, nonnulla diſſerit. Ad A. C. 55. cur infrequens imaginum & templorum uſus in primitiva eccleſia fuerit, & quo ſenſu Patres concilii Illiberitani picturas in eccleſiis tolerare noluerint, inquirit. Ad A. C. 56. concilium Apoſtolorum Antiochenum, cujus novem canones *Turrianus Baronius* & *Binius* protulerunt, ſuppoſititium eſſe, multis rationibus demonſtrat. Ad A. C. 57. obſervat, diem ſabbathi in quadrageſima etiam Romæ jejunio conſecratum fuiſſe, & *Valeſium* aliosque falli, qui Leonis M. Socratis & Caſſiodori autoritate moti contrarium ſtatuunt. Ad Leonis verba, quæ objici ſolent, reſpondet, ea in antiquioribus & melioris notæ codicibus non legi, ideoque dubitandum non eſſe, quin ab aliis ad Leonis ſermonem adſuta fuerint. Quoad Socratẽ regerit, eum ſexcentis ferme leucis ab urbe Romana remotũ, & Romanæ diſciplinæ haud ſatis gnarũ erraſſe, & errandi locũ aliis dediſſe. Nec obſtare putat, quod Caſſiodorus, qui in ipſa urbe Romana agẽs eccleſiæ Romanæ ritus ignorare non potuit, Socratis locum tripartitæ ſuæ hiſtoriæ inſeruerit. Reſpondet enim eos, qui vel compendia ſcribunt, vel centones ex aliorum lucubrationibus conſuunt, non ſuam ſed aliorum ſententiam repræſentare, & errata illorum, quos excerpunt, autorum non corrigere, ſed referre. Deprompſit hæc Pagi noſter ex *Queſnellii* diſſertationibus ad opera Leonis M. quas etiam allegavit. Ad A. C. 61. ex *Mabillonii*

Digitized by Google

præfatione ad Tom. I. Actorum Ord. S. Benedicti aliquot exemplis oſtendit, extremam unctionem olim ſacro viatico præmiſſam fuiſſe, eumque ritum apud ſolos Ciſtercienſes monachos & forte alias quasdam eccleſias illibatum perſeveraſſe. Cauſam, quæ antiquum illum morem in deſuetudinem perduxit, quod ineunte ſeculo 13. factum eſſe docet, hanc eſſe prodit, quod iſto tempore falſa animos perſuaſio invaſerit, quaſi poſt ſuſceptam ſemel infirmorum unctionem uxoratis, ſi convaluiſſent, ad opus conjugale reverti non amplius liceret; hanc, inquam, ſuperſtitionem in cauſa fuiſſe dicit, quod unctio infirmorum in mortis articulum reſervari cœperit. Eandem unctionem non ante finem ſeculi 12. extremam dici cœpiſſe monet. Ad A. C. 64. contra *Dodwellum* evincit, perſecutionem Chriſtianorum ſub Nerone non localem, ſed univerſalem fuiſſe, nec eos tantum Chriſtianos invaſiſſe, qui Romæ tum verſati. Ad A. C. 67. agit de anno & die, quo Petrus & Paulus martyrio coronati. Putat autem, ad A. C. 65. eorum martyrium referendum eſſe. Quoad diem paſſionis falli putat *Pearſonium*, qui ex laterculo Sylvii conſtare aſſerit, Petri & Pauli martyrium VIII. Cal. Martii contigiſſe. Quamvis enim in Sylvii laterculo iſto die depoſitio SS. Petri & Pauli legatur, per eam tamen depoſitionem tantum reliquiarum translationem Pagi noſter intelligendam arbitratur. Eodem anno regulas quaſdam proponit ad reſtituendam Pontificum Romanorum chronologiam utiles, cum ad annales eccleſiaſticos accurate digerendos multum interſit, ne chronologiæ Pontificiæ calculus corrumpatur, in quem lapidem haud raro Baronium impegiſſe advertit. Primum igitur circa Pontifices Romanos, Latinis potius quam Græcis Scriptoribus inhærendum eſſe ſtatuit. Deinde in tribus prioribus ſeculis & initio quarti, eum Pontificum Romanorum catalogum cæteris præferendum putat, quem a *Bollando* acceptum *Bucherius* in Doctrina temporum publicavit, ab *Onuphrio* etiam & *Cuſpiniano* quondā uſurpatum, & ab *Henſchenio* in Actis Sanctorum Aprilis Tom. I. iterum vulgatum. Probare autem in *Henſchenio* Pagi non poteſt, quod aliqua in iſto libro immutaverit, cum in MSCtis & inſcriptionibus ac numiſmatibus etiam errata artificum aut librariorum repræſentari debeant. Tertia quam conſtituit regula hæc eſt, quod in priori illius catalogi parte obitus Pontificum

ſemper

ſemper cum ultimo Conſulum pari copulari debeat, quam regulam *Henſchenio* & *Papebrochio* opponit. Exemplo res clarior fiet. Dicit Autor illius catalogi, Alexandrum fuiſſe *a conſulatu Palmæ & Tulli, usque Æliano & Vetere*. Hic Pagi non dubitat, Alexandrum ſub Æliani & Veteris conſulatu, h. e. A. C. 116. mortuum fuiſſe, cum contra Henſchenius & Papebrochius Alexandrum anno ſequenti 117, quo Niger & Apronianus Conſules fuerunt, mortuum exiſtiment, etſi hic conſulatus in Alexandri vita notatus non fuerit, quia tantũ per quatuor priores illius anni menſes vixit. Veriorem autẽ eſſe ſuam numerandi rationem, Pagi cum aliunde, tum ex ipſo illo catalogo oſtendit, & contrariæ ſententiæ fautores mendoſis vel ſaltem male explicatis Alexandri actis deceptos arbitratur. Quarto tempus Pontificatus non ab electionis, ſed ab ordinationis Epiſcopalis die numerandũ eſſe dicit. Quinto notat, ante conſtitutam a Conſtantino M. eccleſiæ pacem, Pontificum Romanorum ordinationes quocunque die indiſcriminatim peractas fuiſſe, etſi *Papebrochius* diei Dominicæ ad actum ordinationis obſervantiam ab Apoſtolica traditione fluxiſſe ſibi perſuaſerit. Quintæ huic regulæ cohæret ſexta, quæ probat, poſt Maxentium a Conſtantino M. debellatum, & pacem eccleſiæ datam, Romanorum Pontificum ordinationes diebus Dominicis vel feſtis ſolennioribus peractas fuiſſe, etſi incertum ſit, an & reliquorum Epiſcoporum ordinationes iisdem diebus ante quintum ſeculum celebratæ fuerint. Septima regula eſt, per tria priora ſecula, ſi Linus & forte Cletus & Clemens excipiantur, nullos Pontificum Romanorum Vicarios inſtitutos fuiſſe, in qua regula iterum ab *Henſchenio* & *Papebrochio* diſſentit. Octavæ regulæ ſumma hæc eſt, dies quibus ſancti Pontifices coluntur, aut quos eorum morti vel ſepulturæ Martyrologia & alii Scriptores tribuunt, plerumque cum die obitus ipſorum nihil commune habere, ſed vel ad eorum translationem, vel baſilicæ alicujus ædificationem in honorem ipſorum factam, vel alias hujusmodi cauſas referendos eſſe; quam regulam etiam ad alios Sanctos, imo ad ipſius Chriſti & Virginis Deiparæ dies feſtos extendendam eſſe monet, cum anniverſarii dies in Calendariis ſignati haud ſemper cum diebus illis congruant, in quibus ea quæ recoluntur, evenerunt. Nona regula conciliat eos chronicorum Pontificalium Scriptores, qui in alicujus Pontifi-

cis emortuali die aſſignando, uno tantum die inter ſe diſcrepant. Hoc enim caſu priorem diem ad Pontificis obitum, & poſteriorem ad ejus ſepulturam referendum eſſe pronunciat. Decimo denique ad annum ordinationis & obitus Pontificum e tenebris eruendũ, omnia hiſtorica indicia diligenter diſcutienda eſſe monet, & incertis numeris haud nimium fidendum. Ad A. C. 69. contra cenſores quosdam ea vindicat, quæ de Cæſareo Domitiani imperio in Diſſertatione ſua Hypatica dixerat. Ad A. C. 88, quo de ludis Domitiani ſecularibus agit, exhibet literas, quas a Viro Cl. *Guilielmo Loydio* accepit, in quibus ille probat, Domitianum ante ſequentem annum ludos ſeculares non celebraſſe. Ejus argumenta Pagi noſter contrariis argumentis repellere ſatagit. Ad A. C. 90. de initio perſecutionis a Domitiano adverſus Chriſtianos motæ diſſerit, & contra cenſores quosdam ulterius confirmat, quod in Diſſertatione Hypatica ſtatuerat, eam perſecutionem anno 93. motam fuiſſe. Eandem perſecutionem cruentam fuiſſe, adverſus *Henricum Dodwellum* id negantem probat. Ad A. C. 91. Ignatii epiſtolas ad Mariam Casſabolitem, ad Antiochenos, ad Tarſenſes, ad Philippenſes & ad Heronem, quas Baronius non minus ac ſeptem illas ab Euſebio memoratas pro genuinis habet, ſuppoſitas eſſe notat. Ad A. C. 95. de nummo quodam Domitiani agit, quem *Obrechtus* in epiſtola de nummo Domitiani Iſiaco exhibet. In antica ejus parte hæc inſcriptio legitur: *Cæſ. Domit. Aug. Germ. P. M. Tr. P. XV.* In poſtica expreſſus fuit ſacrigerulus Iſiacus navigio inſidens, dextrâ perſeæ fructum cum ramo, ſiniſtra crucem tenens. Hunc nummum, etſi crucis ſymbolum in eo appareat, perperã tamen ad Domitiani perſecutionẽ referri, cum *Obrechto* probat. Ad A. C. 97. falſum eſſe dicit, quod Nerva, cum Trajanum adoptavit, imperium abdicaverit. Ad argumenta, quibus *Dodvvellus* abdicationem imperii a Nerva factam evincere conatur, ex Plinio, Victore & Lactantio deſumta reſpondet, & ſimul contra eundem Dodvvellum aſſerit, quod Cæſarea & Auguſtea dignitas ſemper diſtincta fuerit. Poſtremo anno primi ſeculi de Clemente Romano, ejusque occaſione de canonibus Apoſtolorum, de conſtitutionibus Apoſtolicis, ac de epiſtolis veterum Pontificum decretalibus agit, & plura de iſtis ſcriptis lecturos ad *Schelſtratenum*, *Natalem Alexandrum* & *Cotelerium* ablegat.

Poſt

Digitized by Google

Poſt quartum ſeculum, quo primus hic tomus clauditur, ſubjicitur calendarium Romanum, ut lectores ſtatim ſcire poſſint, in quem menſis diem feſtum aliquod mobile inciderit. Calendarium autem hoc excipiunt nonnulla addenda & corrigenda, tam in apparatu, quam in ſingulis quatuor ſeculis. Addenda ad ſeculum primum imprimis ad veterem illum Pontificum Romanorum catalogum ſpectant, cujus ſupra mentio facta. Ejus enim fata & varia de eo eruditorum judicia recenſentur. Ex ſecundo, tertio & quarto ſeculo prolixitatis vitandæ cauſa nihil excerpſimus, quam ipſam ob cauſam etiam addenda iſtis ſeculis haud attingimus.

MORALE PRATIQUE DES JESUITES. Troiſieme Volume &c. i. e.

PracticæMoralis JeſuitarumTomus III, in quo priora Practicæ illius Volumina adverſus librum falſo inſcriptum, *Apologia novorum Chriſtianorum & Miſſionariorum in China, Japonia & India,* defenduntur. Accedit Reſponſum ad Apologiæ iſtius partem alteram nuper publicari cœptam.

Anno 1699, in 12. Plag. 37.

ORdo exegiſſet, ut Apologia Jeſuitarum, cui liber hic opponitur, prius recenſeretur; ſed cum Apologia illa nondum ad nos pervenerit, impedito cum Gallis per bellicos motus commercio, Refutationem hanc referendam interim putavimus, ex qua præcipua Apologiæ contenta ſimul innoteſcunt. Quamprimum tamen copiam ejus nacti fuerimus, enarrationem illius minime omittemus, ea inprimis non neglecturi, ad quæ fortaſſis hujus operis Autor non reſpondit. Hunc D. *Antonium Arnaldum* eſſe, Romano-Catholicum ſcriptorem, ſed ex Janſenii ſectatoribus, dubitare non poſſumus, quanquam priores Practicæ Moralis tomos a ſe conſcriptos eſſe neget. Interim illos non minus ac ſuum opus defendit; in hoc tertio vero tot atque talia ſcribit, quæ alii tribui vix poterunt.

Cenſuram exorditur a titulo libelli Jeſuitici, in quo indicatur,

uno ſcripto refutari duo priora *Practicæ moralis* volumina, & ſimul librum de *Ingenio Arnaldi*; cum tamen illa catholicum, hic vero D. *Petrum Jurium* hæreticum, autores habeant. Hanc autem conjunctionem injuſtam & contumelioſam eſſe, multis rationibus contendit.
cap. 2. Occaſio ſcribendi hunc in modum refertur: prodiiſſe nimirum libellum in catholicos Gallos acerrimum, cui titulus fuit, *Politica Cleri Gallicani.* Huic Arnaldum, inſcium quidem, quod autor ejus eſſet Jurius, *Apologiam pro Catholicis* oppoſuiſſe, & in hac cauſam Jeſuitarum, licet ab his multis modis offenſum, candide & communis religionis reſpectu defendiſſe. Edita illa eſt Leodii A. 1681 & 1682, voluminibus duobus; omiſſo tamen autoris nomine. Hac irritatum dicit Autor Jurium fuiſſe, ut monſtroſum illud ſcriptum *de ſpiritu ſive ingenio Arnaldi* evulgaverit, in quo non illum modo, ſed omnes Catholicos, omniumque hominum ordines fœdiſſimis criminationibus proſciderit. Meliora quidem *Arnaldum* a *Jurio* non expectaſſe; minime tamen prævidiſſe, quod Jeſuitæ tam malam gratiam ipſi relaturi eſſent, ut ei acrius, quam Jurio, inſultarent, & huic arma contra Catholicos ſuppeditata eſſe quererentur. Demonſtrare itaque nititur falſitatem imputationum, & quod contradictiones, quas inveniſſe ſe in ſcriptis Arnaldi jactent, minime probare poſſint. Præterquã enim quod Arnaldus ſe autorem *Practicæ Moralis* eſſe neget, etiam ex illis ipſis *Practicæ* prioribus libris nihil elici poſſe exiſtimat, quo Apologia, de qua diximus, Arnaldi, Jurio oppoſita, refelli poſſit.
3. Queritur de invidia Jeſuitarum pravisq; & vilibus artibus, quibus fiat, ut libri Arnaldi aliorumq; quos orthodoxos vocat, Jeſuitis diſplicentes, in Galliam non importentur, & ſic Jeſuitæ ignobilem ſibi triumphum procurent. Diſputat inde de cura & induſtria Eccleſiæ in convertendis paganis ab omni tempore adhibita, & poſt ſchiſma quoque ſuperioris ſeculi continuata, quæ character ſit veræ & catholicæ Eccleſiæ. De hoc Reformatos gloriari non poſſe, imo ipſos defectum ſuum agnoſcere aſſerit, & probatum it ex *Leonis ab Aizema* hiſtoria Belgica, item ex alius ſcriptoris Reformati *Baldeux* hiſtoria Indica, ex cujusdã *Decani Cantuarienſis* oratione pro religione Proteſtantium habita, & ab his vehementer probata, itemq; ex *Johanne Arnoldo*; ex quibus conſtare putat, Reformatos operam & periculum in convertendis paganis defugere, quod illa abſque vocatione

cationе & miſſione ſuſcipi non debeat. Fatetur in *Practica morali* reprehenſas eſſe Jeſuitarum actiones in China & India, non æque in Japonia; neque tamen inde ſequi, quod Jeſuitæ in nupera defenſione cauſantur, ac ſi totius Eccleſiæ Romanæ labores in converſione gentium improbentur. Eſſe enim alios, qui ad eam deſtinantur, neque his errores & vitia Jeſuitarum imputari poſſe. Jeſuitarum vero vitia in miſſionibus commiſſa, dudum aperte a Pontificibus A. 1646 & 1669 damnata fuiſſe. Hoc itaque illorum ſophiſma, quod vocat, pluribus impugnat, & ſimul *Jurii* aſſertionibus occurrit, ſtatuentis, maximam converſionum in India partem Jeſuitis tribuendam eſſe, & rationem haberi non debere eorum, quæ Dominicani & Franciſcani geſſerint; ut ut enim in quibusdam melius quam Jeſuitæ verſentur, nihilominus falſis dogmatibus corruptos eſſe. Nihil omittit, quo hæc ſcribentem Jurium falſi convincat. Japonum converſionem ab initio Jeſuitis debitam concedit, neque iisdem corruptelis, quæ in Chinenſi miſſione deprehenſæ poſtea fuerint, infectam fuiſſe exiſtimat. Refert tamen, A. 1593 ſex Franciſcanos ex inſulis Philippinis in Japoniam veniſſe, & ſublato poſtea, quod nimia indulgentia Jeſuitis tribuerat *Gregorius* XIII, a *Clemente* VIII privilegio, plures ſuperveniſſe, & inter alios partem Japoniæ convertiſſe, quam Jeſuitæ non adierint. In *Chinam* vero primum omnium veniſſe *Martinum de Rada* Auguſtinianum A. 1575, cui ſucceſſerit A. 1581 *Martinus Riccius* Jeſuita. Appuliſſe poſtea A. 1596 Dominicanos, ex quorum relationibus probat, illos tunc nullum Jeſuitam in *China*, neque Chriſtianos ab illis converſos reperiſſe. Allegat opus hiſtoricum de Actis Dominicanorum in China, a *Dominico Ferdinando Navarreta*, ejusdem ordinis Præpoſito, & poſtea Archiepiſcopo S. Dominici in America editum, & ex illius Tomo II non pauca adducit, quibus dicta confirmantur, & querelæ contra Jeſuitas plurimæ afferuntur, oſtenſa converſionum differentia, quibus Jeſuitæ & Dominicani utantur. Illos enim artibus politicis operam dare; hos ſola doctrina, aliquando etiam miraculis, Chriſtianiſmum promovere. Falli igitur *Jurium* concludit, qui omnes converſiones Jeſuitis tribuit, aut nullam pro ſincera & pia habet. Hæc ad præfationem Apologiæ Jeſuiticæ pertinent.

Poſt hæc caput illius primum aggreditur Autor, reſpondetque 6.

ad ea

ad ea, quæ præfationi Lib. II. *Pract. Moral.* objiciuntur. Acriter illis ambitionem exprobrat, & neceſſitatem reformandæ illorum Societatis urget, faſſus tamen, quod Jeſuitæ objecerant, ſe primum non eſſe, qui hanc deſideraverit. Adducit *Johannis Palafoxii*, Angelopolitani in India Epiſcopi, epiſtolam ad *Innocentium* X hac de re ſcriptam, de qua poſtea ſæpius dicendum erit. Citat etiam *Mutii Vitelleſci* & *Franciſci Borgiæ*, (qui Jeſuitarum Præpoſiti Generales fuerunt,) de emendanda Societate deſideria, graviter taxans Jeſuitas, quod Borgiæ ſcripta interpolaverint; id quod ex editionis *Iprenſis* A. 1611, & *Antverpienſis* A. 1635 collatione demonſtrat. Similis falſi reos arguit in corruptione libri *de Inſtructione Sacerdotum* a *Franciſco Toleto* editi; obiter tamen corrigit autorem Theatri Jeſuitici, in quo *Gregorio de Valentia* falſatio libri cujusdam ex tomis S. Auguſtini tribuitur, qui tamen non ipſum librum corruperit, ſed in conſeſſu *Congregationis de auxiliis* & aliter legerit, quam in libro ſcriptum erat, & in hac fraude a Dominicano *de Lemos* deprehenſus fuerit. Subjungit quædam pro *Gaſparo Scioppio*, quem Autor Defenſionis taxaverat, quanquam in Practica Morali allegatum eſſe neget, ſed longe alios autores, ad quorum teſtimonia reſpondere Jeſuitæ debuerint, productos eſſe moneat. Interim *Scioppium* non ſolum contra Jeſuitas, verum etiam contra *Georg. Hornium* defendit, qui *Period. III. Hiſt. Eccleſ. Art. 3.* ſcripſit, illum ſub finem vitæ ad Eccleſiam reformatam, a qua defecerat, redire voluiſſe, ſed ſpretum rejectumque fuiſſe. Annectit non pauca pro *Abbate Sancyrano*, teſtem citans *Franciſcum Stephanum Cauletum* Epiſcopum Pamienſem, multa in cauſa Pontificia ab aula Gallica perpeſſum. Defendit poſtea

cap. 7. ideam Societatis Jeſuiticæ ab autore *Pract. Moral.* propoſitam; improbat tamen, quod illam deteriorem fecerint Jeſuitæ quam ſcripta ſit: neque enim omnibus Jeſuitis vitia, quæ deſcribuntur, tribui, ſed illis, qui ſe iis contaminant, aut ea, cum poſſint & debeant, non impediunt. Neque tamen diſſimulat, ſibi nullam ſocietatem aut ordinem innotuiſſe, in quo magis regnet propriæ ſapientiæ & eminentiæ opinio, & opum atque gloriæ cupido. Inter alias probationes adducit, quod nullo Pontificum decreto retineri ſe paſſi ſint, quo minus in Belgio collectas eleemoſynas extra provinciam miſerint, & ad ſua commoda, cum detrimento pauperum indige-

indigenarum impenderint. Culpat quoq; eos, quod ad exiſtimatio- "
nem Societatis conſervandam nihil illicitum eſſe putent, nullis par- "
cant calumniis, nullumque unquam errorem agnoſcant & corrigant, "
& adeo inſolentes ſint, ut teſte Epiſcopo *Palafoxio* dixerint, ſatius "
eſſe, ut tota nova Hiſpania intereat, quam ut aliquid de exiſtimatio- "
ne Societatis decedat. Provocat eos, ut hæc, quibus non unius aut "
alterius vitia, quibus nulla ſocietas careat, ſed totius ſodalitii eorum
genium & corpus affici ſtatuit, purgent & defendant, neque ſe pro-
pter laudes efferant, quas ab aliquibus & ob quædã bona particularia
reportent. Poſt hæc, convitia, quibus in Apologia Jeſuitica Theolo-
gi, quos a *Portu Regali*, ſive a *Janſenio* cognominant, proſcinduntur, pap. 8.
in compendio enarrat, eoque ipſo refutata eſſe exiſtimat. Probat 9. 10.
etiam eum, qui vitia aliorum detegat & reprehendat, Spiritum cha-
ritatis habere & ſervare poſſe, neque id abſurdum & ridiculum eſſe,
ut autor apologiæ putet. Multa hac occaſione de lite Epiſcopi
Palafoxii cum Jeſuitis, & ſcriptis *Arnaldi* adverſus *Malletum* alios-
que commentatur. Accipit confeſſionem adverſarii, quod interſit 10.
reipublicæ cognoſci malos; & inde argumentatur, ſi vera ſint quæ
in *Practica Morali* Jeſuitis objiciuntur, ut ipſe quidem minime du-
bitat, omnino interfuiſſe reipublicæ Chriſtianæ, ut publicaren-
tur. Subjungit obſervationes quasdam ſingulares. Taxaverat Je- 11.
ſuita, quod *Arnaldus* libro *Jurii* de ſpiritu ſeu ingenio ejus non
reſponderit; ſed regerit Autor, Jurium reſponſum non mereri, &
maluiſſe Arnaldum alia ejus ſcripta dogmatica refutare; ſcire tamen,
quod libris ſuis aditus in Galliam non pateat. Negat iterum auto-
rem *Practicæ Moralis* eſſe Arnaldum, a defendenda tamen ea non
abhorret. Leve erratum eſſe putat, quod librum Jeſuitis tantopere in-
viſum, *Theatrum Jeſuiticum*, Epiſcopo Malacenſi attribuerit, cum
ipſi Jeſuitæ diu idem ſint opinati. *Jarrigium*, qui a Jeſuitis ad Re-
formatos tranſierat, & ab his ad illos rediit, in revocatione ſua re-
cantaſſe negat, quæ Jeſuitis objecerat, probatu, ut putat, facillima;
ſed tantum ſcripſiſſe, ſe nimis vehementem in libro contra illos
edito fuiſſe. Ad argumentum Jeſuitarum, quod reſpondere Jurio
non potuerit Arnaldus, quia tacuerit, prolixam diſſertationem
inſtituit quando & quomodo ex ſilentio præſumi poſſit & debeat
confeſſio, & irridet Jeſuitas, quod dicant, ſe per contemtum *Pra-*

Etica Morali non reſpondiſſe,& quod ſe cum Rege Galliæ comparent, qui ad relationes hebdomadales a Batavis editas, (*novellas* vocant) non reſpondeat. Exempla tamen allegat, quod Jeſuitæ acerbiſſime adverſariis reſponderint, v. g. *Theatinis*, qui tamen nihil illis objecerint, quam quod Ignatius Loyola, cum A. 1536 Venetiis eſſet, in ſocietatem iſtorum recipi cupiens repulſam tulerit. Subjungit quæ Paſquierio ſumma cum acrimonia a Jeſuitis oppoſita fuerint, maxime a *Franciſco Garaſſe*, quem tamen ab animi ſubmiſſione, modeſtia, affabilitate & manſuetudine mire commendari ab illis dicit.
cap. 12. Sequitur farrago dictorum & factorum, ex quibus Autor Jeſuitas habitus cujusdam convitiandi convincere nititur. Inprimis urget, quod non niſi poſt plurium annorum moram & oppoſitionem, ſeveriſſimis decretis Pontificum de obedientia Vicariis in Indiam miſſis præſtanda paruerint, neque poſt extortum denique obſequium queri deſinant, quaſi injuſte a miſſionibus in regna quædam excluſi fuerint. Hanc tamen excluſionem meruiſſe illos dicit, quod Chriſtianos novitios a Sacramentis Eccleſiæ,a Sacerdotibus, quos Vicarii Pontificii conſecraverant, adminiſtratis arcuerint,hos pro hæreticis, (Janſeniſtis ſcil.)diffamaverint, interim neophytos ſolo globulorũ & aquæ benedictæ uſu contentos eſſe juſſerint. Exprobrat etiam, quod accuſationẽ a maxima Paſtorum Gallicorum parte,de corruptione diſciplinæ moralis adverſus Jeſuitas inſtitutam, ab egregiis Epiſcopis & Collegio Sorbonico, denique ab ipſis Pontificibus approbatam,pro injuſta habeant, & quaſi perſecutionem paſſi ſint, lamentari non ceſſent. Allegat *Bullas* Alexandri VII, & Innocentii XI, quibus Jeſuitarum ſententiæ a Paſtoribus indicatæ, publice condemnatæ ſunt.Orationem ab Henrico IV pro Jeſuitis in Parlamento habitam falſo fingi & ſupponi, ex Thuani Lib. CXXXII aliisque autoribus, itemque ex literis Regis ab *Auberio* in hiſtoria *de Cardinali Jouſa* relatis demonſtrat; deinde vel impudentiæ vel ignorantiæ eorum tribuit, quod obſcuri cujusdam hominis *Perronii* Apologiam pro Jeſuitis editam, Cardinalis eſſe contendant, cum quo vilis iſte ſcriptor nil niſi nomen commune habuerit. Temeritatem denique eſſe ait, quod retractationem
13. ab autore *Practicæ Moralis* poſtulare audeant, quaſi illos de violata Epiſcoporum in India autoritate per mendacium accuſaſſet. Itaque actiones Jeſuitarum contra Epiſcopos illos denuo recenſet, & teſtimoniis

Digitized by Google

moniis probat. Allegat (1) manuſcriptam relationem *Petri de Solis*, de actis contra *Bernardinum Almanzam* Archiepiſcopum S. Fidei. (2) ſcripta authentica in cauſa *Matthæi de Caſtro*, natione Indi. Hic, ut refert, circa finem Pontificatus Urbani VIII. Romam miſſus, eos fecerat in ſtudiis profectus, ut Vicarius Apoſtolicus in Æthiopiam deſtinaretur; ſed a Jeſuitis & conſtituto ex illis Patriarcha Æthiopiæ rejectus, & Romam redire coactus eſt. Inde denuo cum titulo Epiſcopi in Indiam miſſus, novas Jeſuitarum perſecutiones incurrit, delatus inter alia apud Regem Luſitaniæ, quod ſemipaganus eſſet, & parva *idola* ſecum ferret, itemque ex templis *boum* ſtabula faceret. Deprehenſam autem fuiſſe ſcribit calumniam, cum, inſtituta a Rege inquiſitione, compertũ fuit, nummos, quos Epiſcopus habebat, in regionibus illis uſitatos, *idola* vocari, quod figuris illorũ ſignati eſſent; boves vero, quos in templa admiſiſſe dicebatur, homines eſſe, bajulando victum quærentes, qui populari dicacitate *boves* vocarentur. Sed graviora alia viro objecerunt, ut tertia vice Romam proficiſci coactus, ibique ſatis rigide tractatus, tandem vero penitus abſolutus & in Indiam remiſſus fuerit, in qua pluribus annis ad extremam usque ſenectutem muneri ſuo præfuiſſe, & tandem Romam regreſſus ante annos decem vitam finiiſſe perhibetur. Notat Autor, illo tempore, quo Jeſuitæ in Æthiopia Matthæum illum falſis delationibus infeſtaverint, ipſos cum Patriarcha ſuo, cum ſeſe adminiſtrationi publicæ ingeſſiſſent, toto regno ejectos, & poſt hæc omnibus miſſionariis Catholicis aditum præcluſum fuiſſe. (3) De *Ferdinando Guerrero* Maniliæ ſive Philippinarum Archiepiſcopo narrat, cum ille Jeſuitas ad miniſteria ſacra, antequam diplomata ſua exhiberent, admittere recuſaſſet, horum artibus apud Gubernatorem regium effectum fuiſſe, ut illum ex ſacello, hoſtiam conſecratam manu gerentem, & præ ſenio atque fame ſeſe vix ſuſtinentem, a militibus rapi, & in inſulam deſertam deportari curaverit. Probat hoc ex Epiſcopi Palafoxii libro, & ex relatione *Joh. Bapt. Moralis* Dominicani A. 1645. (4) Provocat ad Acta Jeſuitarum adverſus *Bernardinum de Cardenas*, Franciſcanum, Epiſcopum *Paraguayenſem*, ante annos 25 Hiſpanice & Gallice edita. Ex his conſtare ait, Epiſcopum cum Jeſuitas pro munere ſuo viſitare vellet, in Eccleſia ſua ab illis obſeſſum, & fame ad deditionem coactum, hoſtiam ex manibus ejus

ereptam, illum ergaſtulo incluſum, deinde vili lembo impoſitum in inſulam ducentis leucis diſſitam miſſum eſſe. Ad hæc militum cohortes a Jeſuitis conſcriptas, quas ipſi duxerint, omniaque præfectorum munia ſubierint. (5) Injuriæ referuntur ſæpe memorato *Palafoxio* Epiſcopo, viro licet ſanctiſſimo illatæ, quas ipſe editis libris deſcripſit. (6) Narratur, ut *Philippum Pardum*, itidem Maniliæ Archiepiſcopum, quod Jeſuitas a mercatura prohiberet, & ad rationes tutelæ, quam invaſerant, reddendas adigeret, ope Præfectorum regiorum ſede ſua dejecerint, reſtitutum tamen paulo poſt decreto ſupremi Senatus Mexicani, a quo etiam mandatum editum fuerit, quo eccleſiaſticis generaliter omnis negotiatio interdicta fuit, cum tamen præter Jeſuitas nulli alii ex Clero operam illi dediſſent.
cap. 14. Ne vero ſolum in India tam inſolentes fuiſſe videantur Jeſuitæ, aut relationes ex locis remotiſſimis ſuſpectæ habeantur, etiam Europæorum Epiſcoporum exempla afferuntur, peſſime ab illis habitorum. Nominat Autor *Smithum* titulo Chalcedonenſem Epiſcopum, Angliæ Vicarium; *Boonium*, Archiepiſcopũ Mechlinienſem; *Trieſtium* Gandavenſem; *Pavillonium* Aletenſem; *Cauletum* Pamienſem; *Solminiacum* Cadurcenſem; *Chouartum* Bellovacenſem; & Abbatem *Ferrerium*. Quæ cum his acta ſint, *Tomo II. Pract. Moral.* relata eſſe dicit, nec huc usque refutata, quanquam in prima Apologiæ editione id ſe facturos eſſe indicaverint Jeſuitæ; non ſtetiſſe enim promiſſione illa in altera editione; unde, & quod quædam de Theatro Jeſuitico aliaque emolliverint, neque quidquam ex objectis ſolide refellere potuerint, ſuo judicio condemnatos eſſe exiſtimat. Hæc ex prima libri parte ſumpta ſunt; de altera ſequente menſe agemus.

LA THEORIE DE LA MANOEUVRE DES Vaiſſeaux. Sive

Theoria Artis armamenta navium rite gubernandi.

Pariſiis, apud Steph. Michalettum, 1689, in 8.

Conſtat plagulis 9, & 25 tabulis æneis.

DUabus potiſſimum partibus abſolvitur Scientia nautica: altera, quæ Gallis *Pilotage* dicitur, curſum navis ex uno in alium deſtinatum

natum locum dirigere docet, itinere maritimo breviſſimo & commodiſſimo, nititurque maxime principiis Geographicis & Aſtronomicis; altera, quam iidem *Manœuvre* vocitant, Mechanicis fere fundamentis ſuffulta, ſolicita eſt de armamentis navium, malis puta, antennis, velis, rudentibus, temone rite diſponendis, ipſoque navigii corpore iſtorum ope quam opportuniſſime flectendo & gubernando. Et priorem quidem illam, quæ vulgo *Hiſtiodromica* audit, plurimorũ jam Scriptorum induſtria egregie excoluit: nec ita pridem adhuc de novo hanc in rem prodiit Anglico idiomate *Danielis Neubuſii Ars Nautica*; de qua, cum ſerius nonnihil ad nos perlata fuerit, in Supplementis horum Actorum proxime agendi dabitur occaſio. Poſteriorem vero, utiliſſimam licet, ac navarchis, tempore potiſſimum naumachiæ, ſcitu apprime neceſſariam, qui methodice pertractarit, vix quisquam huc usque extitit, ſed totam fere hanc partem per ſolam hactenus experientiam expleri oportuit; ad quam tamen adquirendam plurimum plerumque temporis requiri manifeſtum eſt. Vacuam itaque hanc ſpartam, ad expreſſum Regis ſui mandatum, in ſe ſuſcepit Autor, quisquis tandem ille ſit, ſibique propoſuit e ſolidis principiis Mechanicis docere, quomodo nauclero ventos é quacunque regione ſpirantes, quam optime in uſus ſuos vertere liceat, per aptum *velorum* maxime atque *proræ* ſitum, reſpectu ad præſtitutam navis viam habito. Specialiora enim tractare, & ſingulorum, quæ plurima ſunt, navis armamentorum machinas & uſum deſcribere non curavit, ſed horum aliqualem notitiam jam præſupponit: quam ipſam quidem, ſi cui adhuc deſit, quam optime hauriri poſſe ait ex alio libro, cui titulus: *L' exercice de la Manœuvre de Mſ. le Chevalier de Tourville.* Cæterum in opere hoc ita ſe geſſit Autor, ut propoſitiones quidem non admodum difficiles per ordinariam Geometriam demonſtrarit; reliquas abſtruſiores autem Analyſeos ope ex profundo Democriti puteo extrahere ſategerit. Nonnunquam etiam, ubi pretium operæ reſpondere non fuit viſum, indicata ſolum eſt methodus indagandi exactam veritatem: in uſum vero ſimul vocata Mechanica ratio ita determinandi quæſita, ut in praxi error inſenſilis nihil adferat detrimenti. Quod reliquum eſt, quo benevolus Lector aliqualem de ipſius libri contentis præguſtum nanciſcatur, ſingulorum, cum non adeo multa ſint, capitum ſum-

Digitized by Google

mam paucis indicare non pigebit. Ac in *Cap. I.* quidem fundamenta huic ſcientiæ præſtruit Autor, agitque cum de venti vi contra vela, tum de potentia aquæ erga gubernaculum, ejusdemque aquæ renixu adverſus ipſum navigii corpus. Pro faciliori vero doctrina, velorum ſuperficiem in ſe licet arcuatam, conſiderat veluti planam: fluida vero illa, aquam puta & aerem, quo iis regulæ mechanicæ evidentius accommodari valeant, intueri jubet tanquam compoſita ex corpuſculis, quæ ſitu inter ſe parallelo moveantur, variamque adeo impresſionem in velis ac temone pro ſitus diverſitate faciant. Cæterum eam impresſionis differentiam, quæ a majori aut minori rapiditate venti aquarumve provenit, minus penſi habuit Autor, cum ea utique diverſam partium navis poſitionem ſibi non expoſcat. *Cap. II.* agit de motione navis in genere, ut & de modo cognoſcendi ejusdem a via ſua deflexionem, quam *Derive* vocant. Nimirum perquam facile foret ex præſtratis in præcedenti capite fundamentis viá, quam in tali poſitione venti velique factura ſit navis, determinare, ſi hæc ab omni ſui parte aquas æquali cum facilitate finderet: verum enimvero dum longe majori cum difficultate a latere, quam a prora fluctus perrumpit, ejus etiam progresſio hoc intuitu non parum alteratur, atque hujus jam deflexionis computatio quomodo facienda ſit, dilucide oſtenditur. *Capite III.* modus communicatur, quo cognoſcere nauclerus valeat, an ſua navis alteri, quam e longinquo videt verſus eandem plagam tendere, ratione ſecundioris venti ſuperior, an inferior ſit, adeoque (ſuppoſita æquali utriusque navigii velocitate inſita) num prævertere illam, an vero ab illa anteverti debeat: quæ ipſa indagatio quomodo mediante pyxide nautica pinnulis viſoriis inſtructa ſatis expedite fiat, exponitur. *Caput IV.* docet determinare ſitum tam proræ, quam veli opportuniſſimum, ad lucrandum quam maxime venti commodum: ad hoc vero obtinendum utut non minus diverſa navis proræq; poſitio inſerviat, immoto manente velo, quam veli major minorve obliquatio, non alterato ipſius carinæ ſitu: nihilominus ad veli potius determinationem reſpici vult noſter, cum ab hujus ſitu & ipſius proræ diſpoſitio dependeat. *Cap. V.* agitur de ratione determinandi varias navigii deflexiones, (*Derives,*) ortas a diverſo ſitu proræ in relatione ad veli poſitum; ſive detur linea ſitus navigii, ſive linea curſus eidem præfixi: docetur

Digitized by Google

docetur quoque, quomodo haberi queat proportio inter varias longitudines linearum, quas navis intra tempora æqualia percurrat in quolibet poſitu. *Caput VI.* monſtrat, quisnam commodiſſimus omnium ſitus ſit, tam veli, quam carinæ, reſpectu habito ad ventum & ad viam præſtitutam. *Capite VII.* definitur, qualem angulum facere clavus ſeu temo debeat cum carina ſeu ſpina navis, ſi quis quam maxime ventum adverſum in uſus ſuos vertere, aut vento ſecundo quam celerrime promovere diſcupiat: qua occaſione ſuadet Autor, ut limbus circularis in ſuos gradus diſtinctus appingatur centro gubernaculi, quo mox ad oculum pateat, quem angulum gubernaculi manubrium cum navis ſpina faciat. *Cap. VIII.* modus oſtenditur, Mechanice determinandi ſitum aptiſſimum velorum atque proræ, tam ad lucrifaciendum quam maxime ventum, quam ad percurrendum quam expeditiſſime iter propoſitum, aſſequendumve aliud navigium fugiens: ubi ſpeciatim monet Autor, quid in tali perſecutione cavendum ſit, ne quis improvide incidat in iſtum errorem, qui *Chaſſe Angloiſe* vocari ſoleat; ubi nempe perſequens pedetentim venti prærogativa magis magisque excidat, & continuo longius poſt navem, quam adſequi intenderat, relinqui ſe ſentiat. *Caput IX* & ultimum varias communicat cautelas in praxi hujus diſciplinæ adhibendas: cumque initio ad faciliorem intellectum Autor finxerit planam velorum ſuperficiem; jam examinat, quamnam differentiam eorum curvatio importet: varia item ſuggerit, ad commodiorem hactenus uſitata velorum aptationem facientia: ac ſpeciatim ſubmonet, quam inſignis in triremium ſeu *Galearum* velis defectus occurrat: ubi nempe aliqua veli pars navem non modo nil juvet, ſed plane retro quaſi pellat, ejusque velificationi obnitatur, & rurſum ejus alia pars nil aliud conferat, quam quod navem longius a viæ ſuæ linea faciat deflectere. Id quoque pro cautela inculcat, ut extremitates navis omnium minime ſaburra aut ſarcinis onerentur: cum utique prora aut puppis ope gubernaculi magis minusve promte ad latus flectatur, prout centrum gravitatis longius aut propius removetur a prora puppive verſus partem oppoſitam. Denique ut quandocunque, etiam nocturno tempore, vela in deſideratum & cognitum ſitum aptare liceat, nec multis ad anguli dimenſionem ambagibus opus ſit, jubet in rudentibus, velorum anten-

Digitized by Google

antennarumque rectoribus, certa facere ſigna, quæ vel tactui mox indicent, quando vela ad debitum obliquitatis gradum ſitumve redacta ſint atque diſpoſita.

HISTOIRE DE LA RELIGION DES EGLIſes Reformées, par Mr. Basnage &c.

id eſt,

J. Basnagii, Evangelii Miniſtri, Hiſtoria de Religione Eccleſiarum Reformatarum, in qua ſucceſſio illarum Eccleſiarum & perpetuitas fidei, maxime poſt ſeculum octavum; dein inſtituta reformatio, & perſeverantia in iisdem dogmatibus a reformatione ad hoc usque tempus demonſtratur. Accedit Hiſtoria de origine & progreſſu præcipuorum errorum in Eccleſia Romana, Reſponſi loco oppoſita Hiſtoriæ de Variationibus Eccleſiarum Proteſtantium, a Jacobo Benigno Boſſueto, Epiſcopo Meldenſi editæ. *Tom. I.*

Roterodami, apud Abrahamum Acher, 1690, in 8.

Conſtat plagulis 35.

INdicavit honorifice operis hujus editionem Dn. *Gilbertus Burnetus*, ſæpe in Actis noſtris laudatus, nunc Epiſcopus Sarisburienſis in Anglia, & primarius Regis Eleemoſynarius, in Cenſura adverſus non minus celebrem Epiſcopum Meldenſem, Dn. *Boſſuetum*, quam retulimus nupero menſe Junio p. 276. & ſeq. Hanc D. Burneti comitatem veneratus *Basnagius*, libros hos ſuos ei dedicavit. Iisdem amplum & luculentum præmiſit præloquium, ex quo tamen pauca afferemus, cum pleraque latius in progreſſu operis enarranda veniant. Oſtenditur inter alia, veterem eſſe paganorum & Arianorum methodum, Chriſtianis & orthodoxis variationem doctrinæ objiciendi. Renovatam eam eſſe ante aliquot annos a Jeſuita Hiberno *FizSimone*, & quidem, ut Autor judicat, accuratius quam a Boſſueto. Licet enim ille fabulis quandoque indulgeat, ordinem tamen in ſcribendo ſervaſſe, & diverſas ſententias in areolis juxta ſe collocatas

tas perſpicue repræſentaſſe; cum Boſſuetus omnia diſperſerit, & verborum ſtrophis atque coloribus capita rerum involverit & veluti ſepeliverit. Poſt hæc & alia, initio Tomi I. Autor comparationem cap. I. quandam inter Boſſuetum & Maimburgium inſtituens, hunc ait amœno quodam ſcribendi genere, & probabilibus conjecturis, libris ſuis gratiam & ſpeciem conciliaſſe, & quanquam ſolide non doctum, cum confidentia tamen & veluti magiſtri autoritate propoſitas materias tractaſſe; cum e diverſo Boſſuetus, non evitatis Maimburgii defectibus, dotes ejus non ſit aſſecutus, ita ut labori diffidere aut ſuccumbere, certe titubans incedere videatur, ſemipelagianus alicubi, alibi gratiæ defenſor, nimiaq; ſubtilitate & argutia in taxandis reformationis autoribus lectori moleſtus. Famam ſibi paraſſe Epiſcopum edito *Expoſitionis* libro non negat; cum vero in præfatione operis ſui *de Variationibus*, ambiguitatem & confuſionem ſermonis pro falſitatis nota habeat, hac ipſa lege *Expoſitionem* illam damnari judicat, quæ nil niſi fucos contineat & innumeras habeat variationes. Notat e.g. omiſſa in prima editione verba, *quod panis & vinum in Sacramento mutetur in corpus & ſanguinem Chriſti*, inſerta eſſe ſecundæ editioni, cum vocabulo *transſubſtantiationis*, quod in prima evitatum erat. In hac etiam ſimpliciter dici, *Miſſam probabili ratione* (raiſonnablement) *nominari poſſe ſacrificium*, ſed in ſecunda ſubſtitutum eſſe, *Miſſæ nihil deeſſe, quo minus ſit verum ſacrificium.* Variationes vero Eccleſiæ Romanæ in dogmatibus de juſtificatione, prædeſtinatione & gratia, de cultu imaginum aliiſque, dudum a *Flacio* Illyrico demonſtratas eſſe, neq; huc usq; refutatas; unde iterum Boſſuetus ſuo judicio condemnetur, & cogatur, ut hiſtoriam ſuam ipſe retractet & aboleat, quod ſe facturum eſſe in præfatione operis ſui recepit, ſi Eccleſia Romana de variatione convinceretur. Monet inde, ſi de variationibus quæratur, conſtituendum & determinandum prius fuiſſe, quarum ratio habenda ſit. Conſiderari (1) debuiſſe primario eas, quæ ſacris literis adverſentur; de his vero non egiſſe Boſſuetum. (2) Verſari eas debere in rebus & dogmatibus ipſis, non in formulis loquendi & terminis technicis. (3) Illas demum urgendas eſſe, quæ graves & eſſentiales fidei articulos afficiant. Si enim qualescunque producantur, ne veterem quidem Eccleſiam immunem a culpa futuram. Exemplum affert de communione in-

Digitized by Google

ſantum. (4) Allegandas eas ſolum eſſe, quæ Eccleſiæ toti tribui poſſint, non vero quas ſinguli Doctores fovent. Hanc regulam paſſim neglexiſſe Boſſuetum, & ſic integros ejus libros, puta V. VII. XIII. & XV. deſtrui. (5) Ad cauſam etiam variationum ſive mutationum reſpici debere, qua mente & quo fine, num temere & maligne, vel metu dominantium, an pacis & concordiæ cauſa fiant; quod factum eſſe putat a Reformatis in gratiam Lutheranorum. Oſtendit quam periculoſe ex fictitiis variationibus argumentatus ſit Boſſuetus, viamque præiverit Atheis & Socinianis, eadem argutia religionis Chriſtianæ veritatem oppugnaturis. Tandem etiam intempeſtive publicatum eſſe hoc opus de Variationibus exiſtimat, edique debuiſſe, antequam Reformatorum defectio vi militari procurata fuerit. Gallis enim qui converſi dicuntur, parum honeſte nunc inſultari; aliis nationibus, Gallicæ linguæ imperitis, ſcriptum illud fruſtra obtrudi. Simplici negatione totum Epiſcopi opus deſtrui. *Nos enim* ait, *eandem religionem profitemur, quam majores noſtri ſtabiliverunt: nos omnes eſſentiales reformationis articulos retinemus. Cum Calvino ſtatuimus, per ſacrificium Miſſæ deſtrui ſacrificium Chriſti; transſubſtantiationem impoſſibilem eſſe, quia Chriſti corpus cœlo incluſum,* (renfermé dans le Ciel) *in terris amplius eſſe nequit; probibitionem calicis adverſari inſtituto Chriſti; in cultu imaginum, ſive ad ipſas ſive ad Deum referatur, idololatriam committi; eos, qui per alium, quam Chriſtum ad Deum accedunt, iram ejus & æternas pœnas incurrere; converti nos gratia Dei, ejusdemque ſola miſericordia ſalvari. Hæc*, inquit, *dogmata nos ab Eccleſia Romana ſeparant, quod negare nemo poteſt: Calvinus illa docuit; id teſtantur edita illius Inſtitutiones: Nos eadem adhuc docemus; irrita itaque ſunt ſophiſmata omnia de variationibus*: & hæc ſufficere cenſet ad totius machinæ disjectionem. Ad ſpecialem tamen refutationem motum ſe eſſe dicit, ut gloriandi ex ſilentio Reformatorum occaſionem adverſariis auferret, & otii, quo in Belgio cum tot aliis fruitur, rationem redderet.

In quatuor inde partes laborem ſuum diſtribuit. (1) Perpetuitatem demonſtraturum ſe eſſe ait purioris doctrinæ ante reformationem, & quod Reformati eandem fidem cum Albigenſibus & Waldenſibus teneant, rejectis, quas his Boſſuetus Lib. XI intentavit

tavit,accuſationibus. (2) Reformationis opus contra Boſſueti præjudicia ſe defenſurum, inprimis quoad res in Germania geſtas; de Gallicis enim ab aliis ſufficienter actum eſſe. (3) Dogmata ab initio reformationis recenſiturum, ut appareat, non eſſe variata; ſubſiſtere tamen ſe velle monet in confeſſionibus & generali Eccleſiarum intentione, cum nec neceſſarium, nec facile ſit ſingulos doctores defendere. (4) Summam quorundam dogmatum Romanorum exhibiturum, quod, etſi ad recriminationem a Boſſueto rejectam pertinere videatur, licitum tamen eſſe monet,ſuſcepta prius & peracta defenſione, tantoque validius fieri, quia Eccleſia Romana infallibilitatem jactet; quæ ſi demonſtratis variationibus & erroribus deſtruatur, Boſſuetum ex ſua ſponſione ad revocationem ſcripti adigi. Hanc methodum confuſæ, cujus Boſſuetum inſimulat, præfert, & ad modeſtiam ſeſe obſtringit; ſi quid tamen durius ſibi exciderit, id omne revocatum & abolitum eſſe cupit. Sub finem capitis,violentiam Epiſcopo objicit in converſione illa militari exercitam, & concionem quandam ex neſcio quo ſuggeſtu exprobrat,cum aſperrima in novos converſos debacchatione habitam. Sed hanc objectionem in præloquio temperavit Autor,monens concionatum non eſſe Boſſuetum, ſed cum ægrotum quendam ex converſis ad uſum Sacramenti ritu Romano permovere non potuiſſet, populo ante fores adſtanti acclamaſſe, ut hominem illum, ſi obierit, veluti canem in ſterquilinium projicerent. Hæc primi capitis contenta conſpectum totius libri exhibent, & paulo fuſius referenda eſſe viſa ſunt.

Aggreditur deinde Autor,neglecto Boſſueti ordine,ante omnia Librum ejus XI, in quo Reformatis objecerat, quod hæreſin ſuam a *Manichæis*, *Albigenſibus*, *Valdenſibus*, *Vicleſitis* & *Fratribus Bohemis* per ſucceſſionem derivent,& eatenus Socinianis poſtponendi ſint,antiquiores autores habentibus. Negaverat Boſſuetus, ante Manichæorum tempus, ſive ſeculum quartum, ullum fuiſſe, qui cultum ſanctorum improbaverit; ſed regerit Autor, errores argui non poſſe, antequam oriantur & innoteſcant. Adducit tamen epiſtolam *Smyrnenſium*, ex Euſebii Lib. XIV, qua contra Judæos martyrum cultum Chriſtianis objectantes aſſerunt, ſe Filium Dei adorare, martyres amare. Addit alia, quæ huc faciunt, ex Origene, Athanaſio & Theodoreto. Eodem modo refellit,quod transſubſtantiationi non niſi cap. 2.

ſeculo decimo contradictum ſit. Ait enim, dogma illud non niſi nono prodiiſſe, longeque aliam Gelaſii, Chryſoſtomi, Auguſtini & Theodoreti ſententiam fuiſſe. Ad ſeculi inde noni hiſtoriã progreditur, in quo, licet ob ſummam Cleri barbariem infeliciſſimo, veritatem tamen doctrinæ in Gallia defenſam eſſe, probare nititur. Repulſum eſſe ſcribit *Nicolaum* I. Pontificem, jurisdictionem in Galliæ Epiſcopos ſibi arrogantem: Improbatum Concilium Nicenum II. cultum imaginum approbans, non a Gallis ſolum, ſed & ab Hiſpanis, Germanis & Anglis, eique oppoſitas fuiſſe Synodos Francofurti & Lutetiæ: Acta *Hincmari* contra *Godeſcalcum* in articulo de gratia in Synodis Valentiæ & in Lingonibus habitis correcta eſſe. Obſervare jubet Boſſuetum, quod Pontifices Romani communionem cum Gallis aliisque de cultu imaginum illo tempore diſſentientibus non abruperint, ut æquius judicare diſcat, de tentata inter Reformatos & Lutheranos concordia. *Paſchaſium Radbertum* ſeculo nono primum omnium præſentiam realem docere & fictis miraculis ſtabilire cœpiſſe, pro certo habet, cui Carolus Calvus *Ratramnum* monachũ oppoſuerit, quem Janſeniſtæ mire laudatum, poſtea deprehenſa ejus doctrina cum Reformatis conſentiente, variis cavillationibus interpretari cœperint. Eundem vero Autor contra *Boſſuetum*, *Maimburgium* & *Boilavium* ſuis partibus vindicat. Ex Paſchaſii dogmate prodiiſſe non dubitat reliquos errores, quod Miſſa ſit ſacrificium, quod ſacer calix populo ademtus ſit, quod hoſtia adoretur. Defendit *Claudium* Taurinorum Epiſcopum, qui eodem ſeculo imaginum cultum in ſua diœceſi aboleverit, & in articulo de prædeſtinatione & gratia Auguſtini dogmata ſecutus fuerit. Ex his aliisque, quod ſuſceperat, probatum eſſe contendit, etiam ſeculo nono in magna Galliæ parte rejectos eſſe errores ſemipelagianiſmi, præſentiæ realis, & cultus imaginum; Sacras literas plebi & juventuti propoſitas fuiſſe; preces ad ſanctos non eſſe factas, & ſublatam eorum commemorationem in Miſſa ipſamque crucis adorationem ab Epiſcopo illo Taurinenſi fuiſſe.

cap. 3. De hiſtoria ſeculi decimi diſſenſiſſe aliquatenus fatetur Autor celebres Reformatorum doctores, *Claudium* & *Laroquium*, ſed formulis loquendi potius quam ſententia. Ipſe purioris doctrinæ etiam in illo ſeculo, (licet Baronio & aliis Romani Pontificatus aſſertori-

ſertoribus teſtantibus, ſumme barbarum & corruptum fuerit) veſtigia deprehendit. Vindicat illi tempori Liturgiam a *Thomaſino* inter alios relatam, licet aliis antiquior videatur. Ex illa, & ex ejusdem ſeculi ſcriptore anonymo a *Cellotio* Jeſuita edito, multa pro ſenſu figurato in S. Cœna affert, ita ut indifferentem utramque ſententiam in Eccleſia tunc fuiſſe exiſtimet. Confirmat idem ex *Wilbelmo Malmesburienſi*, qui ab *Odone Archiep. Cantuar.* miracula pro aſſerenda præſentia reali edita, aut ut ipſe judicat, confiƈta eſſe tradidit: unde colligit, oppoſitam quoque opinionem adhuc viguiſſe, nec defuiſſe qui contra Paſchaſium diſputarent, inter quos nominat *Herigerum* Abbatem Lobienſem, & *Miſſalia* extare dicit, ex quibus, ut & ex Liturgia iſta appareat, adorationem hoſtiæ in uſu nondum fuiſſe, neque in rituum formulis indicari, cum alii non taceantur, ideoque nec elevationi locum fuiſſe putat. Refellit *Mabillonium*, qui inclinationem, quæ *pacem*, quam vocant, in Miſſa accipientibus in Ordine Romano præſcribitur, cum adoratione confundat. Ex alio ſeculi X ſcriptore *Radulpho Flaviacenſi* locum adducit, quo probari putat, Miſſam illo tempore ſolummodo pro commemoratione ſacrificii a Chriſto præſtiti, non vero pro ſacrificio propitiatorio habitam fuiſſe. Statuit etiam, *communionem ſub utraque* illa ætate nondum ceſſaſſe, prævaluiſſe tamen, recepto realis præſentiæ dogmate, omisſionem calicis; quibusdam vero panem vino intinƈtum porreƈtum fuiſſe, donec approbata poſtea Thomæ de *concomitantia* opinione, communio ad unam panis ſpeciem redaƈta fuerit. Eodem ſeculo decimo nondũ ſeptem Sacramenta numerata fuiſſe, ex ſeculi XIII. autore, *Alexandro Hales*, cujus ſcripta Innocentius IV Pontifex approbaverit, monet, qui quatuor tantũ recenſuerit. Inde ergo Romanæ Eccleſiæ vel negleƈtum imputat, quod ultra decem ſecula veritatem non docuerit, vel innovationem pateſcere ait, auƈto Sacramentorum ad ſeptem numero. Ex eodem *Radulpho* locum citat, quo *Godeſchalci* ſententia pro gratia contra liberum arbitrium probatur; idem ex *Ebrardo* ſeculi XII viro, contra Gretſerum Jeſuitam, diƈta ejus cavillantem, aſſerit. Negat enumerationem peccatorum in confesſionibus exaƈtam tunc fuiſſe; nec ſatisfaƈtiones impoſitas ait, niſi quod mulƈtæ quædam in Anglia diƈtari cœperint. Sanƈtorum cultum eo nondum perveniſſe, quo poſtea, cum nulla direƈta invo-

Digitized by Google

cationis formula in Liturgiis illius temporis reperiatur, ut nec confeſſio, quæ nunc Miſſæ præmittitur, in qua Sacerdos non Deo ſolum, ſed & *B. Virgini*, *Michaeli Archangelo & omnibus Sanctis* confitetur; quod pariter ac alias preces ad Mariam & Sanctos directas, quibus auxilium ab illis petitur, pro idololatria habet, multoque magis oblationem, quæ ad illorum honorem in Miſſa fieri ſolet. Speciatim in Diœceſi Taurinenſi non dubitat ſuperfuiſſe Claudii ſectatores, qui a cultu Sanctorum abhorruerint, licet inopia ſcriptorum nihil ea de re memoretur. Notat S. Scripturam Regum juſſu in linguas populares translatam fuiſſe, nondum obtruſo de Eccleſiæ autoritate & Pontificum infallibilitate dogmate, imo ſæpe repreſſa ab Imperatoribus Pontificum inſolentia. Explodit Boſſueti aſſertum, quod Manichæi in Gallia primum auſi ſint Antichriſti titulum Pontificibus impingere. Factum id enim eſſe docet hoc ſeculo, in Synodo *Rhemenſi*, & a *Gerberto* Archiepiſcopo, poſtea Pontifice, cujus epiſtolæ extant. Licet autem ſummam corruptionem in plerasque provincias hoc ſeculo invectam eſſe concedat, plurimaque exempla errorum & hypocritici cultus afferat, ſeparationem tamen non æque ac poſteriori tempore neceſſariam fuiſſe exiſtimat, nondum ſtabilita communione ſub una, nondũ imperato Sanctorum cultu, nondũ recepto Semipelagianiſmo, aut condemnato ſub perſona Janſenii Auguſtino. Monſtrat itaque, Meldenſem refutans, uno eodemque tempore diverſas de fide ſententias diverſosque ritus a Pontificibus toleratos fuiſſe. Exemplum adſcribit *Ratherii* Epiſcopi Veronenſis, qui paſtori præſentiam realem neganti contradixerit quidem, ſed anathema non dixerit.

cap. 4. Seculo XI. doctrinæ reformatæ continuationem in Albigenſibus quærit & ponit Autor, necquicquam cedens Boſſueto, qui ſumma cum induſtria, & a tot aliis Romanæ Eccleſiæ Doctoribus diſſentiens, contrarium eruere conatus eſt. Hanc materiam ampliſſime & accurate tractat, ex quibus tamen pauciſſima referre poſſumus. Inter Prælatos & Theologos, qui ante *Berengarium* (cujus breve adſcribit elogium) dogma de transſubſtantiatione non admiſerint, *Leuthericum* Archiepiſcopum Senonenſem recenſet, rejecto teſtimonio, quod ex Actis *Synodi Aurelianenſis* opponitur. In hac falſo Manichæiſmi crimine circumventos, & a Boſſueto infamatos eſſe Aurelia-
nenſes

nenſes, ex ipſo *Glabro* & *Vignierio*, quos Meldenſis allegat, demonſtrare nititur, neque veretur Aurelianenſes iſtos pro Albigenſium majoribus agnoſcere. Eundem honorem habet iis, quos Synodus *Atrebatenſis* A. 1025. condemnavit, cujus hiſtoriam a paucis annotatam & Boſſueto ignotam eſſe ait. Utitur autem teſtimonio *Lucæ Dacherii Benedictini*, ſcriptorum & actorum iſtorum temporum diligentis collectoris, aliorumque, quos a pari laudat diligentia, monachorum. Cum vero Boſſuetus Lib. XI. operoſus fuerit, (ut in Actis 1689. p. 159 indicavimus) ut Albigenſes ex Manichæis ortos eſſe evinceret, contrariũ magno nixu oſtendit Baſnagius, & primo Manichæorum dogmata & mores proponit; deinde quæ illis a Boſſueto tribuuntur, refutat. Monet quoque, confundi a ſcriptoribus contemtum ſacramenti, quo hæretici laborabant, cum ſententia puriorum illa ætate doctorum, qui tantum præſentiam realem ejusque ſequelas in cultu noxias impugnabant. Poſt hæc, dogmata Albigenſium cum Manichæorum dogmatibus confert, illosque a Manichæiſmo penitus abſolvit, veterum novorumque ſcriptorum ex Romana Eccleſia teſtimonia Boſſueto opponens. Concedit huic, fuiſſe tunc in Gallia & in tractu Albigenſi Manichæos ex Aſia eo delatos, ſed nihil commune cum Albigenſibus & Valdenſibus habuiſſe, præter perſecutionem a Clero utrisque intentatam. Pleroſque illius ſeculi ſcriptores magnæ ruditatis multorumque errorum accuſat, non prorſus parcens Bernardo Cluniacenſi, qui *Sanctus* vocari ſolet. Negat tamen, ab hoc aut ab *Enervino* Colonienſi Albigenſes pro Manichæis habitos fuiſſe, licet Boſſuetus amanuenſium ſuorum excerptis nimium fidens aliud ex iis deducere voluerit. *Petrum* quoque *Venerabilem*, ut dici ſolet, in ſuas trahit partes, & cum non neget, fuiſſe, qui a Donatiſmo non immunes eſſent, & Baptiſmum adultis ſolum conferrent, cætera tamen orthodoxos manſiſſe cenſet. Errorem etiam, quo Baptiſmus infantum rejicitur, eſſentialem eſſe non putat, cum neque naturam Sacramenti pervertat, neque ſaluti infantum noceat, qui ex fœdere Dei cum parentibus ſalventur; & ideo Eccleſiam olim Baptiſmum infantum ad feſtum Paſchale, multorum etiam adultorum ad mortis usque tempus diſtuliſſe. Singulari diſſertatione perſequitur alia, quæ Boſſuetus ſub initium Lib. XI. commentatus eſt. Vaticinium Pauli *I. Tim. IV. 1.* non ad Manichæos, ſed ad

d. cap. 4. §. 2.

§. 3.

cap. 5.

d. cap. 5. ſect. 2.

ad Romanæ Eccleſiæ errores pertinere ſtatuit. Ex Auguſtino contra Fauſtum diſputante obſervat, nec ſacrificium Miſſaticum, nec cultum Sanctorum in Eccleſia tunc fuiſſe. Falli dicit Boſſuetum, cum negat, quod Arriani ſeculo XI circa Toloſam fuerint, aut quod Albigenſes ſeparatum ab Eccleſia Romana cultum habuerint, aut quod cum iis ejusdem religionis non fuerint Valdenſes. (Etſi poſtremum hoc altioris indaginis eſt, deque eo plura nobis dicenda erunt, ubi Vir clariſſimus *Philippus Limborchius* manuſcriptum, quod poſſidet, exemplar Inquiſitionis Toloſanæ adverſus Albigenſes & Valdenſes, ab A. 1307 ad A. 1322, publici juris fecerit. Ea enim occaſione, ut ex Belgio nuper ab amico accepimus, diſcrimen inter Albigenſes & Valdenſes, quoad dogmata & ritus, accurate traditurus eſt. Niſi forte diſtinguenda ſunt tempora, & quæ initio interceſſerunt diſſenſiones, paulatim metu communium perſecutionum compoſitæ fuerunt.) De Valdenſibus autem Basnagius noſter dubitat, an a *Valdo*, an a loco in Galliæ finibus *Walden* dicto, quod vetus ſcriptor *Pylicdorſius* opinatus, nomen traxerint. Defendit fidem libri *de Antichriſto* A. 1120 editum, in quo Albigenſium dogmata cum Reformatis conformia adverſus Pontificatum recenſentur & aſſeruntur.

cap. 7. Continuat poſtmodum Albigenſium hiſtoriam ab A. 1125, narratque *Petri Bruſii*, celebris illorum doctoris, crudele ſupplicium, ut & Bernardi irritum in illis convertendis conatum, & ut contemtus fuerit, quod circumgeſta hoſtia miraculoſam ægrotorum ſanationem tentaret. Agit etiam de *Henrico Bruſio*, agnati dogma defendente, ejusque fato: item de exploratione per aquam contra Albigenſes ſtatuta, & Bernardo perperam laudata, approbante etiam Pontifice. Erat autem illa exploratio eadem, quæ in ſagas ad noſtra tempora usque exerceri ſolita eſt, more barbaro aut ſuperſtitioſo. Multa habet de inquiſitionibus adverſus Albigenſes inſtitutis, ſævisque contra eos Synodorũ decretis, & ſuſcepto demum bello, auſpiciis Pontificum, & contra diſciplinam Chriſtianam, quæ non permittat, ut religio vi & armis hominibus inculcetur. Ideo etiam juſtam fuiſſe ſtatuit Albigenſium defenſionem, quia legitimos habuerint Principes eam molientes, in quos Pontifici nullum jus erat.

cap. 8. Succedit acris contra Boſſuetum diſputatio, qui ſingulari opinione, aliisque omnibus autoribus contradicens, Valdenſes plane alios

Digitized by Google

ne alios deſcripſerit, quam revera fuerint, nec a Romanis dogmatibus diſſenſiſſe ſtatuerit, niſi quod nimium paupertatis ſtudium præ ſe ferrent, & de vitiis ſacerdotum, errorem Donatiſtarum ſequerentur. Excuſat Valdenſes, & qui illorum narrata retulit, *Bezam*, quod antiquiorem originem ſectæ jactaverint; leviori, ut notat, errore, quam illo, quem Romana Eccleſia commiſerit, in Concilio Bituricenſi A. 1031 abſque ullo fundamento definiens, quod *Martialis*, quem inter primos Evangelii doctores Gallicæ quædam Eccleſiæ celebrant, Chriſti & Apoſtolorum comes fuerit; aut libros & miracula *Dionyſio Areopagitæ* affingens, ut Pariſiorũ Apoſtolum faceret. Recenſetur inde Valdi doctrina, & quomodo A. 1179 & 1183. injuſte condemnata ſit, improbata perverſum in modum, quam ille ſectabatur, paupertate, cum eandem in *Franciſcanis* mire laudent, licet ſtatim poſt confirmationem illius ordinis, hypocriſis & nequitia detecta fuerit, cujus teſtem allegat *Petrum de Vineis* Lib. I. Ep. 37. Refutat ſpeciatim pleraque a Boſſueto relata, ex ipſis quos ille pro ſe adduxit autoribus, nominatim *Pylicdorſio*, & hujus aliorumque teſtimonia adſcribit, ex quibus conſtet, quod Valdenſes contra poteſtatem Pontificum, indulgentias, cultum imaginum, purgatorium, Miſſas, extremam unctionem, aliosque errores & abuſus, eadem quæ Reformati docuerint. Refert, quomodo Valdenſes ex Gallia in Arragoniam, Germaniam, & in fines Italiæ evaſerint, exagitati ubique crudeliter, niſi quod in Alpium faucibus receptaculum aliquanto tutius invenerint, conſervata aliquatenus in illis locis *Claudii* Taurinenſis doctrina. Conſtare ait ex Actis a Sculteto publicatis, de legatione ex vallibus Alpinis A. 1530. ad Oecolampadium miſſa, & quomodo in capitibus fidei, maxime vero in articulo de præſentia reali, ſive de transſubſtantiatione, cum Helvetiorum dogmate conſenſerint. Idem patere ex MSCtis confeſſionibus, non quidem ſecretis & nemini patentibus, qualia Varillaſius alleget, ſed in Bibliothecis publicis Genevæ & Cantabrigiæ omnium conſpectui expoſitis, & vetuſtatis nota inſignitis. Rejicit imputationem, quaſi Valdenſes cultum catholicum ſimulaverint, eaque fraude latuerint: notorium enim eſſe contendit, etſi multi vi perſecutionum ad defectionem impulſi fuerint, reliquos tamen manifeſtam ab Eccleſia Romana ſeparationem feciſſe, & ſegregatos cœtus conſtituiſſe.

Digitized by Google

cap. 9. Subjungitur *Vicleſi* hiſtoria. Laudat hunc Autor a veritate multorum dogmatum, inprimis quod transſubſtantiationem negaverit; in medio tamen relinquit, an cognitionem illam ex Scripturis hauſerit, an ab Albigenſibus in Angliam venientibus didicerit. Fatetur etiam, illum Scholaſticæ Theologiæ deditum quædam minus recte & perſpicue tradidiſſe. Negat cum *Larroquio*, quod plebs Anglica pro doctrina Viclefi arma ceperit, aliasque tumultus illius cauſas indicat. Ridet miracula illo tempore pro transſubſtantiatione jactata. Notat, A. 1382. primam legem pœnalem contra Viclefitas in Anglia a Clero, ſoluto Regi ære, procuratam fuiſſe. Rejicit *Polydori Virgilii* tradita, quod Viclefus in Bohemiam ſe receperit. Reprehendit Boſſuetum, quod de ſolius Viclefi opinionibus diſputet, quaſi ſectatores ejus (quos *Lollardos* poſtea vocarunt) emendare illas non potuiſſent, aut his noceret, quod ille veritates quaſdã ex infirmitate retractaverit; dum interim certiſſimũ ſit, illos, qui Viclefitæ vocantur, in doctrina cum Reformatis conſenſiſſe; id quod perperam a Boſſueto diſſimulatum eſſe arguit. Notat quoque, hunc impertinenter & cum vana inſultatione reſpondiſſe *Larroquio*, in Repetita Cenſura Varillaſii (in Actis 1688. p. 249. relata) decretum Concilii Oxonienſis alleganti, in quo condemnati ſint tum qui negant in Sacramento eſſe verum corpus Chriſti, tum qui ſtatuunt Sacramentum non eſſe panem, ſed ipſum corpus Domini. Decreti itaque illius (quanquam intricatum ei videatur) fidem adſtruit, cum ad rem non faciant, quæ de Concilio Londinenſi Boſſuetus diſputavit, de quo nulla fuerit quæſtio.

10. *Fratrum* quos vocant *Bohemorum* originem a Valdenſibus deducit, cum nempe ex Gallia & ſpeciatim ex Picardia ejecti latebras in Bohemia quæſiviſſent. Id ante Huſſum factum eſſe, idoneis probat autoribus, & Æneæ Silvii, i. e. Pii II. Pontificis teſtimonium citat, qui *Taboritas* (quibuscum ipſe colloquium habuit & reditum ad ſacra Romana perſuadere voluit) a Valdenſibus dogmata ſua accepiſſe notavit. Valdenſium itaque & Viclefitarum doctrinam placuiſſe Bohemis, interque eos Johanni Huſſo affirmat, ita tamen ut huic non eandem veritatis cognitionem, quam illis tribuat, neque eum pro martyre Reformatæ religionis agnoſcat, cum inter alia dogma transſubſtantiationis ad mortem usque tenuerit; quod a *Larroquio* contra

Digitized by Google

contra Doctores reformatos, qui errore facti aliud ſenſerunt, evidenter demonſtratum, & ſeipſum ab errore liberatum eſſe, candide profitetur. Veros itaque Huſſi diſcipulos, non Picardos aut Taboritas, ſed Calixtinos in Bohemia fuiſſe ſtatuit, cum illis eatenus tantum conſentientes, quod communionem ſub utraque urgerent, & Papam pro Antichriſto haberent. Quæ a Taboritis duce *Ziſca* & aliis, aut plebejo tumultu crudeliter acta ſunt, meritoque culpantur, ad religionis capita pertinere negat, & ut argumentum retorqueat, vehementius ait ſæviiſſe eos, qui ſe Catholicos vocabant. Producit *Taboritarum* confeſſionem in comitiis Baſileenſibus A. 1431. exhibitam, Boſſueto vel ignoratam vel diſſimulatam. Compoſitam tunc eſſe dicit non inconcinne a quodam *Luckavitio*, & ex illa conſtare, quod præſentiam materialem & transſubſtantiatam in S. Cœna negaverint, faſſi tamen Chriſtum vere adeſſe, *ſpiritualiter & ſacramentaliter*. Idem teſtari ſcriptores Bohemos; ut mira ſit Boſſueti affectatio, contrarium in hoc articulo & de cultu Sanctorum illis tribuentis. Inter ea enim, quæ *Taboritæ* Romanæ Eccleſiæ objiciebant, fuiſſe, quod invocetur v. g. *S. Dorothea*, ut a *criminibus nos lavet*, *nutrimentis ſpiritualibus donet*, *actiones noſtras dirigat*, & *B. Virgo*, ut *peccata nobis ignoſcat*. De purgatorii etiam figmentis queſtos eſſe notat, quæ talia eſſe exiſtimat, ex quibus variationis inſigne exemplum demonſtrari poſſit. Poſt cæſos oppreſſosque, non modo Cleri Romani, ſed & Calixtinorum molimine *Taboritas*, & continuatis adverſus illos immanibus perſecutionibus, reliquias illorum in ſylvis locisque montanis delituiſſe, & cœtus *Fratrum* nomine continuaſſe, pro indubitato habet. Inde in Auſtriam, Matthiæ Hungariæ Regi lenius cum iis agenti ſubjectam, magno numero egreſſos, auctosque acceſſu ſociorum ex Marchia Brandenburgica, ita erectos fuiſſe refert, ut confeſſionem fidei Ladislao Regi A. 1508 exhibuerint; unde liquidiſſimum eſſe ſtatuit, eandem horum & Valdenſium, ubicunq; tunc illi cœtus habebant, fidem fuiſſe, & fruſtra autorem *Rudigerum* (multorum errorum, ut cenſet, reum) contra tot alios a Boſſueto allegari. Excuſat iterum illos ex Proteſtantibus, qui in facti notitia decepti de Huſſo & Fratribus Bohemis aliter ſenſerint, longeque majores errores Pontificiis objicit, qui v. g. *Georgium* pro ſancto colant, qui Arianus fuit, & Mediolani *Guilielminam* quandam,

ſag.m eodem honore dignati ſint, Mabillonio teſte. Quod vero Fratribus Bohemis exprobratur, quod baptizatos a Catholicis rebaptizaverint, vel negat, vel emollit, & Cypriani exemplo excuſat.

cap. II. Ultimo hujus primæ partis capite de Eccleſia Græca tractat Autor, illamque tolerabilius quam Romanam erraſſe arbitratur, tum in dogmate de transſubſtantiatione, tum quoad cultum imaginum; nec dubitat, veros fideles in Græcorum aliorumque Orientalium cœtibus conſervatos fuiſſe. Agnoſcit quidem, ob defectum ſcriptorum probatu difficile eſſe, quomodo id adverſus inquiſitiones fieri potuerit; conſiderari tamen jubet ignorantiam, pigritiam & avaritiam Cleri, ſub quo ſic affecto non uno modo latere aut evadere diſſentientibus licuerit. Exemplum Pariſienſis urbis adducit, in qua hodie manifeſti athei & ſacrorum contemptores, etiam Clericali charactere & Abbatum titulo præditi tolerentur; Germanorum etiam Epiſcoporum, qui ante Lutheri tempora accepto tributo concubinas Clericis indulſerint. Ita ſemper non paucos ex Paſtoribus fuiſſe & adhuc eſſe putat, qui ſacra non niſi pompæ & quæſtus cauſa procurent, nullamque de ſalute animarum ſolicitudinem gerant. Præſenti quoque Galliæ ſtatu, quam nunc totam Catholicam eſſe jactent, decies centena hominum millia ſupereſſe credit, qui vel abjurationi religionis Reformatæ variis modis ſeſe ſubduxerint, vel ſi violentiæ ſuccubuerint, eandem fidem in pectore retineant, & data occaſione ſint profeſſuri. Objicienti Boſſueto, quod ſalvari non potuerint, qui ante reformationem in dogmatibus diſſentientes, cultum tamen publicum cum Eccleſia exercuerint, ita aſſentitur, ut peccaſſe damnatosq; eſſe haud neget, qui idololatriam apertam (diſſentientes licet corde) commiſerint; ſed fuiſſe etiam cenſet, qui a cultu illo abſtinuerint & ſegrègationem non quidem poſitivam, ſed negativam fecerint; itaque hanc Boſſueti diſtinctionem eatenus non improbat. Collectis in epilogo, quæ huc usque deduxit, argumentis, & laudatis, quibus illa confirmavit, autoribus, inter alios maxime Boſſueto opponit *Natalem Alexandrum*, virum, ut agnoſcit, doctum & peritum, (cujus libros bene multos in Actis noſtris recenſuimus) qui monachus licet & Proteſtantibus infeſtus, conſentientia cum iis, quæ de Albigenſibus aliisque a Proteſtantibus aſſeruntur, tradiderit, & Boſſueti ſingularem & fundamento deſtitutam opinionem

nem minime amplectatur. Hæc ex magna rerum, quas parte hac prima Autor doctiſſimus exhibet, copia, prolixius quidem, ſed haud improbaturis, ut ſperamus, lectoribus, iis inprimis, qui Gallicæ linguæ periti non ſunt, excerpſimus, reliqua ad menſes ſequentes dilaturi.

OBSERVATIO FACTA A Dn. MERY, ACAdemiæ Scientiarum Regiæ Socio, de milite quodam defuncto, omnes fere internas corporis partes inverſo ordine ſitas habente.

Translata ex Pariſienſibus Ephemer. Erudit. d. 24 Januar. 1689.

VOcatus fui die 24. Dec. 1688 ad Regium Xenodochium *Invalidorum* ſeu Militum in expeditionibus mutilatorum, ut inſpicerem unum ex illis defunctum ſeptuageſimo ſecundo ætatis anno. In eo autem offendi generalem quandam translocationem partium in pectore & ventre contentarum: dum hæ, quæ ſecundum communem naturæ ordinem latus dextrum occupant, in ſiniſtro ſitæ erant; quæ vero ſiniſtrum, in dextro.

Nimirum cor transverſum in pectore habebat ſitum: cujus baſis, verſus ſiniſtrum latus converſa, exacte medium obtinebat, dum ipſum ejus corpus ac apex in latus dextrum porrigebantur. E duobus ipſius ventriculis dexter ad ſiniſtram, ſiniſter ad dextram erat: unde fiebat, ut ejusdem auriculæ & vaſa pariter poſitum haberent ab ordinario abludentem. Major enim ex auriculis, & vena cava ad ſiniſtram cordis partem locatæ erant. Sic vena hæc, deſcendens ſecundum longitudinem vertebrarum, in parte ſiniſtima perforabat diaphragma, idem quoque latus in imo ventre ad os usque ſacrum occupans. Vena azygos e ſuperiori cavæ trunco prodiens, tenebat latus dextrum vertebrarum dorſi. Auricularum minima, nec non aorta ad dextram cordis partem erant poſitæ, ita ut aorta contra ſolitum morem ex hoc latere ſuam produceret flexuram; & poſtquam inter duas diaphragmatis appendices tranſiiſſet, verſus os ſacrum deſcenderet, latus dextrum vertebrarum lumbarium ſtipans, ſemperque venam cavam a ſiniſtra comitem habens.

Digitized by Google

Arteria pulmonaria egreſſa e dextro cordis ventriculo, ad ſiniſtrum, uti dixi, latus ſito, oblique dextrorſum repebat, cum alias regulariter ad ſiniſtram tendat. Id quod perſuadere nobis poteſt, pulmones etiam ſitum commutaſſe: ac certe dexter non niſi in duos lobos diviſus erat, ſiniſter vero in tres; quod utique diviſioni eorum ordinariæ repugnat.

Oeſophagus in thoracem deſcendens a ſiniſtra ad dextram tranſibat ante aortam, viamque hanc perſecutus ab iſto latere diaphragma perforabat; ut adeo, dum ſuperius orificium ventriculi in eadem regione exiſtebat, ejus fundus collocatus eſſet in hypochondrio dextimo, & pylorus in ſiniſtro, ubi duodenum incipiebat; quod ipſum meſenterio ſemet immergens exinde reſurgebat a dextro latere, ſecus ac alias conſuevit; ibidemque & principium jejuni reperiebatur. Finis ilei, cœcum & coli initium in ſiniſtra regione iliaca erant ſita, unde colon adſurgere incipiens verſus ejusdem lateris hypochondrium, ſub ſtomacho tranſibat, conferens ſe in dextrum hypochondrium: poſtea per dexteras regiones Lumbarem & iliacam deſcendebat intra cavitatem hypogaſtricam. Quæ quidem via penitus contraria eſt ei, quam illud tenere regulariter adſolet; non minus ac ea, quam reliqua omnia inteſtina, ſi rectum excipias, ſervabant. Epar ſitum erat ad ſiniſtrum ventris latus, majorque ejus lobus totum hujus lateris hypochondrium occupabat. Ejus ſciſſura directo quoad ſitum reſpondebat cartilagini enſiformi, minorque ipſius lobus declinabat dextrum verſus hypochondrium. Sic vaſa cholidocha, nec non vena porta a ſiniſtra dextrorſum ſuum dirigebant curſum.

Lien locum obtinebat in dextro hypochondrio, & pancreas transverſim a dextra ſiniſtrorſum tendebat ad duodenum. Quin & dicere poſſum, renes quoque teſticuloſque mutaſſe ſitum, dum renum dexter demiſſior erat, quam ſiniſter, & vena ſpermatica dextima oriebatur ex vena emulgente dextra, ſiniſtima vero e trunco cavæ. Idem etiam credere licet de capſulis atrabilariis, dum ſiniſtra venam recipiebat de trunco cavæ, ſitæ ad latus ſiniſtrum vertebrarum lumbarium; & dextræ capſulæ atrabilariæ vena prodibat ex emulgente dextra. Concludi denique ex hac Obſervatione poteſt, quod non ſolum viſcera pectori ventrique incluſa, ſed ipſæ quoque arteriæ ac venæ ſitum mutarint.

Chriſti

Digitized by Google

Chriſtian Weiſens Politiſche Fragen / das iſt / Gründliche Nachricht von der Politica.

Id eſt:

Chriſtiani VVeiſii Quæſtiones Politicæ, ſive, exacta prudentiæ civilis cognitio.

Dreſdæ, apud Jo. Chr. Miethium, 1690, in 8. Plag. 39.

JUventutis ſtudiis optime etiam in ſcholis conſuli, ſi e politica doctrina & hiſtoria exemplis depromptis, horridiores quæ videbantur doctrinæ amœniores reddantur, ſimulque teneri juvenum animi vitæ civili præparentur, optime de ſtudioſa juventute doctrina & editis libris utiliſſimis meritus Autor obſervat, hac potiſſimum ratione redditum planum ſibi & amœnum iter in quovis doctrinæ genere expertus, ſi iſtam obviis & ex rerum uſu depromptis exemplis auditoribus inſtillaret. Eandem ob cauſam conſcriptæ ab ipſo politicæ hæ Quæſtiones juvenibus, ut in utiliſſimæ hujus ſcientiæ cognitionem perducerentur, vernacula lingua propoſitæ, ac ſæpius in Latinam linguam converſæ: quod majorem ex earum interpretatione utilitatem eos conſequi crederet, ſi ſtyli exercitio rerum in vita civili obviarum cognitio jungeretur, quam ſi fictarum vel epiſtolarum, vel apologorum, aut aliarum linguæ exercitationum tædio, a linguæ ſtudio alienentur eorum animi. Publice autem extare hanc ſuæ doctrinæ politicæ rationem, teneris etiam mentibus accommodatam, voluit, ut inſiſtere eandem viam, quam ipſe commodam ſenſit, poſſint & alii excolendis doctrina & ſtylo juvenibus præfecti. Quanquã nec inficias ire poſſumus, reperire in libro hoc provectiori quoq; ætate gaudentes, quæ ſtudiis ſuis profutura ſint. Tribus partibus is totus abſolvitur, quarum *prima* Statum ipſum, cujus rationem ſcientia politica moderatur, & vocabula ad eundem pertinentia, majeſtatis, jurisdictionis, ſuprematus, regalium immanentium & tranſeuntium, reipublicæ & ejus formarum, monarchiæ, ariſtocratiæ & democratiæ, Machiavelliſmi, monarchomachiæ, ſtatus mixti, aliaque explicat; *altera* reſpublicas hodie exiſtentes v. g. Galliam, Angliam, Hiſpaniam, Luſitaniam, Poloniam, Sueciam, Daniam, Ruſſiam, Turciam, Venetorum item, Helvetiorum & Belgarum confœde-

Digitized by Google

fœderatorum, Pontificiumque regimen repræſentat, & ſitum, formam regiminis, imperantes, bella & fœdera, religionem, leges & conſtitutionem imperii, tributorum item modum, ac complura ad reſpublicas quasvis ſpectantia exponit; *tertia* prudentiæ civilis artes, quæ ſub rationis ſtatus nomine venire ſolent, ſeu doctrinam ſtatiſticam tradit; quam quatuordecim abhinc annis editæ Sebaſtiani Cæſaris de Meneſes Summæ politicæ, appendicis loco, ſub elogio *Ideæ ſtatiſticæ* ſe adnexuiſſe p. 409. indicat. Sub finem conſilium ſubminiſtrat, quod ſequi poſſit in conficiendis locis communibus ſeu collectaneis, qui hiſtoricorum & politicorum libros cum cura legit, & memoriæ ſuæ conſulere cupit, ut ſubinde in promtu habeat, quoties ad uſum transferenda ſunt, quæ ex aſſidua ſcriptorum politicorum lectione hauſit, iſtorum ſtudiorum ſectator.

VITÆ JURISCONSULTORUM QUORUM IN Pandectis extant nomina, conſcriptæ a Guilielmo Grotio JCto Delph.

Lugduni Batav. apud Felicem Lopez, 1690, in 4. Plag. 28.

EX plurimis veterum Jureconſultorum ſcriptis Jus civile Romanum fuiſſe compoſitum, & ex duobus millibus librorum ac plusquam trecentis myriadibus verſuum, quibus eorum reſponſa continebantur, quinquaginta Pandectarum libros, centonum in modum, conſutos eſſe, conſtat. Plane indignum vero exiſtimandum, ſi memoria iſtorum juris ſcientia clarorum hominum, e quibus plerique ſummi philoſophi, ſummi oratores, ſummi etiam magiſtratus extiterunt, resque bello ac pace præclare geſſerunt, cum ipſis eorum monumentis, quæ compilatorum culpa perierunt integra, ſolis fragmentis ſuperſtitibus, intercideret. Quapropter & olim *Pomponius* peculiari libro, quem *Enchiridii* titulo inſignivit, in Pandectarum primordiis repoſito, & ſuperiori ævo *Jo. Bapt. a S. Blaſio, Jo. Fichardus*, *M. Mantua Bonavidius*, *Aymarus Rivallius*, *Bernardinus Rutlius*, *Guidus Panzirolus*; hoc vero ſeculo *Jo. Bertrandus* & *Nic. Henelius*, *Valentinus* item *Gul. Forſterus* in Hiſtoria Juris, omnesq; ii qui titulum Pandect. de O. J. commentationibus illuſtrarunt, eam aſſervare, ac ſeriem veterum Juris conſultorum texere, elogia recenſere, & qua

& qua quisque ætate vixerit, quas res geſſerit, quibus honoribus inclaruerit, quos libros compoſuerit, & ſi quæ alia de iis annotatione digna occurrerent, in commentarios referre ſtuduerunt. Junxit iis induſtriam ſuam *Guilielmus Grotius*, ſummi viri Hugonis Grotii frater, juris ſcientia clariſſimus, omnesque Jurisconſultos qui vel a Pomponio vel aliis eorum collectoribus prætermiſſi erant, quorum tamen vel in Pandectarum, vel in Ciceronis, Gellii, Lampridii, aut aliorum hiſtoricorum libris factam deprehenderet mentionem, enumeravit, ætates eorum ſtudioſe inveſtigavit, conſcriptos ab iis libros qui in Pandectis aut alibi allegantur recenſuit, horumque qui antea vitas veterum ICtorum conſcripſerant, admiſſos errores libere notavit: ut intelligere licet e p. 71. 150. 159. 168. 171. 181. 196, ubi Rivallium; e p. 3. 14. 15. 20. 33. 64. 68. 69. 70. 71. 73. 91. 97. 99. 113. 129. 132. 133. 150. 171. 189, ubi Rutilium; e p. 4. 73. 74. 75. 141, ubi Anton. Auguſtinum a vero aberraſſe oſtendit. Joannem autem Bertrandum, Præſidem Toloſanum, qui Βίους νομικῶν ſcripſerat, ſæpius falſitatis arguit, & circa ætates aut libros veterum Jurisperitorum ſubinde ceſpitaſſe ac lapſum eſſe obſervavit. Vide p. 44. 45. 54. 58. 62. 65. 70. 79. 81. 89. 92. 94. 95. 98. 109. 111. 113. 122. 123. 126. 127. 131. 133. 134. 135. 136. 137. 138. 139. 143. 145. 149. 150. 152. 155. 156. 157. 168. 169. 170. 171. 172. 173. 176. 177. 179. 180. 188. 189. 190. 192. 195. 196. 199. Qualia de Bertrando etiam in *Amœnitatibus Juris* monuerat pluribus locis doctiſſimus Menagius, cujus in elencho autorum notatos Bertrandi locos cum Grotianis, quas indicavimus, obſervationibus conferre haud injucundum fuerit. Scriptores etiam antiquos Latinos librariorum vitio corruptos hinc inde emendavit aut illuſtravit, ut Ciceronem p. 34. 66. 67. 75. Gellium p. 20. Feſtum p. 16. Vellejum Paterc. p. 24. Valerium Maximum p. 32: interdum etiam cenſoria virgula notavit, ut Valerium Maximum p. 26. Diodorum Siculum p. 8. Aurelium Victorem p. 7. 145. 166. Plinium p. 25. Lampridium p. 113: a qua nec abſtinuit in erroribus doctiſſimorum virorum annotandis, ut Hotçomanni p. 3. 89. 90. 91. Lipſii p. 108. 110. Cuſpiniani p. 106. Cujacii p. 132. 162. 192. Alciati p. 161. Gothofredi p. 114. Zaſii p. 78. Seb. de Medices p. 106. 112. Tabuardi p. 129. Libergei p. 145. Id tamen nec nos notare, deque operarum incuria queri, non poſſumus, vitioſe admodum commentarium hunc Grotii excudentium;

quibus editorem filium *Jacobum Grotium*, cui de cætero gratiæ pro evulgato hoc doctiſſimi Parentis commentario debentur, accuratius intendere, & ut emendatior is prodiret, ſtudere par fuerat.

DION. PAPINI NOVA METHODUS AD Vires Motrices validiſſimas levi pretio comparandas.

IN machina pro novo pulveris pyrii uſu, quæ in *Actis Erud.* anni 1688 menſ. Septemb. deſcripta eſt, hoc in primis deſiderabatur, ut pulvis pyrius in infima parte tubi AA accenſus totam cavitatem flamma ita repleret, ut aer inde penitus expelleretur, tubusque infra piſtillum BB aere prorſus vacuus remaneret: ibi vero dictum eſt, quod effectus voto non ſatis reſpondere potuerit, ſed non obſtantibus omnibus cautelis ibidem memoratis, ſemper tamen remanſerit in tubo quinta circiter pars aeris, qui in eo contineri ſolet. Unde duplex oritur incommodum: 1. quod dimidia parte optati effectus hoc modo fruſtremur; ita ut 150. duntaxat librarum pondus ad altitudinem unius pedis elevari poſſit, quum alioquin 300 libræ debuiſſent attolli, ſi tubus AA fuiſſet perfecte evacuatus: alterum incommodum hoc eſt, quod piſtillo deſcendente gradatim minuatur vis ipſum deprimens, prout ibidem obſervatum eſt; unde requiritur ut artificio aliquo proſpiciamus, ut decreſcente ſic vi motrice, reſiſtentia itidem minuatur, quo poſſit usque ad finem a dicta vi motrice ſuperari: quemadmodum in horologiis portatilibus vis inæqualis laminæ elaſticæ totam machinã moventis certa arte ita temperatur, ut per totum decurſum æquali facilitate rotarum reſiſtentiam vincat: longe vero commodius foret, ſi vis movens a principio usque ad finem ſemper remaneret æqualis. Nonnulla igitur in hunc finem jam pridem tentata ſunt, quo poſſet vacuum pulveris pyrii ope perfectum obtineri: ſic enim, nullo aere infra piſtillum reſiſtente, tota atmoſphæræ columna ſuper incumbens dictum piſtillum æquali vi usque ad fundum deprimeret. Sed fruſtra hactenus huic negotio inſudatum eſt, ſemperque quinta circiter pars aeris in tubo AA relinquitur poſt extinctã pulveris pyrii flammam. Alia igitur via finẽ eundem


dem

Digitized by Google

Digitized by Google

ad A. 1690. pag. 411.

Fig. 4. ad A. 1690
pag. 235.
emendatior.



Digitized by Google

dem aſſequi conatus ſum: quumq; ea ſit aquæ proprietas, ut exigua ipſius quantitas vi caloris in vapores converſa vim habeat elaſticam inſtar aeris, ſuperveniente autem frigore in aquam iterum ita reſolvatur, ut nullum dictæ vis elaſticæ veſtigium remaneat: facile credidi, conſtrui poſſe machinas, in quibus aqua mediante calore non valde intenſo, levibusque ſumptibus, perfectum illud vacuum efficeret, quod pulveris pyrii ope nequaquam poterat obtineri: inter varias autem conſtructiones, quæ in hunc finem fingi poſſunt, hæc mihi aptiſſima viſa eſt.

AA eſt tubus æqualis ubique amplitudinis, in inferiori parte exacte clauſus: BB eſt piſtillum huic tubo aptatum: DD manubrium piſtillo affixum: EE virga ferrea circa axem in F mobilis: G lamina elaſtica virgam ferream EE ita premens, ut dicta virga in hiatum H neceſſario intrudatur, ſtatim atque piſtillum cum manubrio ad eam altitudinem perductum eſt, ut dictus hiatus H ſupra operculum II emineat: L eſt foraminulum in piſtillo, per quod poteſt aer ex fundo tubi AA egredi, quum primum piſtillum in dictum tubum intruditur. Hujus inſtrumenti uſus hic eſt: infunditur tubo AA exigua aquæ quantitas ad 3 vel 4 linearum altitudinem; tum immittitur piſtillum & ad fundum usque impellitur, donec pars aquæ prius immiſſæ per foramen L regurgitet: tum obturatur dictum foramen virga MM: inducitur deinde operculum II foraminibus ad id neceſſariis pervium, admotoq; igne mediocri, brevi caleſcit tubus AA, utpote ex tenui metallo confectus, atque aqua intus in vapores converſa preſſionem exerit adeo validam, ut pondus atmoſphæræ vincat, piſtillumque BB ſurſum protrudat, donec manubrii DD hiatus H ſupra operculum II emineat, & virga EE cum aliquo ſtrepitu a lamina elaſtica G in dictum hiatum intrudatur: tum ſtatim removendus eſt ignis, & vapores, in tubo ex metallo tenui, frigore in aquam brevi reſolvuntur, tubumque aere prorſus vacuum relinquunt: converſa deinde virga EE, quantum ſatis, ut ex hiatu H exeat, manubrioque DD deſcenſum permittat: ſtatim deprimitur piſtillum BB totius atmoſphæræ pondere, motumque intentum cauſatur eo majori efficacia, quo major eſt tubi amplitudo. Neque dubitandum eſt, quin totum Atmoſphæræ pondus ſuas in tubis ſic comparatis vires exerat: experientia enim comprobavi, piſtillum ad ſummitatem usque tubi

TAB. X. *Fig. I.*

vi caloris elevatum, paulo poſt ad fundum usque iterum deſcendere, idque vicibus ſæpius repetitis, adeo ut nulla aeris infra prementis ſuſpicio oriri queat: meus autem tubus cujus diameter 2½ digitos non excedit, ſexaginta tamen libras in altum evehit eadem velocitate, qua piſtillum in tubum deprimitur; & tubus ipſe vix quinque uncias æquiponderat. Vix igitur dubito, quin confici poſſint tubi, quorum ſingulorum pondus vix 40 libras æquaret, & tamen bis mille libras ſingulis operationibus ad altitudinem 4 pedũ poſſent attollere. Expertus ſum præterea, quod tempus unius minuti ſufficiat, ut ignis mediocris piſtillum in meo tubo ad ſummitatem usq; propellat: quum autem ignis debeat eſſe proportionatus amplitudini tuborum, ingentes æque cito ferme ac exigui tubi calefieri poſſent: unde patet, quam immanes vires motrices hujus ſimpliciſſimi artificii ope obtineri queant, quamque levi pretio. Notum enim eſt, columnam aeris incumbentem tubo cujus diameter eſt unius pedis, æqui ponderare ferme bis mille libras; ſi vero diameter ſit duorum pedum, fere pondus fore octies mille librarum, & ſic in cæteris preſſionem augeri in ratione triplicata diametrorum: hinc ſequitur, quod ignis in fornace cujus diameter duos pedes tantiſper excederet, poſſet ſufficere ad 8000 libras ſingulis minutis elevandas ad altitudinem 4 pedum, ſi tubi tantæ altitudinis pararentur: ignis enim in fornace ex tenui ferro confecta poſſet ab uno tubo ad alium facile moveri, atque ita idem ignis continue in hoc vel illo tubo efficaciſſimum illud vacuum pararet. Si quis jam attendere velit ad magnitudinem virium hac ratione obtinendarum, & ad exiguos ſumptus ad comparandam ſufficientem ligni quantitatem requiſitos: fatebitur procul dubio noſtram hanc methodum uſui pulveris pyrii, de quo ſupra dictum eſt, longe eſſe anteponendam, quum præſertim vacuum hac ratione perfectum obtineatur, atque ita amoveantur incommoda ſuperius recenſita.

Quomodo jam vis illa ad extrahendam ex fodinis aquam aut mineram, ferreos globos ad maximam diſtantiam projiciendos, naves adverſo vento provehendas, atque ad alios ejusmodi uſus quam plurimos applicari queat, longum nimis foret hic recenſere: verum unusquisque, pro data occaſione, machinarum fabricam excogitare debet propoſito ſuo accommodatam. Hic tamen obiter annotabo, quot

bo, quot nominibus ad naves in mari movendas ejusmodi vis vulgaribus remigibus anteponenda foret: 1. enim vulgares remiges pondere ſuo triremem prægravant, ineptioremque ad motum reddunt; 2. multum loci requirunt, atque ita magno ſunt in navi impedimento: 3. non ſemper datur tot ejusmodi homines reperire, quot neceſſitas poſtulat: 4. denique remigibus ſive in alto deſudent, ſive in portu quieſcant, neceſſarium ſemper alimentum eſt ſuppeditandum, quo ſumptus non parum augentur. Noſtri vero tubi exiguo admodum pondere navem retardarent, ut ſupra dictum: exiguum quoque locum occuparent: poſſent etiam in ſufficienti quantitate facile comparari, ſi ſemel opificium in hunc finem extructum & inſtructum foret: ac denique pro dictis tubis nullum niſi operationis tempore lignum conſumeretur; in portu autem nullos ſumptus requirerent. Quoniam autem remi vulgares minus commode ab ejusmodi tubis moveri poſſent, adhibendi forent remi rotatiles, quales meminime vidiſſe in machina, Sereniſſimi Principis Ruperti Palatini juſſu, Londini conſtructa, quæ ab equis remorum ejusmodi ope in motum agebatur, quæque cymbam regiam ſedecim remigibus inſtructam longo poſt ſe intervallo relinquebat: ſic, procul dubio, remi axi alicui infixi commodiſſime circumagi poſſent a tubis noſtris, ſi nimirum manubria piſtillorum dentibus inſtruerentur, qui rotulas itidem dentatas axi remorum affixas neceſſario circumverterent; neceſſe foret duntaxat, ut tres vel quatuor tubi eidem axi applicarentur, quo poſſet ipſius motus ſine interruptione continuari: dum enim piſtillum aliquod ad fundum tubi ſui pertingeret, adeo ut non poſſet amplius axem circumagere, antequam ad tubi ſummitatem vi vaporum iterum propelleretur: poſſet ſtatim amoveri retinaculum piſtilli alius, cujus deſcendendo vis ejusdem axis motum continuaret: & ſic deinceps aliud adhuc piſtillum deprimeretur, vimque ſuam in eundem axem exereret, interea dum piſtilla prius depreſſa vi caloris ad ſummitatem iterum elevarentur, ſicque novam movendi dicti axis vim acquirerent, modo ſuperius deſcripto: unica autem fornax mediocri igne inſtructa ad omnia illa piſtilla ſucceſſive elevanda ſufficeret. Verum objiciet forſan aliquis, dentes manubriorum impactos dentibus rotarum aſcendendo & deſcendendo debere motus oppoſitos axi noſtro impertiri, atque ita piſtilla aſcendentia

 deſcen-

Digitized by Google

deſcendentium, aut deſcendentia aſcendentium motum impeditura eſſe. Leviſſima vero eſt hæc objectio: notiſſimum enim eſt apud automatopœos artificium, quo rotulæ dentatæ axi ita affiguntur, ut verſus unam partem circumactæ axem neceſſario ſecum ducant; at verſus alteram partem circumeuntes nullum eidem axi motum impertiantur, ſed illum motu oppoſito liberrime circumverti permittant. Præcipua igitur difficultas conſiſtit in obtinendo opificio illo ad prægrandes tubos facili negotio confingendos, prout in *Actis Erud. A. 1688 menſ. Sept.* fuſius dictum eſt: atque ad illud procurandum nova hæc machina non leve debet incitamentum ſuperaddere, quippe quæ demonſtrat luculentius, tales tubos prægrandes ad plurimos inſignes uſus commodiſſime poſſe adhiberi.

VETERA MONIMENTA, IN QUIBUS PRÆcipue Muſiva opera, ſacrarum profanarumque ædium ſtructura, ac nonnulli antiqui ritus Diſſertationibus Iconibusque illuſtrantur, autore Joanne Ciampino Romano, Magiſtro Brevium Gratiæ &c. Pars prima.

Romæ, apud J. J. Komareck, A. 1690. in fol. Conſtant plagulis 82. & tabulis æneis 77.

OPus hoc ALEXANDRO VIII. P. M. Romæ nunc ſedenti, poſtque hunc & PETRO OTTHOBONO Cardinali & Romanæ Eccleſiæ Vice-Cancellario, celeberrimus Ciampinus dedicavit, imitatus Cardinalem Baronium, qui in ſingulis ferme Annalium ſuorum Tomis, poſt epiſtolam ſummo Pontifici nuncupatam, alteram alicui ex Presbyteris ſeu Diaconis Cardinalibus inſcribere conſuevit. Occaſionem id operis condendi Ciampino dedit Vir quidam genere & ingenio prænobilis, qui Italiam peragrans etiam Romam pervenerat, accuratius univerſa tam ſacræ quam profanæ antiquitatis Monimenta luſtraturus. Is cum Joannem Lucium, Virum cum aliis libris editis, tum Hiſtoria imprimis Regni Dalmatiæ non parum gloriæ indeptum, ſæpiſſime ſalutaſſet, deque variis antiquitatibus eruditos cum illo ſermones contuliſſet, evenit tandem, ut de Muſivis quoque operibus, & de iis quidem potiſſimum, quæ in urbis Romæ Eccle-

Eccleſiis hodieque viſuntur, oborta fuerit quæſtio. Tum Lucius anſam hanc arripiens, ex theſauro eruditionis ſuæ mox liberaliter expromebat, quicquid ejus rei ſibi cognitum fuerat atque exploratum; quin & autores indicabat, qui plura de rebus id genus tradiderant, eorumque ſcripta cum Imaginibus adhuc Romæ extantibus cum cura conferens, exteri illius neſcio cujus ſtudium oculari experimento excitare ſatagebat. Plerisq; αὐτοψίαις adfuerat clariſſimꝰ Ciampinus, quia libraria ipſi cum doctiſſimo ſene Lucio amicitia intercedebat. Lucii itaq; exemplo allectus, qui imaginum tantum faciem, ſtatumque, qualem Muſiva opera adhuc obtinent, paucis expreſſerat, cœpto hujus operi non icones modo picturarum Muſivarum, ſed deſcriptiones etiam illarum atque interpretationem adjecit, & quia de templorum erectione agendum ſubinde erat, ævum quoque picturarum & fundationem Eccleſiæ cujusque, aliaque ad brevem ejus hiſtoriam pertinentia deſcripſit, ut non officioſus tantū in Lucii optimi cineres videretur, ſed & aperte inſimul ſacrarum imaginum cultum, cui hodieque vacant Romanenſes, ſeculis ante actis Religioni Pontificiæ familiarem admodum fuiſſe, commonſtraret. Cæterum opus, quod adornare aggreſſus eſt Autor, in quatuor diſtinxit partes. In prima hac, quæ nuperrime prodiit, prolegomena primum præmittuntur de variis Ædificiorum ſacrorū tam apud Ethnicos, quam Chriſtianos uſitatorum generibus, dein ipſorum Muſivorum operum origo, materia & compoſitio exponitur, quorum nonnulla in quinto reparatæ ſalutis ſeculo concinnata fuere. In II parte ſermonem ſibi fore de illis indicat, quæ a VI usque ad X ſeculum; in III, quæ ab XI usq; ad XV fuerunt confecta: in IV deniq; ea ſe perſecuturū, quorum ætas dubia eſt: omnia ad hæc usque tempora permanentia, partim corrupta paulum ob vetuſtatem, pleraque adhuc illæſa. Quod primam hanc operis partem attinet, ea XXVIII abſolvitur capitibus. In I. agit Autor de ſacrorum ædificiorum ſtructuris tam apud Ethnicos, quam apud antiquos Chriſtianos; & ſpeciatimquidem de ſacris ædificiis apud Romanos. Hæc cum Lege 25. Cod. Theodoſ. ſub titulo: *de Paganis ſacrificiis & templis*, in Paganorum fana, templa & delubra dividantur, ſingularum vocum harum etyma excutit, formasque deinceps templorum antiquiſſimas in ære exhibet; cumque ſecundum Vitruvium ſpecies ſeu formæ templorum ſint iſtæ: Antes, Proſtylos, Amphiproſtylos, Peripteros, Pſeudodipteros,

pteros, Dipteros, Hypæthros; has omnes quoq; ichnographice repræſentat; nec intactas relinquit ædes Chriſtianorum ſacras, quæ hodieq; Baſilicæ appellantur; quin & harum formam ſiſtit multimodis, Baſilicæ inprimis Seſſorianæ, Baſilicæ S. Pauli, & Baſilicæ S. Clementis; de Baſilica etiam S. Mariæ in Coſmedin, alias Scholæ Græcæ, plura dicturus, niſi id feciſſet D. Abbas *Carolus Bartholomaus Piazza*, Eccleſiæ ejuſdem Archipresbyter, in tractatu ſuo *de Titulis ac Diaconiis EE RR. DD. Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium*, propediem typis mandando. In cap. II Eccleſias ipſas introſpicit Ciampinus, ſingularesque illarum partes ad ſacra publica peragenda pertinentes perluſtrat, ritibus quippe Eccleſiaſticis eruendis explicandisque vel maxime in hoc opere, prout ipſe profeſſus in limine eſt, intentus; cumque Eccleſia S. Clementis jam dicta partes omnes propemodum adhuc ſervet integras, hujus potiſſimum intrinſecas partes accurate percenſet. Extimas autem templorum partes non plane præteriturus haud præter rem præmonet, Architecturam, labentibus jam cum Romano Imperio bonis artibus, a veteri illa dignitate immane quantum dilapſam eſſe; atque hinc ædificia aliaque opera hodie conſpici, quorum partes aliæ elaboratiſſimæ ſint ex veteribus reliquiis, aliæ rudes atque inconditæ a novis cæmentariis potius quam architectis coagmentatæ. His præmonitis ichnographiam Eccleſiæ S. Clementis ob oculos ponit in ære adumbratam, & occaſione Navium (ita enim ſtationes Eccleſiæ vocantur) tum ex Baronio, tum ex Amalario, Scriptore Eccleſiaſtico, demonſtrat, fœminas a viris in Eccleſia fuiſſe ſeparatas, imo & virgines disjunctim ab aliis orantes conſtitiſſe, adductis etiam aliunde templorum horum talium exemplis abs *Gaſpare del Torto* Patritio Piſano, & Abbate *Franciſco Blanchino* ſecum communicatis. Ex partibus autem Eccleſiæ dictæ, quæ omnes æri inciſæ exhibentur, principales & magis conſpicuæ ſunt hæ: Altare majus ſub Ciborio, Cathedra epiſcopalis, Presbyterium, Sanctuarium, Chorus pro Subdiaconis Clericisque minoribus & Cantoribus, Ambo, Senatorium, Matronæum, Navis ſeu locus virorum, Navis mulierum, Navis Catechumenorum virorum, Navis Catechumenarum mulierum &c. In III cap. diſſerit Ciampinus de nonnullis antiquis ornamentis ſive hieroglyphicis, Eccleſiarum ianuis apponi ſolitis. Et ſpecialiter quidem explicat I. Januam Eccleſiæ S. Pudentianæ, quæ inſculptas præ ſe fert

ſe fert quinque imagines, Agni nempe cruciferi in medio, ſupra Pudentianæ, & paſtoris vel presbyteri, infra ſororis Praxedis, & Pudentis patris qui Senatorii fuit ordinis; II. Januam S. Laurentii in Agro Verano, in cujus infimis oris, ſeu poſtium extremitatibus Leo viſitur; qua occaſione morem Leonem foribus appingendi altius, imo ex antiquitate Ægyptiorum repetit, Leonem quippe qui coluerunt, eo quod Sole Leonem ingrediente Nilus exſtagnare ſoleat; quanquam per idem hieroglyphicum, Chriſtianos per januas iſtas templum intrantes vigilantiæ debitæ admoneri potuiſſe, non abnuit. In cap. IV deſcribit Autor valvas æneas in Eccleſia S. Pauli extra muros Urbis in via Oſtienſi conſpicabiles, quæ cum conſtet LIV tabulis, quæ imagines Chriſti, Apoſtolorum & Prophetarum præ ſe ferunt cum Græcis inſcriptionibus, ſed oppido corrupte ſcriptis, easdem omnes breviter exponit. In V cap. agitur de æneis valvis in Vaticana Baſilica extantibus. Fuerunt hæ primum argenteæ ab Honorio P. M. qui floruit A.C.626. conſtructæ, ſed direptæ a Saracenis A.846; reſtitutæ poſtmodum, tabulisq; argenteis decoratæ a Leone IV; quæ cum & ipſæ periiſſent, æneæ factæ ſunt ab Eugenio IV, & cælaturis exornatæ, ſed a Paulo V ſic reſtauratæ, prout hodie viſuntur, & a Ciampino repræſentantur. In his præter Salvatoris ac S. Mariæ, Petri item & Pauli imagines aliaque, in duabus areolis vel parallelogrammis ſuperioribus exprimuntur actiones Concilii Florentini, auſpiciis Eugenii IV, & Johannis Palæologi Imperatoris Conſtantinopolitani A.1438 celebrati: in duabus inferioribus legatio Æthiopum, ut & Chaldæorum & Maronitarum ad eundem Eugenium facta; ſub quibus areolis & ſuſpenſio S. Petri, & decollatio S. Pauli conſpicitur. In VI tractat de antiquis valvis æneis Primatialis Eccleſiæ Piſarum, quæ XXIV conſtat tabulis, hiſtorias ſacras de Chriſto, & Maria ejusque aſſumtione exhibentibus, quas conflatas ante annum milleſimum fuiſſe Ciampinus exiſtimat. Caput VII occupatum eſt in recenſendis nonnullis ornamentis, quæ erant in Baſilica Siciniana, poſtea S. Andreæ in Barbara appellata. Hujus tabularum in una, quæ XXI eſt, areolæ quædam hiſtoriis carent, quædam hiſtoriis ſunt inſignitæ, quas de M. Antonio Triumviro Autor interpretatur, ut & tabulam XXII, XXIII & XXIV; non item

Digitized by Google

ultimam hujuſce VII capitis: nam illa in ſuperiori parte Petrum & Paulum ad populum verba facientes, in inferiori hinc Petrum cruci affixum, inde Paulum decollatum exhibet. In cap. VIII. oſtendit Autor, quomodo ex ſtructura & cæmentis, conſtructionis ædificiorum tempus argui poſſit. Habent enim ſaxa, æra, lapides, aliaque vetuſta id genus monumenta voces veluti ſuas, quibus non geſta tantum majorum, ſed & originem ætatemque ſuam bene advertentibus absque literis inſinuant. Sunt autem antiquiſſima Romanorum Regum ædificia, quorum rudera adhuc cernuntur, ex Gabinis ſeu Albanis quadratis lapidibus conſtructa, v. g. Aquæductus Anci Marcii, & Cloaca maxima Tarquinii Priſci. Regibus expulſis orta eſt ſtructura *reticulata* dicta, quia veram retis extenſi mentitur formam. Hanc excepere (loquimur ex mente Ciampini) opera lateritia. Nam talia ſunt Pantheon, Templum Pacis, Palatium Imperiale, Thermæ, Mœnia Urbis, & alia multa ab Imperatoribus ædificata. Sed poſteaquā Italia ab extraneis nationibus fuiſſet devaſtata, novum ſubortum ſtructuræ genus, quod ad Caroli M. usque tempora fors viguit, ſiquidem fabricæ illa ætate conſtructæ alternis ordinibus conſtant tophorum, & ſilicum, & marmorum cruſtis ad duorum circiter laterum craſſitiem conciſis; quem in modum erectæ hodieque conſpiciuntur, intra urbem quidem Turris Comitum, extra urbem Turris Virgata vel variegata. Marmoris vero affluentia enata e diffractis Romæ idolis, Theodoſio inprimis M. imperante. Longo poſt tempore, cum faſces imperii Carolus M. capeſſiſſet, modus ædificia ex tophis vel lateribus ſtruendi reviruit, donec paulatim cum cæteris artibus Architectura quoq; labi in deterius cœpit. In cap. IX diſquirit Autor, quomodo ex numero, amplitudine ac forma feneſtrarū tempus, quo ædificia conſtructa ſint, deduci valeat. Feneſtrarum autem aliæ amplæ ſunt, aliæ anguſtæ in templis. Utramq; formam vetuſtam agnoſcit Ciampinus, ſed anguſtas feneſtras tribuit templis Monachorum, ſolitudine & ſilentio delectantium, amplas vero & laxas templis Clericorum, quos vocant, ſecularium, pro totius quippe populi conventu ita ſtructis, ut ceremoniæ ſacræ conſpici ab omnibus poſſent. In cap. X agere Autor tandem incipit de Muſivis operibus, & quidem primum de Muſivorum operum origine, nominibus & ſpeciebus. Originem illorum ex Perſia arceſſit, quia Eſther

Eſther cap. I legatur, Aſſuerum Perſarum Regem ſmaragdino ac Pario lapide pavimentum ſtraviſſe, quod lapillis verſicoloribus arte mira diſpoſitis compoſitisque picturam fuerit æmulatum. Inde nimirum opificium illud elegans ad finitimos Aſſyrios, ab his ad Græcos, & ita in Latium quoque, & Syllæ quidem temporibus, ubi Plinium ad partes vocat, non ſine jugi decoris incremento traductum fuiſſe Autor colligit. Circa etymon vocis notat, Muſivum opus aliis dici *Moſibum*, aliis *Muſaicum*, *Muſeacum*, & *Moſiacum*; deinde aliis *Muſivum* dici a Muſa, quod eximiæ artis ſit opus, aliis a muſcis, aliis ἀπὸ τοῦ μουσικοῦ, i. e. muſico cantu, vel ab Hebræa radice מסך *miſcuit*, quia mixturæ ſignificatio quam maxime huic arti ſit conſentanea. Plinio *lithoſtrata* vocari ejusmodi opera, ſed ſenſu ſpeciali, nec alia intelligi quam Muſiva, & *teſſellatis*, *ſectilibus* & *vermiculatis* operibus conformia. Eſt autem opus *teſſellatum*, quod e diverſis verſicolorum marmorum cruſtis in varias formas reſectis elaboratur; *ſectile*, in quo tribus aut duobus tantummodo diverſorum colorum marmoribus hominum & animaliũ figuræ repræſentantur; *vermiculatum*, quod e minutis lapillis ſic efformatum eſt, ut vermium aſpectum cominus exhibeat. Ob diverſam itaque lapillorum magnitudinem Muſiva opera alia majora, alia media, alia minima vel vermiculata ſunt dicta, quorum ſingulorum exempla hoc ipſo capite a Ciampino & referuntur, & ichnographice repræſentantur. In cap. XI lectorem docet Autor, quanam ex materia Muſiva opera componantur, & quomodo ipſæ materiæ præparentur. Duo nempe ad operum Muſivorum compoſitionem requiruntur, lapilli videlicet & gluten. Ex lapidum certe cruſtis antiquiora Muſiva opera conſtiterunt, teſte Scriptura ſacra & Plinio, ut ſupra jam obſervatum fuit. Sub Auguſti autem tempora, pingi cœpere nobiliores ex vitri fruſtulis encauſtico opere varie coloratis imagines. Quis hanc artem vitrariam, vel ut alii vocant, vitrificatoriam invenerit, latere Autor ait ob antiquorum ſilentium; Nerium tamen allegat, qui luculenter ea de re ſcripſerit. Tacere autem hoc loco non poſſumus, extare hodieque in Bibliotheca Paulina Lipſienſi codicem membraneũ MSCtum *Theophili* Monachi *de coloribus & arte colorandi vitra*, qui & inter libros Medicos n. 21. recenſitus eſt a clariſſ. Fellero noſtro in Catalogo Codicum MSCtorum Paulinorũ p. 255, qui eundem codicem &

inter

inter rariora Paulinæ MSCta in præfatione ad Lectorem retulit. Eſt autem iſthoc libri initium: *Theophilus humilis presbyter, ſervus ſervorum Dei, indignus nomine & profeſſione monachi, omnibus mentis deſiderantibus vacationem utili manuum occupatione & delectabili novitatum meditatione declinare &c. retributionem cœleſtis pramii* &c. Libri hujus Artis Vitrariæ ſunt tres, I *de coloribus & eorum mixtura*, XXXVIII conſtans capitulis; II *de conſtructione furni ad operandum vitrum, & inſtrumentis hanc in rem neceſſariis*, qui XXXIV capitulis abſolvitur, quorum XIX eſt *de vitro, quod Muſinum* (ita enim ſemper in hoc libro legimus, non *Muſivum*) *opus decorat*; III de *limis*, *de vaſculis ad liquefaciendum aurum*, & *de nigello imponendo & poliendo*, ſed in quo reliqua capitula poſt ſeptimum deſiderantur, quemadmodum & in libro II capitula quinque, XII nempe, XIII, XIV, XV & XVI deeſſe deprehenduntur. Sed hoc obiter indicaſſe ſufficiat, ne ſolus Antonius Nerius ſcripſiſſe de hac arte videri queat. Ad Autorem ut redeamus, is expoſito, quomodo maſſa vitri in fruſta dividatur, coquatur, elongetur & poliatur; confectionem quoque glutinis, quod Italice *Stucco* dicitur, in eodem cap. XI deſcribit, additque in cap. XII, quid requiratur ad Muſivi operis pulchritudinem & elegantiam, picturam innuens, quam Muſivarius lapillorum diſpoſitione æmulari debeat. In XIII differit de Monogrammate L, & de nonnullis aliis literis ſeu ſignis in veſtium fimbriis antiquitus pingi ſolitis. Vocat autem Monogramma literam unam veſtibus inſertam, unde & *veſtes literatæ* appellantur; etſi alii accipiant pro literis inter ſe ita diſpoſitis, ut nomen alicujus in compendio denotent. Talia monogrammata, præter L, in vetuſtis imaginibus conſpiciuntur & alia, in hoc capite producta. Per has notas cum alii Chriſtum cæteroſque ſanctos, aut nomen Muſivarii, aut quæcunque alia indicari exiſtiment, Ciampinus productis omnium ſententiis id opinionis fovet, literas & characteres in veſtibus originem ſuam habuiſſe ab antiquo more, qui etiam adhucdum obtinet, pannos omnes ſignandi effigie aliqua ſeu nota, quæ Italice *Marco* ſive *Impronta* textoribus nuncupatur, literaſque adeo iſtas veſtibus Apoſtolorum aliorumque intextas nihil aliud indicare, quam nomen artificum ſeu inſigne in eorundem officinis publico conſpectui exponi ſolitum. Quamvis enim

opponi

Digitized by Google

opponi ſibi poſſe videat, literas & ſigna illa pannorum recidi hodie a ſartoribus, veteres tamen vix alia niſi inconſutilia pallia geſtaſſe contendit, ut nulla adeo ſartorum reſectione fuerit opus: ubi præter duplicem texendi modum, quorum alter ſedendo, alter ſtando perficitur, duos textores laudat Romæ adhuc viventes, *Franciſcum Mariam Granchi*, natione Florentinum, & *Franciſcum Guiot*, natione Burgundum, qui æque ac veteres induſia ſine ulla ſutura posſint conficere. In cap. XIV ſatis prolixe agit de Coronis, aliisq; capitis ornamentis, ſertis ſcilicet, diadematis, & meniſcis ſeu circulis Chriſti & ſanctorum capitibus apponi ſolitis, quorum originem accerſit cum Pignorio & Kirchero a Gentilibus, qui Cæſaribus Heroibusque aliis hac ipſa nota divinitatem adſcripſere; rejecta Salmuthi ſententia, meniſcos erroribus pictorum tribuente, qui tegumenta, ad avium ſtercora ſubmovenda ſtatuis ſuperimpoſita, in pictis etiam imaginibus adhibuerint. In XV de antiquo Baculorum uſu & ſymbolo. Nam & in Muſivis operibus ſæpius Angelorum & Sanctorum figuræ baculos manu tenentes advertuntur. Itaque uti in antegreſſo capite de Coronis, quales Muſiva opera oculis exhibent, fuſe admodum diſſeruit Autor, ita in hac quoque in originem Baculorum inquirens, eam ab Orientalibus repetit, certisque Scripturæ locis de baculo allegatis, uſum baculi Eccleſiaſticum exponit, disquiritque inter alia, cur Cantores in eccleſiis Gallicanis pileo tecti per chorum incedentes baculos manibus geſtaverint; quod ſint videlicet veluti tubicines ad pugnam ſacram incitantes, una manu tabulas Muſicas, altera baculum tenentes, caputque pluviali obtegentes. Agit autem & ſpeciatim de baculis Abbatum, Epiſcoporum, & veterum Pontificum (nam circa medium ſeculi XII geſtari a Pontificibus deſierunt, obſervante Ciampino;) de baculis item adhuc ſuperſtitibus, S. Petri puta apud Trevirenſes, S. Auguſtini in Valentia civitate Hiſpaniarum, S. Iſidori apud Bononienſes, S. Hermagoræ apud Aquilejenſes, S. Vedaſti apud Cameracenſes. Nec prætermittuntur baculi Imperatorum ſeu ſceptra, quæ ſemper ſupremæ in populos poteſtatis fuere inſignia; & quoniam in Muſivis operibus etiam Angelis baculi fuerunt dati, cauſam hujus rei depromit ex Apoc. XXI, 15, ubi Johannes Theologus Angelum vidit, qui *arundinem* habebat *auream, ut metiretur civitatem &*

 portas

Digitized by Google

portas ejus. In XVI de Evangeliorum volumine, & quanta ejus apud Fideles fuerit veneratio, multa affert Ciampinus. Et hæc quidem ſatis elucet ex Evangelii deoſculatione, obſignatione, ornatuque gemmeo atque aureo, quodque non in templis tantum in loco editiori, ſed in tribunalibus quoque repoſitum fuerit. Venerationem auget, quod Reges ipſi quandoque, habitu regio depoſito, Evangelium tanquam Diaconi legerint; quodque lectio ejus a ſtantibus tam maribus quam fœminis audita fuerit; item, quod Equites olim Poloni, jubente ſic Micislao, in ipſa lectione Evangelii gladios in ultimum defenſionis ſignum ſtrinxerint, eos rurſum, reſpondente choro, recondentes. In XVII contra Acatholicos, quos vocat, ſuffragiis Patrum aliorumque demonſtrare nititur Ciampinus, in tribus primis Eccleſiæ ſeculis, perſecutionum videlicet tempore, publica fuiſſe ædificia, in quibus Chriſti Fideles ſacras ſynaxes peregerint; cumque alienati fratres (ita enim Acatholicos vocare inſtituit Autor) non abnuant, Chriſtianos illorum temporum in cryptis ſubterraneis & cæmeteriis conveniſſe, de cryptis id negat ob inſalubritatem incommoditatemque aeris, conveniſſe autem ait in ædiculis ſupra vel juxta cæmeteria erectis, quæ vel Eccleſiæ, vel Oratoria, vel aliter fuerint appellatæ. In XVIII longum texit catalogum Eccleſiarum in tribus primis ſeculis per univerſum orbem a Fidelibus extructarum, quarum LXXX circiter ab A. C. 33. usque ad A. 275. recenſentur. In XIX formæ ſepulchrorũ ob oculos ſiſtuntur, tam apud Ethnicos, quam Hebræos & antiquos Chriſtianos, dividunturque ſepulcra in ſumptuoſa, mediocria & humilia. Inter prima referuntur 1. Ægyptiorum Mauſolea & Pyramides; qua occaſione aliquot ſepulcrorum Memphi adhuc extantium orthographia h. l. ſiſtitur. 2. Hebræorum ſepulcra quædam; nam & Prophetis ac viris juſtis, licet pauperibus, tumuli non humiles ſumptibus publicis ſunt erecti. 3. Romanorum ſplendidiſſima ſepulcra, Mauſoleum inprimis Auguſti in Campo Martio, Mauſoleum Hadriani, Pyramis item Caji Ceſtii & Scipionis; & duæ columnæ, Trajani altera, in qua Dacici belli, altera Marci Aurelii Antonini, in qua belli Germanico-Sarmatici hiſtoria anaglyphice expreſſa eſt. Formis ſepulcrorum magnificorum externis exhibitis, ſiſtuntur & internæ. Cæterum cum Geniis quoque ſacella ſtructa in ſepulcris fuerint, ſacrificia quoque iisdem

fuiſſe

Digitized by Google

fuiſſe oblata, adductis aliquot vetuſtis Inſcriptionibus, oſtendit; perſuaſiſſimusque penes animum eſt, Chriſtianos id moris Ethnici fuiſſe imitatos, qui & ipſi tumulis ædificia ſuperſtruxerint, quæ vel Memoriæ, Conciliave Martyrum, vel Martyria, Confeſſionesque ſint appellata; quorum ſtructura varia & ære in ipſo conſpicitur, cum duabus Baſiliculis ſeu monumentis ſepulcralibus Baſilicarum ſpeciem reddentibus. In XX cap. Roma veluti egreditur Ciampinus, & Eccleſiam S. Agathæ Majoris in civitate Ravennate perluſtrat, opusque Muſivum exhibet ab Exuperantio ejusdẽ civitatis Epiſcopo constructum A. circiter 400; in quo Chriſtus cernitur throno inſidens, duoque ad latera Angeli alati ac baculos tenentes. In XXI deſcribuntur Muſiva opera in Eccleſia S. Sabinæ, a Cæleſtino I. P. M. anno circiter 424 concinnata, quæ inter cum & ſymbola quatuor Evangeliſtarum appareant, de his quoque diverſæ autorum ſententiæ referuntur. In XXII multa fatur Ciampinus de Liberiana ſive S. Mariæ Majoris Baſilica, ac antiquioribus Muſivis operibus in ea extantibus longe plurimis, a Xyſto A. 433. concinnatis. Ex his vel maxime eminet Arcus triumphalis, quẽ & ipſum ex more Gentilium in templa Chriſtianorum, in honorem videlicet Chriſti triumphatoris, invectum eſſe Autor veriſimiliter ſtatuit. Sedit autem Xyſtus Romæ illo tempore, cum hæreſis Neſtorii, qui Mariam Deiparam non agnoſcebat, paſſim ſerperet; unde ſupra arcum hiſtoriæ ſacræ novi Teſtamenti, e quibus divinitas Chriſti demonſtrari poteſt, Muſivo opere ſunt expreſſæ. Et hinc brevis Neſtorianæ hæreſeos enarratio huic ipſi capiti inſerta eſt. In cap. XXIII Autor agit de Eccleſia S S. Nazarii & Celſi, vulgo Gallæ Placidiæ, ac operibus Muſivis ab eadem Galla Placidia A. 440. conſtructis. Erat autem Placidia hæc Imperatoris Theodoſii Magni filia, Cæſaris Conſtantii uxor, & mater Valentiniani III. In XXIV de majori arcu triumphali, Muſivo opere in Baſilica S. Pauli via Oſtienſi A. 441 ædificato, in quo Chriſtus in arcus culmine, 24 Seniores ex Apocal. IV ex utroque latere cum coronis cernantur. In XXIV de Eccleſia S. Johannis in Fonte, quæ eſt in civitate Ravennatenſi, a Neone ejusdem civitatis Epiſcopo A. 451. muſivo opere exornata. Hic itidem arcus exhibetur, fonti baptiſmali Ravennatenſi ſuperſtructus cum tholo, in quo Chriſtus a Johanne Baptiſta baptizatus in centro, duodecim vero Apo-

ſtoli

Digitized by Google

ſtoli in centralibus figuris Muſivo opere repræſentantur. In cap. XXVI de Oratoriis SS. Johannis Baptiſtæ & Evangeliſtæ in Lateranenſi baptiſterio, ac Muſivis operibus in iisdem oratoriis contentis, & A. 462. Hilario Papa jubente elaboratis. In XXVII de profanata Eccleſia S. Andreæ in Barbara, ſeu Cata-Barbara Patritia, olim Baſilica Siciniana ad Liviæ Macellum ſita, ac muſivo opere nuper in ea extante a Simplicio Papa decorata. In cap. XXVIII & ultimo de Eccleſia S. Agathæ in Subura, ejusque Muſivo opere, olim in ea a Fl. Ricimero circa annum Domini 472 conſtructo. Quid *Subura* vel *Suburra* ſit, & quo in loco Romæ fuerit ſita, operoſe hic disquirit Autor, quem vide. Potuiſſemus equidem & hæc & alia plura excerpere. Nam & alia hinc inde in hoc opere ab Autore elucidantur, ad ritus veteres Eccleſiaſticos pertinentia; id quod vel index rerum ac verborum in eo contentorum ſub finem annexus ſat loquitur. Nos iſta excerpſiſſe contenti, Illuſtriſſimo Ciampino vires corporis animique firmas ac vegetas apprecamur, ut non reliquas tantum tres partes de Muſivis operibus, ſed & tractatus alios, quos ſub manu habet, in publicum poſſit emittere.

LIBRI NOVI.

Ulrici Huberi Prælectionum Juris Romani Pars III, quæ eſt ad libros unum & triginta poſteriores Pandectarum. Franequeræ, apud H. Amama 1690. in 4.

Thomæ Stanleji Hiſtoria Philoſophiæ orientalis. Amſtelod. apud viduam Swart. 1690, in 8.

An Eſſay concerning Humane Underſtanding. London, 1690. fol.

Supplement à l' Hiſtoire Metallique de la Republique de Hollande. A Amſterdam chez P. Mortier, 1690. in 8.

Critique ou Examen des Prejugez de Mr. Jurieu contre l' Egliſe Romaine &c. par Mr. L' Abbé Richard. A Paris, chez Elie Joſſet 1690, in 4.

Journal du Voyage fait à la mer du Sud, par le Sr. Raueneau de Luſſan. A Paris chez J. B. Coignard, 1690, in 12.

ERRATA quædam.

Pag. 537. l. 24. pro *570* lege *580*. P. 347. l. 2. pro *XVI* lege XVII. P. 355. l. 2. pro *Chriſtianæ* lege *Chriſtinæ*. Eam die $\frac{17}{27}$ Julii filiam Chriſtinam enixam eſſe, nuperrime accepimus. P. 366. l. 24. pro *Wilhelmi* lege *Wolfgangi*. P. 364. l. 20. pro *fide pulchra* lege *moribus pulchris*.

Digitized by Google

ACTA ERUDITORUM

publicata Lipſiæ

Calendis Septembris Anno M DC LXXXX.

ANNUS ET EPOCHÆ SYRO-MACEDONUM in vetuſtis urbium Syriæ nummis, præſertim Medicæis, expoſitæ. Additis Faſtis Conſularibus *Anonymi omnium optimis, e codice MS. Bibliothecæ Cæſareæ, Autore* F. Henrico Noris *Veronenſi Auguſtiniano, Sereniſſ. M. Ducis Etruriæ* Coſmi III. *Theologo & in Academia Piſana S. Scripturæ & Eccleſ. Hiſtoriæ Profeſſore.*

Florentiæ, typis Seren. Magni Ducis prope Conductam, 1689, in 4.

Conſtat alphab. III. & plagulis V. chartæ auguſtæ.

TAndem ergo in lucem prodiit opus totius literati orbis applauſu dignum, quod non uno anno ſub prælo gemuit. Verum typorum, chartæ, iconumque æri inciſarum elegantia, ac, quod præcipuum eſt, difficillimum argumentum incredibili, eoque feliciſſimo, ſtudio atque labore pertractatum moram illam abunde compenſant. Primariam equidem voluminis partem, quæ *de anno & epochis Syro-Macedonum* agit, abſolverat Autor Florentiæ A. C. 1687. d. 29. Auguſti, natali ſuo LVII. At, qui ei acceſſerunt, *Faſti Conſulares* & *de numo quodam Herodis commentarius*, in cauſa fuere, quod liber ille conſummatiſſimus non niſi ante paucos abhinc menſes publici juris factus ſit, moxque illuſtris humaniſſimique *Magliabechii* beneficio ad nos devenerit.

EPOCHÆ quas diximus, *Syro-Macedonicæ* quinque diſſertationibus explicantur; quarum PRIOR *annum & menſes Macedonum* generatim contemplatur. Obſervatur heic, Aſiam, a Macedonibus auſpiciis Alexandri Magni ſubactam, annũ horum eorundem-

que menſium nomina admiſiſſe. Inchoabant autem Macedones illi Aſiani annum Solarem non a ſolſtitio brumali, uti Romani, nec, Attico more, ab æſtivo ſolſtitio, ſed ab autumnali æquinoctio. Menſium primum fuiſſe Dium, Hyperberetæum ultimum, contra Scaligerum & Petitum evincit Noſter. Quum vero antiquitus Lunares tantum anni, 360. diebus conſtantes, toto paſſim orbe in uſu eſſent, controverſia enaſcitur, quo tempore Macedones Lunaribus Solares ſurrogarint, id quod apud Romanos A. V. C. DCCVIII, Julii Cæſaris Dictatoris ac P. M. autoritate contigiſſe, neminem latet. Jacobus Uſſerius Armachanus in *de Macedonum & Aſianorum anno Solari* diſſertatione, (*Annalibus V. & N. T.* Bremæ A. 1686 recuſis adjecta) autor fuerat, Macedones inter annum II. Olympiadis CVIII, ac itidem II. Olympiadis CXI. (quo Alexander ad Granicum Perſas devicit,) menſes ſuos ex Lunaribus Solares effeciſſe, annumque adeo dierum 365¼ eſſe voluiſſe. Hinc in diagrammate cap. IV. menſes aliquot tricenarios, aliquot dierum 31. fuiſſe, ſtatuerat. At, ſi Noriſium, veteresque autores magno ei numero laudatos, audias, hæc dierum in menſibus Macedonicis diſpoſitio trecentis fere annis ab obitu Alexandri a Macedonibus, Aſiam Proconſularẽ incolentibus, poſt receptam anni Juliani formam, invecta fuit, cum antea apud eosdem ſinguli quique menſes fuerint tricenarii. Diſtinctius dein menſes Macedonici tum Aſiæ *ultra Euphratem*, tum *Minori* vindicantur. *Parthorum* monarchas, utut Macedonum adverſarios, iis uſos eſſe, ex numo a Triſtano repræſentato dudum patuit, ubi Gorpiæi menſis injicitur mentio. Quod *Aſiam* autem *Minorem* attinet, innumeris ea Macedonum coloniis ſcatuit. Unde hanc ſuam originem diffiteri noluerunt Docimenſes in numo rariſſimo, cujus typum e Gaza Medicæa publicavit Noriſius, Harduinus autem in Addendis ad numos populorum & urbium deſcripſerat. In antica parte Imperatoris nomen legitur AT. KAI. M. AT. ANTΩNEINOC, i. e. *Imperator Cæſar Marcus Aurelius Antoninus*. In poſtica viſitur Cybele Dea leoni inſidens, cum lemmate: MAKEΔONΩN ΔOKIMEΩN, i. e. *Macedonum Docimenſium*. Docimia urbs erat in Phrygia, a Docimo forſan, Antigoni Regis Præfecto, conditore ſuo aut inſtauratore, id nominis conſecuta. Quamvis vero Aſia illa minor, anno ab Alexandri M. contra Perſas expeditione CXLIV, urbis

Romæ

Romæ 564, (Antiocho III. Magno Rege Syriæ circa Magneſiam ad Sipylum victo,) Romanorum imperio adjecta & *Proconſularis* dein dicta fuerit, menſium tamen nomina retinuit; etiam ex quo anni Solaris formam Julianam recepit: quemadmodum vel ex Smyrnenſium epiſtola liquet, de martyrio Polycarpi, qui paſſus fertur d. 2. *Xanthici*, i. e. 23. Februarii. His præmiſſis, ad argumentum ſpecialius acceditur, monſtraturq; a Noriſio, & SYROS a Macedonibus victos tantum non omnes (exceptis Judæis) annũ & nomina menſiũ Macedonica admiſiſſe, & iſtum quidem iniiſſe ſub initium autumni, non tamen ubivis locorum eodem die. Quemadmodum igitur Syri ab Aſiæ minoris incolis diſſenſerunt, quod illi initium anni ſtatuerent Hyperberetæum; hi vero menſem, qui iſti proximus eſt, Dium: ita Syri non leviter a ſe invicem diſſederunt, cum Hyperberetæum Antiocheni & Cæſarienſes in Palæſtina Kalendis Octobris auſpicarentur, Tyrii d. 19. Octobris, alii d. 24. Septembris. Inſignis heic lux affunditur *Joſepho*, in libris de bello Judaico Syromacedonum menſes ſæpius memoranti. *Scaliger*, *Baronius*, *Uſſerius* putarunt, intelligere illum menſes Syrorum Solares, cum Romanis pari dierum numero decurrentes. *Petavius* autem, *Bucherius*, *Langius*que menſes Judaicos Lunares nominibus menſium Macedonicorum indigitatos, opinati ſunt. Poſteriori ſententiæ calculum adjicit *Noris*, ac eandem exemplis clariſſimis confirmat. Exceptionem tamen requirit locus *Flavii* l. V. B. I. c. 13. ſive Græcæ edit. l. IV. c. 42 ubi Vitellius Imp. occiſus dicitur τρίτῃ μηνὸς Ἀπελλαίου tertia menſis Apellæi; cum Tacitus rem illam die 15. Januarii contigiſſe aſſerat, nec diffiteatur ipſemet *Flavius*, lib. V. belli c. 6. referens, Galbam a nece Neronis imperaſſe menſes ſeptem totidemque dies. At Nero ſe interfecit d. 9. Junii A. V. 821. Æ. Chriſti 68, C. Silio Italico, M. Galerio Trachalo CoSS. Unde ſeptem illi menſes cum totidem diebus in diem 15. Januarii deſinant, neceſſe eſt. Porro Joſephus l. V. c. 8. Othonem ſemet interfeciſſe ſcribit, poſtquam biduum treſque menſes imperium tenuiſſet. Atqui is ea ipſa die imperium iniit, qua Galba trucidatus eſt. Ergo ſatis hic calculus convenit cum cæterorum Autorum teſtimoniis, e quibus Noris dilucide collegit, Othonem extinctum eſſe d. 16. Aprilis. Tandem idem hiſtoricus, citato libro V. B. J. c. 13. memoriæ prodit, Vitellium occiſum tertia Apel-

Digitized by Google

læi, cum (a nece Othonis) octo menſibus, diebus quinque, ſumma rerum potitus fuiſſet. Probe ergo novit Flavius, Vitellium d. 20. Dec. ad plures abiiſſe, id quod contra *Panvinium* & *Pighium* latius probat *Henricus Noris*; haud tamen negat, ex Suetonio colligendum videri, diem 21. Decembris Tyranni illius emortualem fuiſſe. Ne igitur quis mendũ ſuſpicetur in Joſephi loco bis citato, monet ille, per *Apellæum*, (quo nomine alias menſis Casleu vocari ſolet, juxta XII. Antiqu. c. XI.) nec lunarem Casleu, nec ſolarem Apellæum Syromacedonicum Antiochenſium aliorumq; Syrorum deſignatum. *Tertia* enim *Casleu* anni illius embolimæi fuit quinta Novembris. Et Apellæus Syro-Macedonicus pari dierum numero cum Romanorum Decembri decurrebat. Noriſius itaque conjecturam in medium affert, & hoc ſolo loco Joſephum putat intellexiſſe diem tertiam Apellæi Solaris Tyriorum, qui ſane die XVIII. Decemb. inire ſolebat, uti Noſter inferius Diſſ. IV. c. 1. oſtendit. Sic tertia Apellæi coincideret cum 20. Decembris. Cum autem quis merito mirari queat, qui factum, quod Joſephus hoc ſolo loco morem ſuum migrarit, nihil tamen rationis a Noriſio expectabit, niſi hæc ejus concluſio dubio tollendo ſufficere videatur: *Cum Phœnicia eſſet provincia Palæſtinæ finitima, Joſephus Apellæum menſem loco laudato Phœnicum more expreſſit.*

Diſſertatione SECUNDA Epocha Seleucidarum excutitur, quæ incipit à principatu Seleuci Nicatoris Syriæ Regis apud Babylonem inito, ab autumno anni periodi Julianæ 4402, ac primo Olympiadis CXVII, ab urbe Roma condita 442, ante æram Chriſti 312, cyclo Lunæ XIII, Solis VI. Hæc Seleucidarum epocha dicitur Arabibus *Æra Dulkarnaim* ſive *Bicornis*, h. e. Alexandri Magni, Judæis autem *Æra contractuum*; uſurpaturque in regum ac urbium Syriæ nummis, in utroque Maccabæorum libro, in cœleſtibus obſervationibus Aſtronomorum Chaldæorum, in Actis Synodi Nicenæ, in Apamienſium literis paſchalibus. Calculum ſuum probat Noriſius ex *Ulug Begbo*, *Albategnio* aliiſque Arabibus, quod & ante eum alii viri docti fecerant. At ex nummis id ante ſe præſtitiſſe neminem aſſerit. Provocat ergo ad numum æreum Medicæum Imperatoris Hadriani, cujus alteram partem occupat caput laureatum & barbatum cum inſcriptione: ΑΥΤΟΚΡ. ΚΑΙϹΑΡ. ΤΡΑΙΑΝΟϹ ΑΔΡΙΑ-


ΑΔΡΙΑΝΟϹ. i. e. *Imperator Cæſar Trajanus Hadrianus*: alteram capita laureata Dioſcurorum, Caſtoris & Pollucis, cum duabus ſtellis eorum verticibus impoſitis & epigrapha: ΤΡΙΠΟΛΕΙΤΩΝ ΗΚΥ i. e. *Tripolitarum. Anno CCCCXXVIII.* Argumentatur illinc doctiſſimus Autor, his omnino verbis: Si ab autumno A. V. Romæ 442. numeres annos Seleucidarum exactos 427, devenies ad autumnum A. V. 869, quo cœpit annus epochæ Seleucidarum quadringenteſimus viceſimus octavus, qui anno inſequenti Urbis 870. per autumnum exiit. At Hadrianus imperium inivit A. V. 870. d. XI. Auguſti, Nigro & Aproniano CoSS. Quare ille nummus ſcalptus fuit primo aut ſecundo menſe imperii recens initi ab Hadriano in Syria, antequam, incumbente autumno, inciperet annus Seleucidarum 429. Hinc patet, Epocham Seleucidarum non poſſe inchoari ante A. V. 442. Alias annus illius 428. non poſſet concurrere cum novo imperio Hadriani. Rurſus palam intelligimus, annos æræ Seleucidarum deduci ab autumno; ſiquidem A. V. 870. poſt diem XI. Auguſti, (natalem imperii Hadriani,) adhuc numerabatur annus CCCCXXVIII: Unde falſa eſt opinio Viri inſignis, qui ob arietem in nummis Antiochenſium ſcalptum, putat annos Æræ Seleucidarum verno tempore inchoatos. Hactenus Noris, epilogo hoc ad præfationem, quam Johannes Vaillantius V. C. *Hiſtoriæ Regum Syriæ* præfixit, proculdubio reſpiciens. Quod vero nec in annum V. R. 443. differri debeat initium æræ Seleucidarum, probat Noſter numo alio Tripolitarum, quem pictor & antiquarius Bononienſis Joſephus Magnavacca in ſcriniis ſuis poſſidet. Viſitur in eo ex una parte icon Elagabali cum lemmate: ΑΤ. Μ. ΑΤ. ΑΝΤΩΝΙΝΟϹ. i. e. *Imperator Marcus Aurelius Antoninus.* Ex altera templum polyſtylon cum Numine quodam, circumſcriptum vocibus: ΤΡΙΠΟ...ΤΩΝ ΓΛΦ i. e. TRIPOLITARUM anno DXXXIII. Quod ſi igitur ab A. V. C. 443. æram noſtram auſpicari velles, annus quingenteſimus trigeſimus tertius cœpiſſet ab autumno A. V. 975. Aſt eo tempore jam Alexander Severus imperabat, Elagabalo menſe præcedenti Martio trucidato. Unde conſequitur, terminum epochæ Seleucidarum figendum eſſe in autumno A. V. C. 442. Hinc Noriſius obſervat poſt Vaillantiũ aliosque, autorem *Maccabaici primi* annos Seleucidarum (more Judaico) a menſe Niſan ordiri, *Jaſonem* autem

 Cyrenæ-

Cyrenæum, ſive ejus epitomatorem, *Maccabaici II.* autorem, a menſe Tiſri. Atque hac ratione multas ἐναντιοφανίας Maccabaicorum optime conciliat Noſter, aquam tamen ſibi hærere faſſus quoad locum 2. Macc. XI. 33. ubi literæ Antiochi Eupatoris ſignantur *data anno CXLVIII, Xanthici menſis die XV.* Nam cum conſtet, Antiochum Epiphanem mortuum demum poſt præcedentem menſem Niſan, (eo quod libro Maccabæorum primo res referatur in annum 149. a Niſan ordiendum,) & interceſſerint dein aliquot prælia Timothei & Judæ Maccabæi, item bellum a Lyſia infeliciter geſtum, tandemque pax inter Judæos & Lyſiam, quam his ſuis literis Eupator Rex ratam habuit ac firmavit; neceſſe eſt, eas uno alterove anno poſt Epiphanis Antiochi fata exaratas eſſe; certe menſe Xanthico, qui æque ac Niſan, in ver incidit, anno Seleucidarum 148. ſcriptas eſſe, a ratione plane alienum eſt. Sperat igitur Noris, fore, ut hunc nobis nodum ſolvat *Nicolaus Toinardus* Aurelianenſis in *Harmonia libri utriusque Maccabæorum. Nam* (verba ſunt Noriſii) *cum in ſacra aque ac profana hiſtoria ſit verſatiſſimus, idemque peregrinarum linguarum peritiſſimus, ſimulque veterum numorum Regum Syriæ aliorumque curioſus perſcrutator ac interpres doctiſſimus, in laudato opere typis quidem impreſſo, ſed nondum publici juris facto, hiſtoriam Maccabæorum ac rerum ab iisdem geſtarum tempora ſumma eruditione explicabit.*

Hæ ergo ſunt origines Æræ, qua omnes Seleucidarum provinciæ ac ſigillatim Syri uſi ſunt, donec ſub Romanorum poteſtatem venirent. Poſtea enim multæ eorum urbes, ob αὐτονομίας jus impetratum, ob *victoriam* vel *adventum* alicujus *Auguſti*, ob *tributa remiſſa*, aliave de cauſa Romanis adulaturæ, æram veterem abdicarunt, & novam ſibique peculiarem eo abhinc tempore exorſi ſunt. Non pauci tamen Syrorum haudquaquam novam ſibi epocham in Romanorum Imperatorum gratiam obtrudi paſſi ſunt. Hos inter familiam ducunt *Apamenſes*, *Damaſceni*, *Emeſeni*, *Tripolitæ*. Sequuntur *Edeſſeni*, *Palmyreni*, *Cyrrhenſes*, *Commageni*, quemadmodum Noriſius hiſtoricorum ſacrorum profanorumque & cum primis numorum autoritate fuſe demonſtrat. Ultimo tamen loco memorati *Commageni*, Flavii Veſpaſiani ævo, quum hactenus indigenis regibus paruiſſent, a Romanis in provinciæ formam redacti A. V. 825.

Digitized by Google



Digitized by Google

Fig. II.





Fig. VI.



Fig. V.



Fig. VII.



825, eo abhinc tempore & *Flavium* cognomen & novam æram uſurparunt: quorum illud ex Chronico Alexandrino, hoc ex nummo conſtat, cujus alteram partem implet caput Hadriani cum lemmate: ΑΥΤΟ. ΚΑΙ. ΤΙ. ΑΙΛ. ΑΔΡΙΑΝ. ΑΝΤΩΝΙΝΟϹ. ϹΕΒ. ΕΥϹΕ. *Imperator Cæſar Titus Ælius Hadrianus Antoninus Auguſtus Pius.* Alteram mulier turrita, binas ſpicas dextra tenens, Euphratis item fluminis figura infra ſcopulum ſeu tumulum aquis partim immerſa, adjecta inſcriptione: Φ. ϹΑΜΟϹ. ΙΕΡ. ΑϹΥ. ΑΥΤΟΝΟ. ΜΗΤ. ΚΟΜ. i. e. *Flaviorum Samoſatenorum ſacra, inviolatæ, ſuis legibus utentis, metropoleos Commagenes.*

Diſſertatione TERTIA acceſſus fit ad *epochas urbium Syriæ a* Seleucidarum epocha diverſas. Cumque *Syria* in *Superiorem* & *Coelen* dividatur, utriusque terminos, (non ſemper ſane eosdem,) ante omnia figit *Noris.* Ad *Superiorem* refert *Antiochiam* totius Syriæ metropolim, quæ veteri æra uſa fuit usque ad autumnum A. V. Romæ DCCV. in Parilibus deſinente, C. Claudio Marcello, L. Corn. Lentulo CoSS. ante epocham Chriſti XLIX. uti hoc omnium primus Noriſius ex nummis, rariſſimis certe, demonſtravit. Horum alter ſervatur in cimeliis Regis Galliæ, eoque in antica parte, detrita inſcriptione, Imperator Galba præfertur: addita in altera parte, intra ſertum, epigrapha: ΕΠΙ. ΜΟΥΚΙΑΝΟΥ. ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ. ΕΤ. ΖΙΡ. i. e. *Sub Muciano. Antiochenſium. Anno CXVII.* Publius Licinius Mucianus, Proprætor Syriæ, ex Hiſtoriis Taciti ſatis notus eſt. Galba autem fuit occiſus d. 15. Jan. A. V. R. 821. Æræ Chriſti 69. Æra igitur Antiochenorum cœpit ab autumno A. V. 705. Adde annos CXVI. exactos, devenies ad autumnum A. V. 821. Itaque laudatus nummus, in quo legitur a. CXVII, ſcalptus eſt (inquit Noris) ab autumno ejus anni V. C. 821. ad diem 15. Jan. Galbæ emortualem, vel illum, quo nuntius necis Galbæ Antiochiam delatus fuit. Alterum numiſma poſſidet *Joh. Vaillantius.* In eo viſitur laureata imago Tiberii cum epigraphe: ΤΙΒΕΡΙΟΣ. ΣΕΒΑΣΤΟΣ. i. e. *Tiberius Auguſtus*; averſa numi parte intra lauream inſcripta: ΕΠΙ. ΦΛΑΚΚΟΥ. ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ. ΕΤΒΠ. i. e. *Sub Flacco. Antiochenſium. Anno LXXXII.* L. Pomponius Flaccus Syriæ Præſes eo in numiſmate exprimitur. Is geſſerat conſulatum A. V. 770. Syriam obtinuit A. V. 775. Obiit in Syria A. V. 786. Quod ſi ergo ab autumno

Tab. XI. Fig. I.

Fig. II.

tumno A. V. Romæ 705. numerentur exacti anni 81, horum poſtremus exit per autumnum A. V. 786, eundem excipiente anno Antiochenorum LXXXII. in nummo obſignato, cujus priori parte labente, Flaccus in Syria obiit ante exitum autumni, quo idem nummus percuſſus fuit, cum Tiberius (juxta Tacitum, Annal. l. VI.) ante finem anni Juliani, illius obitum intellexit. *Itaque* (Noriſii verba ſunt) *bina hac praclara numiſmata controverſia de initio epocha Antiochenorum finem jam tandem imponunt.* Hac occaſione memoratu digna ἐν παρόδῳ commentatur Noſter de gente Durmia, ex qua Quadratus Syriæ præſes ortum trahebat, quem vulgo *Numidii* prænomen gesſiſſe ferunt. Prænomen autem illud cum tota Numidiorũ Gente obelo confodit Noriſius, & ex veteri lapide (cujus deſcriptio apud Mabillonium T. I. Itinerarii Italici p. 126. corruptiſſima offenditur, Raphaelis autem Fabretti ſtudio emendata ad Noriſium curata fuit,) verum Quadrati nomen fuiſſe docet *Cajus Ummidius Durmius Quadratus.* Poſtmodum obſervat, eosdem Antiochenos ſæpe & hanc Julii Cæſaris ævo cœptam æram neglexiſſe, & aliam adhibuiſſe, quæ initium imperii Auguſti in Syria, h. e. A. V. DCCXXIII. agnoſcebat terminum. Notus eſt numus Auguſti, in cujus antica caput habetur cum epigraphe; ΚΑΙΣΑΡΙ ΣΕΒΑΣΤΩ ΑΡΧΙΕΡΕΙ i. e. *Cæſari Auguſto Pontifici Maximo.* Poſtica intra coronam his verbis inſignitur: ΑΡΧΙΕΡΑΤΙΚΟΝ ΑΝΤΙΟΧΕΙΣ ΖΚ. *Harduinus* putat, Antiochenſes ſummi ſacerdotii Syriaci honorem Auguſto detuliſſe, unde ei in antica titulus ΑΡΧΙΕΡΕΩΣ etiam datus fuerit. At Noriſius non uno argumento probat, Antiochenſes nec ſummum totius Syriæ ſacerdotium obtinuiſſe, nec Auguſto obtuliſſe Pontificatum. Sed, quum ille A. V. 741, mortuo Lepido Pontifice Maximo, in ejus locum ſucceſſiſſet, decreviſſe Antiochenos, ut publicã lætitiam ob novam Principi collatam dignitatem teſtarentur, quotannis auream coronam Auguſto mittendam. Quod muneris genus vulgo *aurum coronarium*, Ancyranis στεφανικὸν dictum fuit. Hinc *Capitolinus* de Imp. Anton. Pio c. 4. ſcribit: *Aurum coronarium, quod adoptionis ſuæ cauſſa oblatum fuerat, Italicis totum, medium provincialibus reddidit.* Auream ergo Pontificiam coronam per ἀρχιερατικὸν intelligi cupit Noriſius in epigraphe memorata, hoc modo interpretanda: *Coronam Pontificiam Antiochenſes dicant Cæſari Auguſto Pontifici*

Digitized by Google

Pontifici Maximo. Et ſane (pergit Noſter,) *ubique Romanarum gentium diem ſummi Pontificatus Imperatori delati eximio cultu celebratum colligimus ex veteri inſcriptione* Gruteri *pag. C CXXVIII. 8. in qua dicuntur Cenetenſes* (exiguæ in Venetorum ditione urbis cives fuerunt) *publica ſacrificia ac plebi eſculenta decreviſſe*

VI. IDUS. MARTIAS. QUIA. HAC. DIE
TI. CAESAR. PONT. MAX.
FELICISSIME. CREATUS. EST.

Literæ deniq; ZK notant annum XXVII. imperii Auguſti in Syria, ineuntem autumno A. V. Romæ 749. Imp. Cæſ. Auguſto & L. Corn. Sulla CoSS.

Miſſis tandem *Antiochenis*, aggreditur Autor Clariſſimus epochas urbium *Seleuciæ*, *Laodiceæ* ac *Gabalorum.* Incipit prior A. V. Romæ 645, altera a. 706, tertia a. 690. Inter cæteros Gabalenſium nummos eminet ille, qui ante pauciſſimos annos ex Syria ad COSMUM III. Magnum Hetruriæ Ducem delatus ac dignus eſt, quem in ære expreſſum Lectoris benevoli oculis ſubjiciamus. Noriſius de eo hunc in modum diſſerit: Eſt nummus plane rarus Antonini Caracallæ ejusque uxoris Plautillæ, in cujus antica præter morem nomen urbisGabalorum nomini Imperatoris ſupponitur. Epigraphe Latine redditur: *Antoninus Pius. Gabalenſium.* In poſtica viſitur caput Plautillæ cum inſcriptione, initio ac fine detritis quibusdam literis: *Auguſtam Floviam Plautillam.* In nomine ſive familia Plautillæ ſcalpenda, monetario erratum eſt, binis literis omiſſis; neq; enim ΦΛΟΤΙΑ *Flovia*, ſed ΦΟΤΛΟΤΙΑ *Fulvia* dicta eſt Plautilla, ut ex nummo demonſtratur, cujus effigiem repræſentat Triſtanus T. II. p. 248. In regia Galliarum Gaza in nummo Hermionenſium cum figura ſuccincta taurum capiſtro ducente, in antica legitur: ΦΟΤΑΒΙΑ ΠΛΑΤΤΙΛΛΑ CΕΒ. *Fulbia Plautilla Auguſta*, litera Β pro ΟΤ poſita, quod ita illi pronuntiabant. Num pariter ex Syriaca pronuntiatione ΦΛΟΤΙΑΝ obſignatum in nummo fuerit, alii judicent. Nos nihil his Noriſii verbis adjicimus, præterquam quod idem alibi (Diſſert. V. p. 412. 413.) ex his nummis collegit, nimirum *Fulv. Plautillæ* patrem, non (uti vulgo fit.) *Septimium Plautianum*, ſed *Fulvium Plautianum* dicendum eſſe. Fig. III.

Hactenus de Epochis urbium *Syriæ majoris*; nunc de *Cœle Syria.*

Digitized by Google

ria. Nimirum cœpit ibi æra *Gadarenſium* A. V. Romæ 690. *Philadelphenſium* A. V. 691, *Chalcidenſium* A. V. 845, *Antiochenſium ad Hippum* A. V. 691. De epochis *Capitolienſium* & *Epiphanienſium* nihil certo determinare Noſter auſus eſt. *Philadelphenſium* numum ra-
Fig. IV. riſſimum adduxit ex muſæo Colberti. Antica illius exhibet epigraphen ſemeſam: *αὐτοκρ*ΑΤωρ ΤΙΤΟC; poſtica caput Herculis laureatum: ΦΙΛΑΔΕΛΦΕΩΝ. L. ΓΜΡ. i. e. *Philadelphenſium. Anno 143.* Cujusnam vero caput intra effigiem Titi ſcalptum ſit, divinare non potuit ſagaciſſimus Noriſius. Putavit tamen, vel Patris Veſpaſiani eſſe, jam in ſuperos a Tito relati; vel cujusdam alterius Numinis, quod Philadelphiæ præ cæteris colebatur. Syriæ utriusque urbibus *Rheſanam*, in Meſopotamia ad Aboram fluvium ſitam, ſub calcem diſſertationis addidit Noriſius, quod regio illa interamnana priſcis temporibus Syriæ pars fuerit. Hujus epocha A. V. 885. cœpta creditur.

Diſſertatio QUARTA inſcribitur: *De Epochis urbium Phœnices.* Inter has æram ſuam exorſa eſt *Tyrus* A. V. Romæ 628. *Sidon* A. V. 643. *Ptolemais* A. V. 706. *Aradus* A. V. 495. *Paneas* inter annos V. Romæ 751. & 755. *Dora* A. V. 691. *Gabe* A. V. 693. *Botrys* A. V. 771. De *Bybliorum* æra judicium ſuum interponere veritus eſt Autor. Cum nullum *Botryenorum* numum ſuis oculis, nec apud antiquariorum ullum laudari viderit, operæ pretium merito judicavit, illum vulgandi, cujus ectypon ex Anglia nactus fuerat J.
Fig. V. Vaillantius. Caput Elagabali circumſcribitur hoc titulo: ATT. KAI. M. AT. ANTΩNEINOC. *Imperator Cæſar M. Aurelius Antoninus.* Altera pars repræſentat Idolum intra templum cum epigraphe: BOTPTHNΩN. CC. i. e. Botryenorum. Anno CCLXX.

Diſſertationis QUINTÆ argumentum ſunt *epochæ* urbium *Palæſtinæ.* Harum vetuſtiſſima eſt Gaza, cujus epocham A. V. Romæ 693. cœpiſſe ex Marco Gazenſi Diacono & numis aſſertum ivit Noriſius. Difficilis intellectu eſt numus Hadriani, ubi in antica legere eſt: AT. KAI. TP... AΔPIANOC. i. e. *Imperator Cæſar Trajanus Hadrianus.* Alterius partis delineationem videſis in adjecta ta-
Fig. VI. bula. En figuras duas, quarum altera cornucopiæ tenens eſt *Gaza* ipſa, altera ex conjectura a V. Clariſſ. *Antonio Maria Salvino*, Græcæ linguæ in Academia Florentina Profeſſore Publico, Autori noſtro commu-

Digitized by Google

communicata, *Io* eſſe creditur. De Gaza enim *Stephanus* inquit: Ἐκλήθη δὲ καὶ Ἰώνη ἐκ τῆς ΙΟΥΣ προσπλευσάσης καὶ μεινάσης ἐκεῖ. i. e. *Appellata vero eſt & Ione, propterea quod illuc IO adnavigaverit ibique morata fuerit.* Quemadmodum ergo Marnas, Gazenſium Numen tutelare, urbis effigiei junctus in variis eorum nummis cum epigraphe: ΓΑΖΑ. ΜΑΡΝΑ. repræſentatus cernitur; ita & Io, quam iidem adorarunt. Hinc literæ circumſcriptæ ΓΑΖΑ ΕΙΩ non ſunt vox una ΓΑΖΑΕΙΩΝ, ut quidam putavit, h. e. *GAZENSIUM.* Dicendum enim foret ΓΑΖΑΙΩΝ. Sed & neque N in numo viſitur. Sint ergo nomina duo: ΓΑΖΑ, *Gaza*; & ΕΙΩ, *Io.* Quamvis vero vulgo nymphæ illius nomen non ΕΙΩ, ſed ΙΩ, ſcribatur, id tamen in numis & marmoribus perinde eſſe ſolet. Sic enim legitur ΑΝΤΩΝΙΝΟϹ & ΑΝΤΩΝΕΙΝΟϹ, ΦΑΥϹΤΙΝΑ & ΦΑΥϹΤΕΙΝΑ, ΕΙϹΙΔΙ & ΙϹΙΔΙ. Subſcriptio non minori difficultate obſepta eſt. Equidem literarum ΔΕΠΙΓϞΡ ultimæ tres notant dubio procul annum Gazenſium CXCIII, qui initium cepit d. 28. Oct. A. V. Romæ 885. ac decimo ſexto imperii Hadriani, qui & in anteriori parte obſignatus dicitur. Literam Ρ notam eſſe numeri *centenarii*, Γ *ternarii*, vel pueri norunt. Quodque litera, quæ minori q Latinorum non abſimilis eſt, *nonagenarii* numeri ſignificationem obtineat, neminem antiquariorum fugit. Præpoſitio ΕΠΙ non niſi tempus mox expreſſum indicat, ſicuti Dionyſius Halicarnaſſenſis l. 2. ſcribit, Romam conditam ἐπὶ τῆς ἑβδόμης ὀλυμπιάδος, *ſeptima Olympiade.* Remanet ergo litera prior Δ ſignum *quaternarii* numeri; quam tandem annum quartum ab adventu Hadriani Gazam notare, non improbabiliter conjectat Noris. *Aſcalonis* porro æra origines repetit ab A. V. Romæ 650. *Raphiæ* ab A. V. 693. *Sebaſtes* ab A. V. 729. *Neapoleos,* (quæ una cum Sebaſte in veteris *Samariæ* locum ſucceſſerat,) ab A. V. 823. Ad hanc, quam diximus, *Neapolin* referendus eſt numus *Marci Aurelii Cæſaris*, ubi caput abſque laurea hunc in modum circumſcribitur ΑΥΡΗΛΙΟϹ. ΚΑΙϹΑΡ. ΕΥϹΕΒ. ϹΕΒ. Υ. Diana multimammia Epheſia, cum epigraphe: ΦΛΝΕΑϹ. ΠΟΛΕΩϹ. ϹΥΡΙΑϹ. ΠΑΛΕϹΤ. averſam occupat. Hinc *Pyrrhus Ligorius*, *Æneas Vicus*, *Johannes Triſtanus*, hosque ſecuti *Spanhemius* Diſſ. 9. p. 899. & *Patinus* Imp. Rom. Numiſm. p. 241. 253. 323. 327. 400. *Phaneam urbem Palæſtinæ* exſculpſerunt, cum tamen extra dubium non ΦΑΝΕΑϹ,

ſed ΦΛ. ΝΕΑC ΠΟΛΕΩC i. e. Φλαουΐας Νέας Πόλεως Συρίας Παλεςίνης, *Flaviæ Neapoleos Syriæ Palæſtinæ* legendum ſit. Harduinus p. 342. hoc Virorum ſummorum παρόραμα obſervavit, in anteriori tamen parte numiſmatis interpretanda, Noriſio judice, ipſemet ceſpitavit, legendo: Αὐρήλιος Καῖσαρ, Εὐσεβὴς, Σεβαςὸς, Ὕπατος. *Aurelius Cæſar*, *Pius*, *Auguſtus*, *Conſul.* cum legere debuiſſet: Εὐσεβοῦς Σεβαςοῦ Υἱὸς, *Pii Auguſti filius*. Nusquam enim *Aurelius* in numis aut lapidibus Pii cognomen gerit, quod *T. Ælii Antonini* proprium eſt. *Præterea eo in nummo Marcus Aurelius* (inquit Noris) *purus putus Cæſar exhibetur, ſine laurea, ac genis levi tantum barba obductis. Itaque nondum erat AUGUSTUS, quocum titulo poſt obitum Antonini Pii primum obtento in omnibus nummis bene barbatus apparet.* Confirmabit hæc omnia rariſſimus numus Medicæus, æreus primæ magnitudinis, ubi epigraphe una ita habet: ΑΥΤΟ. ΚΑΙ. Μ. ΑΥΡ. ΑΝΤΩΝΕΙΝΟC. *Imper. Cæſar M. Aurel. Antoninus.* Altera: ΑΥΡ. ΦΛΝΕΑC. ΠΟΛΕΩC. CΥΡ. ΠΑΛ. *Aureliæ Flaviæ Neapoleos Syriæ Palæſtinæ*, adjuncto monte Garizim & templo illo famoſo Samaritanorum. Imo Illuſtris *Spanhemius* p. 769. numũ Titi abs ſe viſum laudat cum inſcriptione: ΦΛΑΟΥΙ. ΝΕΑΠΟΛΙ. ΣΑΜΑΡΕΙΑΙ: *Flaviorum Neapolitarum Samariæ.* Et ſimilem fere recitat Eques *Patinus* p. 151. Ultimæ Palæſtinæ urbes Tiberias & Diocæſarea ſunt, quarum illius epocha ad A. V. Romæ 851. non ſatis certo refertur, altera tenebris adhuc ſepulta jacet.

Habes igitur, Lector benevole, œconomiam operis laudatiſſimi, in Germania adhuc pauciſſimis viſi. Et utut ſolito prolixiores jamjam fuerimus, de te tamen optime mereri ſperamus, ſi duplicem adhuc obſervationem tecum communicemus. Altera eſt, quod omnium urbium, in quarum æras heic inquiritur, *ortus*, *ſitus*, varii *domini*, diverſa *fata*, (quorũ nonnulla *epochæ* mutandæ occaſionem præbuerunt,) eadem opera deſcribantur. Altera, quod ſupputationes, ne lectorum quibusdam tædio eſſent, non tantum quamplurimis numis aſpectu gratiſſimis interſtinguantur, ſed & haud unius generis digreſſionibus lectu jucundioribus ſubinde temperentur; adeo ut utile dulci ubivis mixtum appareat. *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ* cultores reperient disquiſitiones de *Hippolyti* Martyris tabulis paſchalibus p. 99. De *Iba* metropolita Edeſſæ, apud Berytum & Tyrum in judi-

in judicio abſoluto, damnato autem in conciliabulo Epheſino, p. 338. ſqq. De *S. Polycarpi* & *Pionii* martyriis, p. 24. & 26. Philippus Labbeus Tom. II. *Concil.* ult. edit. Pariſ. p. 54. poſt eas, quæ vulgo apponuntur Synodo Nicænæ, *ſubſcriptiones*, exhibet, (ut ipſe ait,) *nomina quorundam Patrum magnæ illius Nicænæ Synodi ex charta Niliaca, quam ferunt fuiſſe antiquiſſimam apud Johannem Sambucum.* At *Noriſius* p. 313. miratur, *Labbeum* non obſervaſſe, omnes illos epiſcopos, quorum *ſubſcriptiones* Nicæno concilio affingit, trecenteſimo ac quinquageſimo quinto anno ſerius Synodo alicui interfuiſſe, *Sextæ* nempe *oecumenicæ* A. C. 680. apud Conſtantinopolin ſub S. Agathone Papa celebratæ. Nam T. VI. *Concil.* p. 1060. edit. ipſiusmet *Labbei*, leguntur omnia ea epiſcoporum nomina correctius ſcripta. *Pelagii Papæ* literas, datas *Kalendis Martiis Indictione V.* (h. e. A. C. 587.) in quibus titulum UNIVERSALIS Conſtantinopolitano Patriarchæ uſurpatum condemnat, Cæſar Baronius *omni memoria digniſſimas* appellarat. Aſt *Noriſius* p. 198. *ſpurias* eſſe pronuntiat. *JCtis* placebit controverſia cum Petito de die, qua Juſtinianus Imperium auſpicatus eſt, nimirum non IV. ſed I. Apr. A. C. 527. Nec raro notæ temporis in Digeſtis & Novellis ſub examen revocantur. Vide e. c. p. 153. locum *Pomponii JCti* correctum. De phraſi *poſt Conſulatum* evolve p. 339. Ad *Hiſtoriam profanam* attinet, num *Ælia Capitolina* unquam fuerit Municipium Romanum, quod Noriſius p. 278 pernegat. Confer de *Pompeji* diebus natali & emortuali p. 140. de *Veri* annis imperii p. 304. de titulis Trajani OPTIMUS & PARTHICUS p. 245. ſq. De *Juſtini* Imp. die natali p. 144. de *Anaſtaſii* Imp. diebus natali & emortuali p. 146. de obitu *Pulcheriæ* Auguſtæ p. 145, de *Zenonis* extrema die p. 149. *Numariæ rei* ſtudioſis, præter tot inſignium numorum ectypa & explicationes ingenioſas, ſcitu neceſſaria erunt, quæ Noſter commentatur de *Alytarchis* p. 220. *Aſiarchis* p. 219. *Cilicarchis* p. 312. *Lyciarchis* p. 220. *Syriarchis* p. 221. de *Jove Bottiæo* p. 128. Jove *Critagene* p. 419. Jove *Marna* p. 418. de duplici *Jotape* Commagena p. 114. 115. de litera latina L in numis Græcis non *Luſtrum* juxta Scaligerum, ſed λυκάβαντα (*annum*) notante, p. 308. 468. de triplici figura literæ q minoris *nonaginta* ſignificantis p. 366. de litera latina S apud Græcos ſextum numerum indicante, p. 99. 258. de litera ϛ

Digitized by Google

aut ∝ jacente, totidem (nempe ſex) valente, p. 153. 212. Ediderat Johannes *Harduinus*, Soc. Jeſu Presbyter a. 1684. *Nummos antiquos populorum & urbium illuſtratos.* [Conf. *Acta Erud.* 1685. p. 274.] Opus equidem hoc *inſigne* & *cui eo in genere nil par, aut ſecundum hactenus prodierit*, ex merito ſalutaverat Noriſius in *præfatione.* Addiderat tamen, *virum philautia deceptum non parem in nummaria Chronologia atque in Geographia laudem tuliſſe.* Hinc, ut *Vaillantii*, *Cuperi*, *Patini* cæterorumque Antiquariorum durius ab Harduino habitorum injurias vindicaret, ſingulis ei capitibus nonnulla παροράματα eaque non raro oculos ſatis ferientia, ſed modeſte (quam virtutem in eo ſumma cum eruditione conjunctam jure deprædicamus,) exprobrat.

Sed vel invitis nobis ad finem relationis properandum eſt. Adduntur majori operi *FASTI CONSULARES cum feriis ac ætate Lunæ Kalendis Januariis, annis etiam Biſſextilibus deſignatis, juxta methodum Ogdoëcontateſſaraëteridos ſive cycli annorum LXXXIV. Auctore Anonymo.*

Initium eorum eſt:

Anni urbis	Anni cycli			
246	36.	Bruto & Collatino.	Lun. XXVIII.	
247	37.	Publicola II. & Tricipitino.	Mar. X.	
248	38	Publicola III. & Pulbilio.	Mer. XXI.	
249	39	B. *RUFFO ET AQUILINO.*	Jov. II.	
250.	40	Volſco & Tuberto.	Sat. XIII.	
Finis eſt:				A.C.
1105	55	B. *CONSTANTIO V. & CONSTANTIO JUNIORE.*	Mer. XXIX.	352
1106	56	Conſtantio VI. & Conſtantio II.	Ven. X.	353
1107	57	Conſtantio VII. & Conſtantio II.	Sat. XXI.	354

Poſſederat olim Faſtos illos *Cuſpinianus.* Nunc in Vindobonenſi bibliotheca ſervantur. Illinc celeberrimus *Ant. Maglıabechius*, juvandæ rei literariæ natus, per doctiſſimum *Papebrochii* collegam *Conradum Janningum* apographum exactiſſimum procuravit, quod ad crebras *Antonii Pagi* preces & obteſtationes, fideliter cum ſuis mendis edidit *Noriſius*, atque ſimul ad latera laterculi annos Ur-

bis,

Digitized by Google

bis, cycli & æræ Chriſtianæ adſcripſit, annexa quoque prolixiori epicriſi, ſed de qua plura addere non vacat, præſertim cum errores Anonymi illius aut potius librarii alio opere emendare ac *Faſtos Conſulares plurium vetuſtarum Inſcriptionum ope, quæ poſt Panvinium e terræ ruderibus effoſſæ ſunt, illuſtrare* in ſe receperit Noriſius.

Volumen clauditur epiſtola *ad eruditiſſimum & clariſſimum virum P. ANTONIUM PAGIUM, Sac. Theol. D. Ord. Min. Convent.* de nummo Herodis Antipæ, in muſeo *D. Rigordi* patricii Maſſilienſis ſervato. Eſt is æreus & minimi moduli. Creditur eſſe a Judæis percuſſus, vultus humanos ſignare religioni ſibi ducentibus, & quidem non Tiberiade, ſed Sepphori, cujus numiſmata palmam communiter repræſentant. In priori ejus parte legitur intra lauream ΓΑΙΩ ΚΑΙCΑρι ΓΕΡμαΝΙΚΩ i. e. *CAIO CÆSAri GERmaNICO*. In altera vero cum ramo palmæ: ΗΡΩΔΗϹ ΤΕΤΡΑΡΧΗϹ L ΜΓ i. e. *HERODES TETRARCHA. ANNO XLIII.* Si numus eſt genuinus, de quo Noriſius non leviter dubitare videtur, magnum negotium faceſſit Chronologis, qui pauciores annos regnaſſe Antipam hactenus conſenſerunt. Nolumus lectorem ulterioribus calculis fatigare, ea cum primis de cauſſa, quod illi magna adhuc incertitudine laborent, cui forſan medelam olim adhibebit Noriſius in majori illo FASTORUM opere, cujus ſpem nobis fecit, quodque literatis non minus gratum fore auguramur, ac cætera ejus opera, A. 1683. p. 113. & 114. itemque A. 1684. p. 302. nobis laudata. Fig. VII.

ΘΩΜΑ ΤΟΥ ΜΑΓΙΣΤΡΟΥ ΚΑΤΑ ἀλφάβητον ὀνομάτων Ἀττικῶν ἐκλογαί.

id eſt,

THOMÆ MAGISTRI SELECTÆ DICTIONES Atticæ, juxta ſeriem literarum diſpoſitæ. Nicolaus Blancardus emendavit, univerſum opus diſpoſuit, & catalogum veterum ſcriptorum adjecit.

Frane-

Digitized by Google

Franequeræ, apud H. Amama & Zach. Tædama, 1690, in 8.

Conſtat plagulis dimidiatis 28.

GRammaticorum etſi late patet officium, circa curam tamen verborum, dicente Seneca ep. 88. potiſſimum verſari, & in dictionibus explicandis occupari, ipſum eorum nomen indicat. Ab iis igitur provenerunt Lexica & Gloſſæ, inter quæ duo diſcrimen vix agnoſcit Caſaubonus lib. 3. animadvers. in Athen. cap. 6. differre tamen exiſtimat Wovver. cap. 9. Polymath. Sed Lexicorum nomine Gloſſas fuiſſe comprehenſas, docet Mauſſacus Diſſ. de Critica p. 347. 355. Nempe tam ſollicita veterum Grammaticorum fuit induſtria, ut non ſolum pereginis & barbaris vocabulis interpretandis integra volumina implerent, verum etiam Græcarum dialectorum (quarum, præter communem loquendi rationem, quatuor præcipuæ numerantur: Attica, Jonica, Dorica & Æolica) explicandarum, inque peculiaribus libris enumerandarum, curam haberent. In priori iſto ſtudio qui occupati fuerint, & peregrinas voces (τὰ ξένως εἰρημένα,) obſcuriores item, difficiliores, abſtruſas ac minus uſitatas, cujuscunque generis, locutiones Græca lingua explicarint, apud Athenæum, Suidam, Etymologum ac Photium laudantur Philoxenus, Callimachus, Hermonactes, Democritus, Pamphilius, Simmias Rhodius, Clitarchus, Hermo, Nicander Colophonius, Amerias Macedo, Seleucus, Philetas, Philemon, Timachidas, Dorotheus, aliique; Heſychius etiam multa non tantum Laconica, Argiva, Arcadica, Bœotica, Cretenſia, Salaminia, Macedonica, Theſſalica, Tarentina, Syracuſana, Sicula, Pamphyliaca, & ejus generis alia innumera, ſed etiam Ægyptiaca, Perſica, Lydia, Scythica, Celtica, Hebræa, Chaldaica, Phrygia, aliarumque gentium barbara vocabula, quibus nihil commercii cum Græcis intercedit, attulit; & in Etymologico magno diverſarum nationum & populorum voces explicatæ leguntur, ut Mauſſacus l. c. p. 357. 360. ac alibi oſtendit. Nec defuerunt qui unicæ dialecto ſe addicerent, & vel Atticas, vel Æolicas, vel Jonicas, vel Doricas dictiones communi ſermonis genere interpretarentur. Cumprimis autem in Atticis vocabulis explicandis fuere ſolliciti. Ita legimus apud Athenæum, Suidam, Erotianum, Harpocrationem & Etymologici autorem citari Philemonis & Luperci Berytii Ἀττικὰς λέξεις, Longini

Ἀττικῶν

Ἀττικῶν λέξεων ἐκδόσεις, Irenæi, & Ariſtophanis Grammatici Theaterini, & aliorum περὶ Ἀττικῶν ὀνομάτων, Pollionis Alexandrei Ἀττικῶν λέξεων συναγωγὴν κατὰ στοιχεῖον, Pacati περὶ συνηθείας Ἀττικῆς κατὰ στοιχεῖον. Photius Patriarcha in bibliotheca ſua Ælii Dionyſii Halicarnaſſæi decem dictionum Atticarum libros commendat, ut & Pauſaniæ Atticum lexicon. Galenus ipſe indicat, ſe compoſuiſſe τῶν παρὰ τοῖς Ἀττικοῖς συγγραφεῦσιν ὀνομάτων βίβλους μή, de dictionibus Atticis XLIIX libros. Verum hi libri omnes interciderunt, temporis injuria & ſuperioris ævi hominum incuria nobis ſubtracti. Reliqui ſunt e Veteribus in hoc argumento qui ſtudium poſuere, *Phrynichus* a Nunneſio & Hoeſchelio Auguſtæ Vindel. 1601 editus, *Moſchopulus* Pariſiis 1532 excuſus, *Jo. Grammaticus*, qui & *Joannes Philoponus* dictus eſſe perhibetur, ac quidam *Corinthus*, Theſauro linguæ Græcæ ab Henr. Stephano 1582 ſubjecti, & *Thomas Magiſter* Romæ 1517 ac Pariſiis 1532 evulgatus. Inter recentiores, quos Atticæ dialecti cura erudita tenuit, primæ partes debentur Henrico Stephano, qui *de Attica lingua ſeu dialecti idiomatis* commentarium, inq; *Jo. Grammaticum* & *Corinthum animadverſiones* anno 1573 publicæ luci expoſuit, ſubjecitque *Gloſſariis duobus* ad utriusque linguæ cognitionem e ſitu erutis, quod cerneret quantis erroribus dialectorum ignoratio doctiſſimos etiam homines implicaret, quam facile autem in illis exercitati multis ex locis ſe expedirent, ubi alii impediti hærebant. Quæ cauſa etiam procul dubio movit doctiſſimum Senem *Nicolaum Blancardum*, ceu ab ineunte ætate Græcarum literarum ſtudioſum, ita de iisdem ſub extremam etiam ſenectutem bene meriturum, ut eundem in modum quo Harpocrationis Dictionarium ſeptem abhinc annis publici iterum juris fecerat, a nobis in Actis anni 1683 menſe Novembr. p. 465 commemoratum, nunc quoque Thomæ Magiſtri eclogas ſeu ſelectas Atticæ dialecti, principis eloquentiæ Græcæ ut Cicero vocat, elegantias, quarum jam pridem diſparuerant exemplaria, ſed quas Hellados amantibus admodum profuturas exiſtimabat, quasque juxta exemplar Romæ anno 1517 typis Zach. Caliergi excuſum manu ſua ipſe deſcripſerat, ac duabus aliis editionibus collatis emendaverat, recudi permitteret. Inſtructior autem, & tum interpretatione (qualem Har-

pocrationi adjecit) tum notis auctior prodiiſſet hic Eclogarius, niſi valetudo, & quæ gravior morbo eſt ſenectus extrema impediviſſent, quo minus ipſe manus ei admoveret, & de autore hoc, ejus ætate, deque opera nova hac editione ei impenſa diſſereret Editor: qui elenchum tamen Autorum, e quibus depromtas Atticas dictiones Thomas Magiſter explicavit aut notavit, circiter quinquaginta, ſtudio ſuo compoſitum ſub finem adjecit.

SUITE DU TROISIEME VOLUME DE LA Morale Practique des Jeſuites.

id eſt:

Continuatio Voluminis tertii Practicæ Moralis Jeſuitarum.

Anno 1689, in 12.

PRiori parte tertii hujus *Practicæ Jeſuitarum* voluminis, quam proximo menſe Auguſto pag. 381. & ſeq. recenſuimus, reſponſum eſt ab Autore ad Apologiæ præfationem & caput primum. In altera hac, omiſſo capite II, in quo de Theatro Jeſuitico tractatur, (de quo ſæpius a nobis dictum eſt,) ad caput III. tranſitus fit. In hoc Jeſuitæ ad curiam Romanam & aulam Hiſpanicam provocaverant, a quibus acta ſua in miſſione Chinenſi probari aſſerunt. Allegarunt (1) reſponſum Innocentii XI. d. 3. Decemb. 1681 *P. Verbieſto* Jeſuitæ datum. Hoc benigniſſimum fuiſſe non negat Autor, ſed nec aliud tunc Pontifici conveniſſe ait, qui dona ex China miſſa a Jeſuita acceperat. Negat vero per illam comitatem abolita fuiſſe decreta Pontificum A. 1645 & 1669. ad querelas Dominicanorum contra perperam facta in miſſione illa a Jeſuitis edita. Producit reſcriptum ex *Congregatione de propaganda fide* d. 23. Febr. 1680. ad Generalem Jeſuitarum emiſſum, in quo huic injungitur, ut Societatis ſuæ ſacerdotes *Emanuelem Ferreiram*, *Dominicum Fucitum*, *Joſephum Candonium*, & *Bartholomæum Acoſtam* ex miſſione Indica revocet, omnibusque functionibus ſacris privet, reliquos autem ad obſequium Vicariis Apoſtolicis præſtandum juramento adſtringat, quo ceſſent obſtacula propagationi doctrinæ Evangelicæ eo usque objecta, & ut poſthac

cap. 15.

Digitized by Google

hac omnes catechetæ & adminiſtratores Eccleſiarum a Vicariis illis conſtituantur; addita comminatione, ni pareant, fore, ut concepta jam conſtitutio ſive Bulla publicetur, & Jeſuitæ ex regnis *Tonquini*, *Cochinchinæ*, *Cambojæ*, *Siami & ipſa China* excludantur. Allegarunt (2) Decretum Regis Hiſpaniarum d. 6. Jan. A. 1628. a Jeſuitis impetratum, quo ipſis ſolis Eccleſiarum Japonicarum cura commiſſa eſt. Verum illud Romæ non ſaltem, quod Jeſuitæ ipſi fateantur, improbatum, ſed & ab ipſo Rege A. 1631. retractatum fuiſſe Autor oſtendit; ſecuta poſtea Bulla Urbani VIII, qua aliis religioſis eadem poteſtas, regiones illas adeundi, datur. Addit aliud Regis decretum A. 1646, in quo fraudis in cauſa teſtamentaria Jeſuitæ damnantur. (3) Impertinenter produci Autor ait literas Proregis Arragoniæ, quibus Jeſuitas A. 1685 Cardinali Columnæ commendavit. Ex ipſis enim conſtare dicit, acres querelas ex India contra Jeſuitas Romam delatas eſſe; deinde non obſtante illa interceſſione, revocatum fuiſſe privilegium ad tempus A. 1682 & 1685. a Pontifice datum, ut in quibusdam Jeſuitarum Collegiis Americanis gradus Theologici conferri poſſent; multoque minus eos obtinuiſſe, quod interventu Proregis ambibant, ut Doctorum Juris Canonici titulos impertiri poſſent, quibus opus erat ad impetrandum locum inter Canonicos Cathedrales. Cum vero Jeſuitæ jactent, quod tantis licet facultatibus valentes, & viginti millium numerum conſtituentes, ultionem tamen in adverſarios non exerceant, multa ad id replicat Autor. Dogmata eorum traducit, quibus licitum eſſe ſtatuant vindictam in inimicos quovis modo exercere, & exempla adducit, quomodo id reipſa fecerint, inprimis contra eos, quos Janſeniſtas vocant; neque mitius acturos fuiſſe putat cum Paſtoribus Gallis, niſi hi multitudine ſua tuti fuiſſent. Allegat etiam, quæ contra virgines, quæ ab *Infantia Jeſu* cognominabantur, ſtatuerunt, & in Actis noſtris A. 1689, p. 366. 370. relata ſunt. Objicientibus vero, quod Janſeniſtæ in Indiam & Chinam Evangelii prædicandi cauſa non proficiſcantur, reſpondet, non omnibus Eccleſiæ membris eadem munia incumbere, ſed diverſa diverſis rite vocatis; *Arnaldum* ſpeciatim ab adoleſcentia ſua ad ſcribendos libros & conſilia Theologica talentum a Deo accepiſſe; denique Jeſuitas ipſos invidia & odio ſuo efficere, ne alii in regiones illas Evangelii prædican- cap. 16.

di cauſa veniant. Citat orationem, qua Epiſcopum Gallum titulo Heliopolitanum, a Pontifice in Indiam miſſum, ab itinere illo dehortari voluerint.

cap. 17. *Autorem Practicæ moralis* falſo accuſari notat, quaſi apoſtaſiæ crimen Jeſuitis omnibus in Japonia tribuerit; interim verum eſſe affirmat, defeciſſe quosdam ad paganiſmum, neque id mirum eſſe dicit, cum Societatis commune vitium ſit *libido*, ut Auguſtinus loquitur, *excellendi, & divitiarum*, quodque harum cauſa ſpretis Pontificum prohibitionibus a mercatura non deſiſtant. Ex eodem fonte derivat, quod teſtantibus Dominicanis & Franciſcanis, Chriſtianis Chinenſibus permittant, ut ſacris interſint, quæ in honorem Confucii atque idolorum celebran r, neque concedit, quod illi excipiunt, cultum illum tantum politicum eſſe. Haud multum dubitat, quin etiam polygamiam publice probaturi ſint, niſi infamiam vereantur, quam Lutherum cum ſociis incurriſſe dicit, cum Principi alicui digamiam permiſiſſent. Hanc rem ex Boſſueti

cap. 18. Lib. VI. de Variat. Eccl. Prot. adducit, de qua in libri illius enarratione A. 1689. p. 73. egimus. Dixerat Apologiſta, quod ex ſingulari moderatione & manſuetudine reſponſum non fuerit ad *Practicam moralem*, neque recriminationibus adverſus accuſatores monachos uſi ſint Jeſuitæ: ſed contrarium deducit Autor, & refert, quæ adverſus Epiſcopos Gallos in Indiam miſſos, & contra autorem Theatri Jeſuitici, itemque adverſus monachos Dominicanos acerbiſſime egerint & ſcripſerint. Defendit quæ *Arnaldus* in libro contra *Malletum* ſcripſerat, ex doctrina Jeſuitarum licitum eſſe falſa crimina illis imputare, qui Jeſuitarum exiſtimationi detrahant; allegat illorum autores *Dicaſtillum*, *Tamburinum*, ut &, qui iis impenſe favet, *Caramuelem*. Vehementer vero queritur, quod Janſeniſtas cum Reformatis in articulo de S. Cœna conſentire ſcripſerint; & acriter refellit, quæ in virgines monaſterii *Portus regalis* Briſacerius Jeſuita ſparſerit, præmii loco non unam inter illos dignitatem, ut ſcribit, adeptus. Ad poſtulatam documentorum, quæ autor *Practicæ moralis* allegavit, editionem reſpondet, inciviliter eam peti: præſumendum enim eſſe de fide documentorum, quæ vir bonus allegat, niſi

cap. 19. ſuſpiciones falſi afferantur & probentur. Speciatim defendit epiſtolam Palafoxii Epiſcopi ſupra indicatam, a *Ludovico Santamorio* in

dia-

Digitized by Google

diario ſuo productam. Excipit tamen ab hac regula illos, qui ſemel in falſi crimine deprehenſi fuerint; id quod de Jeſuitis confidenter affirmat, & exemplis quibusdam demonſtratum it. Autor Theatri Jeſuitici aſſeruerat, ſervari in cœnobio Dominicanorum *Cæſar-Auguſtæ* librum *Hieronymi Baptiſtæ de Lanuſa* Dominicani, Epiſcopi Albaraſini, in quo ſtatuerit, prophetiam quandam S. Hildegardis ad Jeſuitas pertinere. Hoc ut falſi argueret autor apologiæ Jeſuiticæ, literas *Martini Lopezii*, ejusdem cœnobii monachi, A. 1686. datas produxit, quibus negatur, librum Epiſcopi iſtius in monaſterio extare. Sed Noſter fraudis convincere vult Jeſuitas, teſtimonium ejusdem Lopezii d. 3. Apr. 1688. coram Notario & teſtibus redditum exhibens, in quo negat, literas in hac cauſa unquam a ſe ſcriptas fuiſſe, licet fateatur, interrogatum ſe a quodam, Jeſuitarum nomine, de libro illo Epiſcopi fuiſſe, ſed abſentibus plerisque monaſterii ſodalibus oretenus reſpondiſſe, ut ab importunitate ſeſe liberaret, librum non extare. Aliud exemplum ex epiſtola *Navarretæ* Dominicani ad *Antonium Goveam* Jeſuitam affertur. Quæſtio eſt, de qua ſupra jam aliquid notatum fuit, de ſacris ſive ceremoniis, quibus Chinenſes quotannis defunctis majoribus ſuis honorem exhibent. Hunc Jeſuitæ non niſi politicum eſſe Pontifici perſuaſerant, impetrato anno 1656. per *Martinum Martinium* a Pontifice decreto, ut Chriſtianis adeſſe illis ceremoniis liceret. Sed ex Navarretæ literis conſtat, honorem illum religioſum eſſe; offerri enim ſacrificii loco vinum & capram, & ſurgere quendam finito ſacro, qui cœtui dicat, animam ejus, quem colunt, ex cœlo deſcendiſſe, & precantibus proſpera omnia afferre; & hoc a quibusdam Jeſuitis agnoſci notat Autor, plurima vero hac de re ex Navarretæ libris teſtimonia adducit, & inde colligit, epiſtolam ejus, quam Jeſuitæ in apologia allegant, ſuppoſititiam & falſam eſſe, neque dubitari debere, quin Jeſuitæ & quicunque ex illorum clientibus ſacris illis interſint, idololatriæ rei ſint, utut contrarium tam imperite fingant, ut nec laudem, quam Chriſtus villico iniquitatis tribuit, ſolertiæ nempe, mereantur. Confirmat iſta teſtimoniis Dominicanorum & Franciſcanorum, ac reſpondet ad omnia, quibus Jeſuitæ excuſare indulgentiam illam ſuam ſolent. Non minus falſas eſſe contendit literas *Archiepiſcopi Maniliæ* & *Epiſcopi Zebutenſis* in Philippinis, a Jeſuitis alle-

cap. 20.

cap. 21.

cap. 22.

Digitized by Google

allegatas, quibus A.1637. apud Pontificẽ retractaſſe dicuntur, quæ adverſus Jeſuitas in illo ipſo idolorũ cultu ſtatuerant, & delationes monachorũ probaverant, in quibus Jeſuitis objicitur, quod apud neophytos myſteriũ crucis diſſimulent, & ceremonias Eccleſiæ in baptiſmo, itemq; extremam unctionem omittant. Acriter inde inſultat Apologiſtæ, quod *Didaci Moralis* Jeſuitæ teſtimonium, tanquã viri ſancti & martyris alleget, qui tamen turpiſſime ad paganiſmũ defecerit. Convertit inde ſermonem ad Abbatem *Briſacerium*, Seminarii miſſionum Pariſienſis Superiorem, qui apologiam Jeſuitarum prolixo cum elogio approbavit. Eludit irridetque Jeſuitas, encomia Pontificum allegantes. Expoſtulat cum Abbate, quod cum ſciret, quomodo Jeſuitæ Epiſcopos Gallos ex Seminario in Indiam miſſos tractaverint, & quæ hi de perſecutionibus illis queſti ſint, nihilominus apologiæ Jeſuiticæ calculum ſuum adjecerit, in qua Epiſcoporum illorum relationes, ut falſæ & iniquæ, traducantur. Subjungitur ampla miſſionis illius enarratio. Sollicitatus nempe fuit Papa Alexander VII. ab *Alexandro Rhodio* Jeſuita, ut Epiſcopos in Indiam deſtinaret, quod novella illarum regionum Eccleſia opus illis omnino habere videretur. Miſit itaque Pontifex Gallum, *de Palu*, qui duos fratres in Societate Jeſuitarum habebat, & alium *La-Motte Lambertum*, illum Heliopolitani, hunc Berytenſis Epiſcopi titulo inſignitum, qui Epiſcopalia munera in China & regnis vicinis exercerent. Cum Heliopolitanus anno 1663 Suratam in Indiam appuliſſet, Jeſuita quidam (ut Autor refert) Luſitanus a proſequendo itinere illum dehortatus eſt, tum ob pericula, tum quod inutiles in illis locis eſſent Epiſcopales functiones. Berytenſi ejusq; delegato in Cochinchinam delato Jeſuitæ obſequium aperte denegarunt, & ex illis *Dominicus Fucitus* anno 1668 Vicarium generalem Epiſcopi Macaenſis ſe eſſe contendit, in cujus diœceſi *Cochinchina* contineatur. Sequenti anno *Ignatius Baudetus*, itidem Jeſuita, Malacenſis Epiſcopi jus allegavit; dein anno 1670 *Marcheſius* quidam iterum Macaënſe prætendit. *Fucitus* ille diplomata Pontificis, Berytenſis nomine producta, in cœnum & aquam projecit, falſa eſſe dictitans; convictus deinde oſtenſo ſigillo, ad juris Macaënſis oppoſitionem rediit; unde ſchiſma inter Chriſtianos natum eſt, inſtigatis incolis, ut Gallos miſſionarios, & conſecratos ab iis ſacerdotes indigenas averſarentur,

cap. 23.

tur. Succeſſere iteratæ Pontificis juſſiones, inprimis Clementis X. A. 1673. d. 23. Decembris, in quibus Jeſuitarum contradictiones omnes rejectæ ſunt, & miſſis ex Gallia Epiſcopis autoritas aſſerta fuit. Verum etiam has falſi accuſarunt & ſpreverunt Jeſuitæ, & quicquid Sacerdotes ab Epiſcopis creati in adminiſtrandis ritu Romano ſacramentis egerant, ut irritum & nullum habuerunt, & reiterarunt; qui vero actus illos ut ratos & legitimos accipiebant, ſi ægrotaſſent, alloquio & ſolatio, mortuos ſepultura privarunt. Epiſcopi fruſtra tentata concordia, ad excommunicandos demum Jeſuitas A. 1675 progreſſi ſunt, contradicente *Joſepho Candonio* Jeſuita, qui ſe pro Vicario Malacenſi gerebat. Pejus actum eſt cum Heliopolitano. Hunc enim A. 1674. menſe Octobri vi tempeſtatū in Philippinas delatum, Hiſpani ut Gallum hæreticum & exploratorem Jeſuitis cuſtodiendum tradiderunt: hi tamen ſimularunt, ac ſi id ſine culpa ſua factum eſſet, idque diu credidit Epiſcopus, donec ex interceptis caſu quodam literis illorum fraudes & technas omnes didiciſſet. Hæc ex ipſius commentariis referuntur. Ex Philippinis poſtea menſe Junio A. 1675. ad ſupremum tribunal Mexicanum miſſus, inde vero in Hiſpaniam amandatus eſt; ubi menſe Februario 1677. pleniſſime abſolutus fuit, agnoſcente Rege, quod nullum ſibi ſuisque in regna illa jus eſſet, quo Pontificum miſſiones impediret. Interim hoc obtinuerunt Jeſuitæ, ut Epiſcopum iſtum ſex menſes in cuſtodia habuerint, & multis annis illius & Collegæ functiones epiſcopales in India impediverint. Confirmat hæc Autor ex literis Seminarii Gallici d. 23. Octob. 1676. ad Congregationem de propaganda fide Romam datis, & ex relatione *Urbani Cerrii* illius Secretarii. Porro quod cap. 24.
Jeſuitæ, ut ſupra monuerat, præſtita tandem paritione, errorem tamen ſuum minime agnoverint, ſed queri non deſinant, ac ſi injuſtas perſecutiones paſſi eſſent, ex libro *Tachardi* de itinere ſuo & ſociorum in regnum Siamenſe probat, in quo *Fucitum* ſupradictum ob inſignem contumaciam a Pontifice ex regno Tonquinenſi expulſum, a ſumma ſanctimonia & afflictionum immeritarum tolerantia magnis laudibus extollit. Ultimo operis capite ſupplet & perſequitur, 25.
quæ adverſus Apologiam ejusque reliqua capita dicenda habuit. Fruſtra ſcribit minas a Jeſuitis ſpargi, quaſi plurima adverſariis objicere poſſent, niſi modeſtia impedirentur. Provocat potius, ut omnia publi-

Digitized by Google

publicent; neque tamen niſi falſa & calumnioſa ab iis expectat, qualia nempe plurimi, quos nominat, ex illorum Societate autores dudum adverſus Arnaldum & ſocios vulgaverint, minime tacituri, ſi plura proferre auderent. Utitur igitur verbis *Valeriani Magni* celebris Capuccini, a quo dudum eodem fere modo provocati hucusque tamen ſiluerint. Acriorem *Navarretæ* Dominicani expoſtulationem adſcribit, qua itidem minitantes repreſſit, nec obſcure vitia ſupra memorata aliaq;, e. g. contractas in India nuptias, immodicũ vini uſum, exercitium mercaturæ & uſurariæ pravitatis, deniq; etiam ſortilegia illis impingit. Ex eodem autore probat, quod Jeſuitæ negaverunt, *Martinum Martinium* Tridentinum, ex illorum Societate, ſcriptis de rebus Chinenſibus celebrem, *Mandarini* ſive miniſtri regii munus publice & magno cum faſtu geſſiſſe, & in bello contra Tartaros rei tormentariæ præfectum fuiſſe, tanta cum inſolentia, ut accedentem pium quendam & pauperem *Capuccinum*, cum maximo Chriſtianorum novitiorum ſcandalo, ab alloquio ſuo repulerit. Defendit alium Dominicanum, *Didacum Colladum*, quod literas *Palafoxii* & *Soteli*, itemque Memoriale Ordinis Franciſcani in inſulis Philippinis, A. 1639 Regi Hiſpaniarum contra Jeſuitas exhibitum, minime finxerit. Inſertum hoc Memoriale eſſe dicit Tomo II. Navarretæ, & in ipſo titulo indicare, demonſtrari a Franciſcanis, quod Jeſuitæ in China multa contra ſacras literas, traditiones Apoſtolicas, decreta Patrum, conciliorum & doctorum, atque communem Eccleſiæ Catholicæ obſervantiam committant aut omittant. Promittit ſe uno vel duobus voluminibus prolixe relaturum eſſe, quæ contra *Palafoxium Angelopolitanum* & *Cardenam Paragayenſem* Epiſcopos perpetraverint, eo fine ut de ſuperbia ſua convicti ad emendationem moveantur, corruptelas moralis diſciplinæ corrigant, ſolidas virtutes in Orbe Chriſtiano plantent, & ab avaritia, ambitione, luxu & otio deſiſtant.

pag. 711. Sequuntur duo Additamenta. Novo documento veritas epiſtolæ ſæpius allegatæ, quam Palafoxius d. 8. Jan. 1649. ad Innocentium 718. X. ſcripſit, aſſeritur, idque Hiſpanice cum verſione Gallica producitur, ex quo conſtare dicit Autor, epiſtolã illam Romæ a procuratore Palafoxii *D. Johanne Magano* Pontifici exhibitam, ad omnium Cardinalium, qui ad cauſam Angelopolitanam deputati fuerant,

manus

manus perveniſſe, & adhuc in Conventu Carmelitarum Diſcalceatorum Madritenſi aſſervari. (2) Cum Jeſuitæ non ſatis exceptioni pag. 742.
ſuæ confidant, quaſi ſuppoſititia eſſet graviſſima illa Epiſcopi de ipſis querela, & ideo ſcriptum ejus allegent, quo actionem illam ſuam in commentariis ad epiſtolas Tereſiæ retractaverit; hic quoq; Autor magnam fraudem illorum accuſat, quod ſcriptum illud ad litem ſuam cum Epiſcopo exercitam detorqueant, de qua tamen nihil omnino in illa agi, ſed id tantum a Palafoxio agnoſci demonſtrat, quod translationi a majori & pinguiori Epiſcopatu Angelopolitano in Osmenſem anguſtiorem aliquandiu reſtiterit. Subjungitur reſponſio ſuccincta ad alteram Apologiæ partem, quæ excuſo jam tomo hoc III. prodierat, & poſt alia, falſariæ nequitiæ ſpecimen, producto teſtimonio *D. Joh. Cevici* d. 10. Octobr. 1628. Mexici ſcripto, exhibetur. Negat enim Cevicus, ſe autorem literarum eſſe, quas ſub nomine ejus Jeſuitæ vulgaverant, ex illis probaturi, ac ſi relationem *Ludovici Soteli* pro ſuppoſititia habuiſſet, aliaq; illorum facta approbaſſet. Deinde ex *Joh. Pazii* Dominicani ſcripto, quod Jeſuitæ pro ſe allegant, minime verum eſſe contendit, quod Jeſuitis cum Dominica- 793.
nis in quæſtione de cultu Confucii conveniat. Pazius enim refert, Confucio omnino ſacrificari a Chinenſibus, negatque ullum Chriſtianum ſalva fide ſacris illis intereſſe poſſe; concedit tamen id licere, ſi finito ſacrificio, reliquis ceremoniis aſſiſtere velint Chriſtiani, & in humum proſtrati cum reliquis profiteri, magiſtrum ſuum eſſe Confucium, modo prius proteſtationem edant, ſe preces ad illum non fundere, neque quidquam ab illo expectare. De Navarretæ Archiepiſcopi actionibus iterum disquiritur, & refelluntur Jeſuitæ, qui iſtum variaſſe ſententiis, & ſecum transegiſſe ſcripſerunt; refutantur etiam alia de *Palafoxio* & *Cardena*. Tandem etiam quædam de hiſtoria itinerum *Tabernarii* & contra *Jurium* annotantur, improbatis, quæ hic de actis Jeſuitarum Heidelbergæ & Viennæ ex falſis rumoribus tradidiſſe arguitur.

INSIGNIUM THEORIA, SEU OPERIS HERALDICI Pars Generalis; Autore Philippo Jacobo Spenero D.

Francofurti ad Mœnum, ſumptibus Joh. Dav. Zunneri, 1690. in fol.
Conſtat plagulis 110. & tabulis æneis 23.

DEcennium integrum elapſum eſt, ex quo ſumme Reverendus *Spenerus*, Polyhiſtor æque ac Theologus conſummatiſſimus, Hiſtoriam Inſignium illuſtrium ſeu Operis Heraldici partem ſpecialem, magno cum applauſu eruditi orbis edidit. Continet illa (quod vel ſolus titulus loquitur,) *delineationem inſignium plerorumque Regum, Ducum, Principum, Comitum & Baronum in cultiori Europa, cum explicatione ſingularum teſſerarum, & multis ad familiarum decora, titulos atque jura ſpectantibus, nec non tabulis aneis* (XXXV,) *ſcuta galeasque in opere explicata obtutui exponentibus, & indicibus neceſſariis.* Succedit nunc tandem diu expetita *pars generalis, ea*, (uti eſt in operis frontiſpicio,) *qua circa inſignia, horum originem, ſcuta eorumq; partitiones, metalla, colores, figuras, galeas, apices aliasque ſcutorum appendices & conſectaria, ſtudioſo hiſtoriarum & vitæ civilis noſſe proficuum viſum eſt, ex diſciplina fecialium & moribus receptis exhibens.*

Quamplurimi equidem ſcriptores hoc argumentum occupaverant, adeo ut eorum nominibus integrum librum impleverit *Thomas Gore*, Armiger Anglus. Hujus enim ſtudio & opera Oxonii A. 1674. prodiit *Catalogus Autorum, qui de Re Heraldica Latine, Gallice, Italice, Hiſpanice, Germanice, Anglice ſcripſerunt.* Ut recentiores taceamus, ac ſigillatim Claudium Franciſcum *Meneſtrerium*, Johannem *Gibbonum*, Wilhelmum *Dugdalium*, Julium Cæſarem *Beatianum* Comitem, quorum opera in Actis Eruditorum horumque Supplementis recenſuimus. At, quod absq; aſſentatione dicere licet, *Speneri* opus ambitu ſuo complectitur omne id, quod Heraldices ſtudioſis, tanto cum diſpendio temporis, ex infinitis pene Scriptoribus colligendum diſcendumque fuerat hactenus. Neſcias heic certe, utrum ordinem exactum, an copiam rerum, an perſpicuitatem præceptorum tanta alias obſcuritate laborantium, magis laudes. Præmittit Autor *prolegomena*, fecialium hiſtoriam enarrantia. De ipſis autem Inſignibus *novem* omnino *capitibus* agit. Eorum *primo*, præter onomatologiam, cauſam Inſignium efficientem, ſubjectum eorum capax, materiam, effectus, diviſiones, generatim pertractari videas.

Materia

Materia nomine ei veniunt *figura* cum *coloribus*. His enim conſtant inſignia. Rariora tamen exempla *ſcutorum purorum* hac occaſione commemorat Spenerus. *Rubei* nempe Florentini rubeum, *Bandinelli* Senenſes & *Meneſii* Hiſpani aureum clypeum ſine alia nota geſtant. Notabilis eſt mos, quo Cardinales ex Pontificis promotoris ſui ſcuto gentilitio figuram in ſuum derivant, quod exemplis Xyſti IV. Julii II. Leonis X. Clementis VII. Pauli III. Julii III. probatur. Caput hoc claudunt diplomata, quorum altero Dœringiis, altero Brotbeckiis inſignia nobilitatis ab Imp. Ferdinando II. collata fuere. Horum prius ex L. Hœrnigkii Stella Notariorum deſcriptum, alterum ex MSCto nunc primum editum eſt. c. I. §. 21.

Capite II. in Inſignium *originem* inquiritur, ac Iſraeliticarũ tribuum inſignia fabulis jure meritoq; accenſentur. Utut vero non negetur, & Græcis & Latinis & Barbaris arma fuiſſe figuris aliquibus exornata; aut tamen ea non fuere hæreditaria, aut (ſi & hoc ob nonnulla exempla concedas,) non *partibus* illis, quas Feciales vocant, *honorabilibus* conſtabant; unde ab iis, quæ nobilibus hodie frequentantur, inſignibus plane alia cenſenda ſunt. Horum autem ultimæ origines ex expeditionibus Chriſtianorum in terram ſanctam, maxima cum veri ſpecie, repeti poterunt. Rationes inſignium ſunt plerumque *præmium virtutis & rei egregie geſtæ memoria*; quemadmodum e. c. *Chriſtophoro Columbo* ob detectum novum orbem, a Ferdinando Rege poteſtas facta fuit, globum mundanum cum cruce in notam ſuam gentilitiam adſciſcendi. Sicque *Didaco Fernandez de Corduba M. de Comares*, & *Didaco Fernandez de Corduba C. de Cabra*, cum Mahometem Baudelinum Regem Granatæ 21. Aprilis 1483. cepiſſent, indultum fuit, ut plura vexilla ſcuto apponerent, & in cuſpide ſcuti, Regis aurea catena vincti iconem geſtarent. Neque nulla inventa ſunt *originis* notandæ cauſa, prout Matthias *Corvinus* Hunniades, Hungarorum Rex, corvo uſus eſt, quod M. Valerium Corvinum gentis ſuæ autorem crederet. Aliis ab *officio*, quo functi ſunt, notam ſuam gentilitiam deſumere placuit. Sic *Moncadæ* geſtant ſex aureos orbes, (quos vetuſta monumenta *catinos* ſeu *patinas* vocant,) in ſolo rubeo, ſervandæ memoriæ dapiferatus, quem familia habuerit, notante *Biſſeo* notis ad *Uptonum* p. 56. Nam apud *Sibmacherum* (Wapenbuch IV. p. 6.) pinguntur in area ſecunda §. 34. 35.

octo orbes, & ſolum non rubeum, ſed cæruleum eſt. Nec raro *caſui ſingulari inſperatoque* origo inſignium debetur, quo refertur, quod in Provincia *Porcelleti* in campo aureo porcum gradientem nigrum deferunt. Id enim inde factum eſſe, vetuſta (ſed, *Varennio* judice, fabuloſa) traditione perhibetur, quod nobilium illorum atavia quædam ex imprecatione pauperculæ, cui eleemoſynam duris verbis negaverat, novem ſimul infantes pepererit, ut ſcrophæ ſolent. Sæpe ex *rebus*, quibus ditio equitis abundat, ex *religione*, ex *conjugiis*, petitæ ſunt ſcutorum notæ. Omnium ſæpiſſime ex *paronomaſia*, uti mox pluribus memorabitur. Nec raro Principes clientibus bene de ſe meritis ex ſuis δείγμασιν aliquid conceſſiſſe offenduntur, quod in clypeis oſtentarent. Sic Imperatores Auguſtiſſimi coronam imperialem, aquilamve aut bicipitem, aut μονοκέφαλον, ſed coronatam, non unius Comitis Baroniſque inſignibus inſeruerunt. Barones autem de *Loſimthal*, indultu Ferdinandi III. armis gentilitiis auream parmulam impoſuerunt, corona imperiali conſpicuam, cum epigraphe: FIII. Eædem literæ leguntur in pectore aquilæ, quam media galea Baronum *Sporkiorum* ſuſtinet.

Cap. III. *Scutorum* etymologia, ſynonymia, materia, forma, quantitas, & varii modi ea diſtinguendi aut ſibi invicem imponendi vel adjungendi, excutiuntur.

Cap. IV. De ſcutorum *tinctura* ſermo inſtituitur, quæ Gallis *eſmail*, ſive in plurali *eſmaux*, dicitur, ab Italico & Latino-Barbaro *ſmalto*, h. e. opere encauſtico aurifabrorum. Speneri autem judicio, vernaculum noſtrum Schmeltz radix eſt, unde voces illæ exoticæ propullularunt. Cæterum tinguntur ſcuta tum *metallis* auro & argento, tum *coloribus*, uti pernotum eſt. Lectu inprimis digna vi-
§. XXXVIII. dentur, quæ ſub calcem de *umbratico* colore monentur; itemque
§. XXIX. exceptiones decem contra regulam patrum patratorum, *metalla non metallis, nec colores coloribus inſcribi debere*. Vindicat inter cætera ſcutum familiæ Venetæ *Michaeliæ*, ſexies cyano & argento faſciatum & 21. talentis aureis (6. 5. 4. 3. 2. 1.) tectum. Quamvis enim novem horum numorum incidant in faſcias argenteas, conſiderantur tamen univerſi ut toti ſcuto incumbentes. Cauſa aſſumtorum inſignium memorari meretur, nempe beneficium Dominici Michaelii Ducis Veneti, qui, claſſis Chriſtianæ ſub R. Balduino adverſus infideles ductor,

Digitized by Google

ctor, penuriæ exercitus ita ſubvenit, ut ex corio monetam cuderet, & gravi propoſita pœna eos, qui venalia habebant, quæ ad victum requirerentur, ad accipiendam hanc monetam obſtringeret, quam dein redux domi ſuæ legitima moneta iterum permutavit.

Caput V. plus quam dimidiam voluminis partem conſtituit, agitq; de figuris ſcuto inſcriptis. Dividuntur eæ in *partes* arti proprias ſeu *honorabiles*, & *vulgares*, hasq; vel *naturales* vel *artificiales*. Longum foret ſingulas claſſes enumerare, cum nihil fere natura habeat aut ars, quod non ſcutariæ figuræ locum occupare queat. Singula illa corpora, pulcherrima ſerie inter ſe invicem connexa, quamplurimis exemplis illuſtrantur. Nos rariora quædam, quæque artis hujus expers in clypeo gentilitio vix quæreret, ſeligemus & huc transferemus. Geſtant *Meluſinam*, ſeu monſtrum ex fœmina homine & piſce compoſitum, nigrum, coronatum, in binas caudas deſinens, in bi-
pertiti ſcuti parte anteriori aurea *Oſtrmayeri* Nobiles Auſtriaci; *Orca-* pag. 205.
dem ſive ſpectrum montanum rubicundi coloris capite mutilatum
in area cærulea *Trollii* in Suecia; integrum *cadaver humanum* nu- 207.
dum nigro feretro impoſitum *Leichnamii* in Miſnia; in campo cæ- 209.
ruleo *ciconiam bicipitem* candidam *Weileri* Rhenani equites, de quibus luculentam fuſamque relationem doctiſſimus illius gentis *Bur-*
cardus Theodoricus de Weyler communicavit Autori, qui operi ſuo 160. ſ.
eam inſerere haud neglexit. *Wengeri* Bavari in prima & quarta a- 209.
reola aurea *leonem* deferunt nigrum, præditum capite *humano* virili,
vitta ex argento & minio faſciata tecto. *Breckendorfii* in Bavaria ca- 210.
put humanum nigrum cum collo, ſiniſtra aure *aſinina* argentea, aureæ parmæ inſerunt; a quo non multũ differt δεῖγμα *Jmorinskiorum* Sileſiorum, herma nempe virilis, cæruleo indutus, auribus *aſininis* ejusdem coloris inſtructus, in argenteo campo collocatus. Hoc inſignium genere judicem incorruptum, qui multa audiat, hieroglyphice ſignari, Vulſonus opinatur. *Leo* aureus in *piſcem* deſinens in area rubra, nota gentilitia eſt *Imhofiorum* patriciorum Norimbergenſium, e quibus *Jacobus Wilhelmus Im-Hoff* ſæpius nobis laudatus poſt *Spenerum* inter Germanos in arte Heraldica vix parem agnoſcit.
Variæ familiæ literam aliquam in armis oſtentant. Imo gens *Feli-* 303.
ciana, quæ Pedemontio orta, Avenione, Maſſiliæ & Aquis Sextiis habitat, in parma rubea baltheum argenteum cum tribus F nigris

defert. *Segoing* tr. des arm. art. 5. p. 51. autor eſt, triplici illa litera hæc verba latere: FELICES FUERANT FIDELES. Unde hunc in modum, ex interpretatione Speneri, pergit: *Elogium honoris huic genti collatum ab Amedeo Comite Sabaudiæ A. 1247. in gratum teſtimonium eorum fidei, quod cum totum fere Pedemontium a Principe defeciſſet, in fide perſtiterit Rivolium opidum, ex cujus præcipuis civibus fuere hi Felices.* Quatuor autem literas S. P. Q. R. in diagonaliter tripartiti ſcuti parte rubra auro exprimere conſueverunt *Ræmeri* patricii Francofurtenſes. Vocem LIEB aureis literis faſciæ argenteæ ſcuto nigro inductæ inſcribit *Zachareis*, nobilis familia Bavarica.
p. 268. *Raymondi* Vaſcones habent ſcutum cocco tinctum & ſphæra armillari argentea inſignitum, additis (juxta *Varennium*) his auro ſcriptis Vaſconica dialecto vocibus: *Rien du monde ne me changera.*

Capite IV. *Apicem* ſeu *Timbrum* curatius exponit Autor; quo pertinent coronæ, ſertá, pilei clericorum, pallia, diademata tortilia, cornua, plumæ, culcitræ, figuræ tandem omne genus. Singularia
§. LXI. ſub capitis finem annotat Noſter, his omnino verbis: Fam. *Blacha* (Sileſ.) utitur loco apicis ſagitta rubea, quæ galeæ non imponitur, ſed eam oblique transverberat. An forte quod ex conflictu talis aliquando redierit? *Taubadel* (Miſn.) præter apicem, quem pennæ galli gallinacei conſtituunt, per galeæ diademate tortili tectæ clathros trajicit gladium. Forte ex eadem cauſa. *Biberſtein* (Sileſ.) galeæ coronatæ imponit cornu cervinum, ſed ex latere galeæ protenditur armatum brachium, gladio ictum minitans. *Wendte* (Weſtfal.) præter apicem ipſum ex caſſide protendit brachium ex dextro latere, quod ſcutum amplectitur. *Griesbeck* (Tirol.) inter duas galeas ſcuto turrem ſcutariam imponit.

Caput VII. ingrediuntur ſcuto adjacentia, *Telamones* nempe, *dignitatum* & *ordinum* notæ, *ſymbola* heroica & *teſſera* militares; *caput VIII.* autem *diſcernicula* armorum (*briſures,*) quibus tum lineæ primariæ a ſecundariis, tum primogeniti a ſecundo genitis ejusdem lineæ, tum legitimi ab illegitimis diſtingui ſolent. Sed lectu longe jucundius eſt *caput IX.* idemque *ultimum* de *Inſignibus æquivocu* ſive *paronomaſticis.* Galli dicerent: des armes parlantes, *ou* qui chantent, *ou* equivoques. Harsdœrferus: Redende Wapen
p. 363. aut Nahmen-wapen. Qualia ſunt *Alciatorum*, qui alcen, *Cabrerarum*

Digitized by Google

brerarum, qui capram nigram, *Malaſpinæorum*, qui ſpinam, *Columniorum*, qui columnam, aliorum, qui aliud δεῖγμα nomini ſuo proprio ſimile, uſurpant. Apud Germanos frequentiſſima ſunt: diſtinguuntur autem in claſſes decem. *Alluſio* nempe aut eſt facta 1) in *tinctura*, aut 2.) in *figurarum* aliqua, ſed *ſimplex*, aut 3.) in figura una, ſed *duplici ratione*, aut 4.) in figuris *duabus* diſtinctis, aut 5.) *longius petita*, aut 6.) ex alia *lingua* vel *dialecto* deducenda, aut 7.) ex non intellecto vel neglecto *vero etymo* profecta, aut 8.) in *apice* extat, aut 9.) ex familiæ nomine *antiquo* deſumta eſt, vel *genti* ex ipſis inſignibus *nomen* ſuppeditat, aut denique 10.) *longius petita ex ſono tantum vocum conjunctarum*, non attento, quæ ſignificatio earum ſit. Singulæ claſſes multis exemplis illuſtrantur. Nos pauca tantum ſpeciminis loco in medium proferemus. Ex *quarto* ordine ſuccurrit ſcutum *Frangipaniorum* cæruleum, duas continens manus argenteas panẽ aureum in duo fruſta diffringentes, quo Frangipanii cujusdam liberalitatem, (qua in annonæ caritate de pluribus egenis bene meritus eſt,) poſteritatis memoriæ commendari ajunt. pag. 366.
Ad *quintam* claſſem *Spenerus* refert *Toppleros* Norimbergenſes, qui duos taxillos, eo quod luſores, (Toppler,) his uti ſoleant, ſcuto inſerunt; itemq; *Schelmen* Francofurtenſes, qui in rubeo ſolo argento pictũ os cadaveris, (quod aliquando ſchelm dici notat Noſter) diagonali ſitu cum ſtella aurea in ſcuti ſiniſtro angulo ſuperiori geſtare amant. Ex ſerie ſexta hæc habe: *Ruttenbergii* geſtant rhombos, quaſi Rautenberg vocarentur ex Raute *rhombus*. 367. *Reinhardi* (Helvetii) vulpem auratam, a *renard*, quod Gallis *vulpem* notat. *Schleinizii* roſas, Slavice ita appellari ſolitas. *Septimi* generis ſunt leo regni *Legionenſis*, & calix *Gallicia*, cum iſtud a *Legione*, non a *Leone*, hæc non a *calice*, ſed *Gallæcis*, nomen habeat. *Blondellus* T. I. Geneal. Franc. LXVI. * 2. & 7. 2. p 163. 164. paradoxe ſatis opinatur, *Ludovicum VII.* Regem Galliæ, alluſione ad nomen ſuum *Lois* vel *Louys*, lilia (*lys*) inſignibus ſuis intuliſſe, nulla veræ etymologiæ nominis *Ludovici* ratione habita. Longe certius huc pertinet *Landsbutum*, urbs Bavariæ. Huic non a pileo, ſed ſpecula, (des Landes Hut oder Warte/) nomen inditum, ob turrem ibi extantem altiſſimam. In inſignibus tamen, loco *ſpeculæ*, tres *pilei* viſuntur. Ad *nonam* claſſem inter alia refertur exemplum Illuſtr. *Rechbergiorum*, quibus in ſcuto

duo

Digitized by Google

duo *leones rubei* & ex eo (nec enim aliam rationem divinare potuit ſagaciſſimus autor) titulus novus Comitum de *Rotenleven*.

Sed tantum de opere hoc utiliſſimo æque ac laborioſiſſimo, cui ſubnectuntur indices tergemini. Primus recenſet *tabulas aneas*. Alter *terminos heraldicos* & res alias in hoc libro memoratas. Tertius *familias* & *civitates*, quarum inſignia vel tota vel ex parte explicata fuere.

TABULÆ HODOSOPHICÆ:

ſeu

D. Joh. Conradi Dannhaueri Hodoſophia Chriſtiana in Tabulas redacta a Philippo Jacobo Spenero D.

Francofurti, apud Joh. David Zunnerum, 1690. in 4.

Conſtat plagulis 22.

CUm Tabulæ iſtæ profectui ſtudii Theologici deſtinatæ ſint, commodum viſum eſt celebratiſſimo Theologo Autori *de Impedimentis Studii Theologici* nonnulla, tam a ſe ipſo, quam ab aliis piis prudentibusque viris obſervata, *præfationis loco* diſſerere, utpote de argumento digniſſimo, & noſtro ſæculo maxime neceſſario. Etenim *Eccleſiam noſtram* a priſtino ſuo nitore, non ſolum qui Apoſtolicis proxima tempora exornavit, ſed qui etiam a B. Luthero ei reddi cœpit, plurimũ defeciſſe, & *vitia contraxiſſe*, non quidem in doctrina ipſa, ſed *in doctoribus & miniſtris Eccleſiæ quibusdam*, qui quidẽ fidem ſuam obſtringant libris Symbolicis, virtutem vero divinam publica confesſione delineatam non ſatis intelligant, adeoque nec integram, uti decet, aliis tradere norint. Nam partes cœleſtis veritatis ſapienti nexu cohærere, atque alteram ab altera firmitatem & evidentiam ſæpe accipere: quare qui integram non ſatis calleat, non ſemper partes etiam puritate decenti explicare poſſe. Ita *Sanctificationis* doctrinam recte aliis tradere non poſſe, niſi qui *Juſtificationis* myſterium exacte cognitum habeat; vicisſim nec hanc rite traditurum, in doctrina Sanctificationis hoſpitem; cum duo hæc beneficia, diſtincta quidem multis modis, conjunctisſima tamen ſint, & illud ab hoc omnem virtutem ſuam arceſſat, hoc vero ex illo cognoſcatur.

ſcatur. Inde juſtificationis ignarum ſanctitatem inculcaturum propriam, Phariſaicam, & hypocriticam: Sanctificationis imperitum fidem juſtificam ſibi imaginaturum & aliis propoſiturum talem, quæ nihil minus quam fides eſt. Nec defuiſſe tamen, qui cum pluribus annis functi eſſent miniſterio, demum conqueſti fuerint, ſe duos illos articulos diu non ſatis intellexiſſe. Quare nec ab his Auditores potuiſſe ſufficienter erudiri, cum in illis etiam cœtibus, quibus veritas divina clare & integre proponitur, multi audita in pectus altius penetrare non patiantur. Unde nec in ipſa veritatis luce nos poſſe gloriari, illius ſolidam cognitionem in omnium Eccleſiæ civium cordibus lucere.

Defectus hujus *cauſam*, non quidem unice, maximam tamen partem, dependere ait *ab ordine ſacro docentium in Eccleſia.* Hinc emendationi illius maxime ſtudendum eſſe, ſi hanc priſtino nitori reſtitutam cupiamus. Porro cum ſtudiis prius operam dent, qui Eccleſiæ ſervitiis admoventur, manifeſtum eſſe, eosdem ita informari oportere, ut utiliter & ſalutariter fungi olim munere ſuo valeant. Etenim pleroſque ſæculi amore in juventute imbutos, nec ab eo, dum ſcholis vacabant, mundatos, omni vitæ tempore profanitatem mentis ſervare, maximo cum animarum cæcis ducibus commiſſarum diſpendio. Defectus iſtos jam ante ſe cordatos Theologos obſervaſſe, deque remediis conſilia ſua contuliſſe, ſed obniſum eſſe pertinaciter Satanam, effeciſſeque, ut dum adhuc judicium ſatis grave ob priſtinam erga Evangelii manifeſtationem ingratitudinem Eccleſiæ noſtræ incumbit, parum hactenus profecerint. Nec tamen deſpondendum eſſe animum, ſed conſilia pluries & a pluribus ſuggeſta ſubinde repeti debere, ut quæ ſucceſſus hucusque feliciores remorata ſunt, & agnoſcantur clarius, & poſthac removeantur facilius.

Impedimenta igitur illa hoc ordine proponit, ut quædã *antecedant ſtudium Academicũ, quædam id unice reſpiciant*. Primo loco inter impedimenta ponit errores parentum, qui filios ſuos præcipiti conſilio ſacro ſtudio deſtinant, non explorando prius, an donis neceſſariis DEUS ipſos inſtruxerit, &, quod pejus eſt, non gloriam DEI, non ſpiritualem fructum ſancti laboris, ſed vitæ hujus commoditatem unice reſpiciendo, quam liberis ſuis evenire cupiunt. Quæ tamen *ἀσωτία* parentum apud eos divina gratia corrigatur, qui ſanctiori animo ſtudium ſacrum ſuo tempore aggrediuntur, aut qui

Digitized by Google

nec ipſi electionem ſapientius inſtituerant, ſi deinceps a DEO in viam rectam ſe duci patiantur. Gravius impedimentum judicat educationem minus ſollicitam eorum, qui ſacris ſtudiis deſtinantur. Etenim pleriſque parentibus ſufficere filios ad honeſtatem civilem adſuefacere, ultra quam & ipſi vix profecerint. Itaque a teneris unguiculis inſtillari ea, quæ cum abnegatione ſui ipſius, virtute, quæ inter vitæ regulas Matth. 16, 24. tantum non prima eſt, prorſus repugnant, dum in omnibus quæ agent, ſuum honorem, ſuam utilitatem vel futuras vitæ commoditates reſpicere vel jubentur vel permittuntur: qua ratione non doceri ipſos contemnere, ſi ita divinæ voluntatis ratio vellet, illa quæ naturalis valde corruptus amor nobis ſuggerit, neque eam virtutem in parentum vita obſervari. Inprimis cum laudis ac honoris cupiditate liberos ad induſtriam accendunt parentes, & a vitiis abſtrahunt, ut ut ſocordiam excutiant, & a nonnullis ætatis iſtius deliquiis eos abducant, dulce tamen illud venenum ambitionis ita ſimul inſinuari, ut in naturam commutetur, adeoque antequam alia ſolidiora recte capiant, pueriles mentes honorem tantum non unicum actionibus ſuis, certe præcipuum ſcopum præfigere diſcant, ad veram ſui abnegationem tota vita reliqua futuri ineptiores, & ſe ipſos in omnibus quæſituri. Accedere ad alios educationis defectus, etiam parentes ipſos, qui ad varia peccata exemplo ſuo, aliquando etiam juſſu liberos adſuefaciant, ſaltim ea, quæ ſæculum noſtrum peccata non reputat, aut in virtutum cenſu ponit, ut ſunt intemperantia, crapula, otium, mendacia, aſſentatio, maledicentia, ſuperbia. Pietatem quod concernat, non in alio eam poni, quam ut certas precationum formulas ediſcant & recitent, ſed ſine mente ſonos, cum plerumque ut advertant non moneantur, imo omnem parentum religionem in externis & cultus publici frequentatione conſiſtere ſpectent. Raros eſſe parentes, qui ſuis veram DEI cognitionem, timorem, & ſic cultum aliquem internum inſtillent.

Tales pueros ſcholas ingredi, ſine vero DEI ſenſu, & genuinæ virtutis præparamentis, & plerumq; tales iis exire. Inſtitutas quidem ſcholas eſſe a majoribus, ut in iis non ad humanitatem ſolum formaretur ætas puerilis, ſed potiſſimum ut Chriſto in baptiſmo conſecratæ animæ ad vivam Patris ſui cognitionem manuducerentur, ac ita imago

imago divina in iſto primo ingreſſu reſtaurari cœpta perficeretur, prodirentque e ſcholis homines literis & virtute omni ad veram felicitatem faciente inſtructi. Veruntamen leges Scholaſticas plurimas de aliis ſatis ſollicitas, circa hoc unum neceſſarium ſatis frigidas apparere. Horas pleraſque conſtitutas eſſe literis ad hujus tantum vitæ uſum profuturis, pauciſſimas deſtinatas ſtudiis, quibus mentes teneræ ad vivam fidem, & hujus fructus perducantur, aut ad verbi divini intelligentiam præparentur. Latinæ linguæ, quam quidem omnes eruditos, inprimis illos tenere bene oporteat, qui ſcholaſticis vel academicis muniis parantur, tantum temporis impendi, ut linguæ ſanctæ Græca & Hebræa, magis licet neceſſariæ & utiles, fere negligantur. In ſacris ſtudiis non aliam curam eſſe præceptorum, quam ut diſcipuli memoriæ notitiam aliquam doctrinæ orthodoxæ e catecheſibus vel compendiis imprimant, recitanteſque audiantur. Pauciſſimos magiſtrorum pias & debita cum πάθει ſerias paræneſes addere, ſemperque monere, fruſtra omnia diſci, niſi pectore ſuo ſancta verba ipſi recondant, Spiritus Sancti lumen ad hoc neceſſarium exorent, & hujus officinæ ut eſſe poſſint, vitæ ſanctitati ſtudeant. Porro Scripturæ Sacræ caput aliquod nonniſi curſorie legi in ſcholis, in qua feſtinatione in animos vix quicquam deſcendat, multo minus diu in iis hæreat. Ipſorum magiſtrorū plures, quid Chriſtianus ſit verus, ignorare, multo minus vere Chriſtianos eſſe. Hinc deeſſe illis zelum & piam prudentiam, ad coercendos affectus vitioſos diſcipulorum, qui cum ætate robur capientes in petulantiam atque indecora magis magiſque erumpant, in cœtu illo effrenorum adoleſcentum promiſcuo, in quo unius nequitia, quod alterius proterviæ deeſt, ex ſuo ſuppleat. Hinc ex præcipuis boni publici mediis fore, nonniſi doctos, pios, & prudentes ſcholis præfici magiſtros, qui poſt literas & honeſtatis naturalis principia Ethicam Chriſtianam vere calleant, & tradere noverint. Porro quod monuit de domeſtica educatione, incentivo honoris pueros ad agenda impelli, ſed ſimul ambitionis infelicia ſemina magis excitari, idem in Scholis etiam continuari dolet. Nam inde ingenia typho aliquo mox inflari, ex quo contemtus aliorum, jurgia, contentiones, inimicitiæ oriantur, totam deinde vitam corrumpentia. Itaque ex ſcholis progredi juvenes ſæpe etiam indoctos, quoſdam literis imbutos, ſed ſæculi amore & ſtudio placendi occupatos,

Digitized by Google

Tales in academias venire adoleſcentes, quos adeo corruptos ægre illæ formare valeant, quales ſalus publica requirit. Nec tamen ipſas academias culpa omnino vacare. Ut ergo prioris ætatis defectus corrigantur, operam dandam eſſe. Quæ cura ut ſuſcipi debeat, defectus iterum in Theologiæ conſecraneis detegit. *Primum* dicit, quod perſuaſionem ſecum afferant, Theologiam eſſe habitum humanum, qui ingenio bono, induſtria propria, & pertinaci ſtudio legendi, audiendi, meditandi, cum aliis ſe exercendi acquiratur. Hinc conſequi vitia iſta: (1) adoleſcentes omni ſtudiorum tempore ingenio & induſtriæ ſuæ cuncta tribuere, divinæ gratiæ nihil; (2) precibus eosdem parum tribuere, nec non aliis pietatis exercitiis: (3) vitæ ſanctitatem non neceſſariam putare, quam ſectari demum ſufficiat ſacro muneri admotis; (4) omnem totius ſtudii ſcopum temporalem habere; (5) omni ſua induſtria literalem aliquam rerum divinarum cognitionem & eruditionem ventoſam, omni virtute divina vacuam invenire, qua profana ſua Theologia plus nocituri quam profuturi ſint Eccleſiæ. Salutare ergo fore, ſi in quavis Academia publico ſumtu conſtitueretur Theologus doctus, prudens & ſincere pius, qui novorum advenarum Theologiæ deſtinatorum non ſolum ingenia & profectus exploraret, ſed & hoc inprimis dogmate recentes imbueret diſcipulos, ut noſſent, quam Theologiam veram quærere debeant, quaque via invenire. *Secundum* impedimentum obſervat ſtudiorum inordinatam tractationem vel electionem. Inter ea, quæ ſubſidiariam operam Theologiæ præſtare creduntur, primam fere cenſeri Philoſophiam, & hoc nomen primum eſſe, quod colant advenæ ſcholaſtici. Ac quidem de ejus neceſſitate & utilitate non ſemel diſputatum fuiſſe. Hoc certum eſſe, cum adhuc eſſet puriſſima Theologia, Philoſophiam & humanas alias artes aut parum, aut nihil attentas fuiſſe. Ubi vero ex gentilitate Philoſophi Chriſtianam Eccleſiam ingreſſi uſui ſacro impenderint, dubitari, majorine commodo vel incommodo Theologiæ id factum ſit. Non enim ſolum primos pleroſque hæreticos ex impura philoſophia ortos eſſe, verum etiam hæreſes ſequenti tempore multum ex philoſophorum placitis traxiſſe. Si vero philoſophia Platonica, quæ tantum non ſola primis ſeculis floruit, variis erroribus dederit occaſionem, longe majorem noxam Ariſtotelem intuliſſe

in Ec-

Digitized by Google

in Eccleſiam, cum ejus doctrina Platonicam paulatim expulerit, non melior ſed deterior. Maluit hoc Cornelii Janſenii verbis, quæ adſcripſit, quam ſuis eloqui. Addit Ariſtotelicam philoſophiam fuiſſe ex præcipuis inſtrumentis, quibus Papalis dominatus extructus ſit in Eccleſia; ideo in illam Lutherum vehementer invehere. Nihilominus ex eo tempore, nimiam autoritatem iterum ei redditam fuiſſe. Itaque cum ob iſtos tamen abuſus Philoſophia vera non ſit ex civitate DEI releganda, præſtare, Ariſtotelicæ philoſophiæ, inprimis a Scholaſticis corruptæ, exequias iri, excepta Logica, & ſyllogiſmi ratione, atque demonſtratione, quarum doctrinarum ſua ſit utilitas, de cætero autem eclecticam philoſophiam nos amplecti. Qua lege ſtante, nullam ſcientiarum, quas ſub philoſophiæ nomine complecti ſolent, Theologiæ inutilem judicat. Attamen negat, omnibus Theologiæ ſtudioſis encyclopædiam philoſophicam neceſſariam eſſe, de quibus proinde in tres claſſes diſtinctis pronuntiat. Alterum genus ſubſidiorum ex Philologia peti, in cujus partibus licet etiam diſtinctionem quandam faciat, omnibus tamen linguarum authenticarum ſtudium enixe commendat.

Ad ipſam nunc tranſit Theologiam, cujus cum partes ſint Catechetica, Thetica, Polemica, Exegetica, Moralis (cum Aſcetica & Caſiſtica) Hiſtorica, Homiletica, impedimentum exiſtere docet, cum ex his ſeligunt ſibi, qui omnibus tractandis non ſufficiunt, minus neceſſarias. Theticam Theologiam (ſub qua Catecheticam complectitur) omnibus neceſſariam agnoſcit, & a qua cum ipſo Sacræ Scripturæ ſtudio merito fiat initium. Polemicæ non æque univerſalem neceſſitatem eſſe monet. Hiſtoriæ eccleſiaſticæ cognitionem aliquam infimi etiam ordinis ſtudioſis ſuadet, majorem cæteris. Practicam Theologiam, quæ moralem pædiam tradit, neminem ſine detrimento negligere poſſe aſtruit; quæ caſus conſcientiæ tractat, e libris peti aliquando jubet. Homileticam, quatenus ipſa hermeneuticæ & exegeticæ contradiſtinguitur, & in oratoria ſola conſiſtit, inter impedimenta præcipua refert, & quem tandem uſum aliquem habere queat, declarat. Exegeticæ Theologiæ primatum tribuit, ac architectonicam eam directricemque reliquarum omnium Theologiæ partium extollit, ideoque omnibus ſumme neceſſariã & utilem proponit. Quare hanc adeo negligi, aut non recte tractari, contra

legum publicarum ſalutarem inſtructionem, inter prima obſtacula profectuum ſacrorum cenſet, præſcribitque rationem, qua Scripturæ lectio, tum curſoria, tum accuratior inſtitui debeat, de commentariorum uſu atque abuſu etiam quædam ſubjiciens.

Theologiam Myſticam, quam B. Lutherus admodum æſtimarit, & Theticæ partem conſtituere poſſe haud obſcure indicet, illam probat, quæ orthodoxiæ omnino conformis, ex verbo revelato omnes ſuas revelationes deducit, & de eo tantum ſollicita eſt, ut quid divina beneficia ſint, non diſcamus ſolum, ſed jugi pœnitentia paremus, ut magis magisque illuminati DEO arctius uniamur. Hodegum in hoc ſtudio offert Johannem Arndium.

Diſputandi exercitium judicat ſubſidium ſtudiorũ, quo ſe præparant ſtudioſi ad conflictum cum adverſariis: illud idem impedimentum eſſe iis, qui intra gradus inferiores conſiſtent, ſi diſputationibus nimium temporis tribuant, quod magis utilibus impenderetur. Majori damno immoderatum diſputandi pruritum illis cedere, qui exercitii iſtius conſuetudine vitium litigandi acquirant, hominibus inde omnibus moleſti & fere intolerabiles, & ad pleraq; vitæ munia inepti exiſtentes. Ipſas etiam diſputationes non uno ſæpe corrumpi vitio, præcipue ambitione, & præ aliis ſe oſtentandi cupiditate, qui perverſus plerumque ſcopus ſit diſputantium, non qui eſſe debet, veritatis inquiſitio.

Hæc fere ſunt impedimenta, quæ circa ipſa ſtudia obſervavit. His circa partim docentes, partim circa diſcentes ſuperaddit quædam. Circa docentes, ſi qui pauperum, qui præmia pro informatione ſolvere non poſſunt, penuriæ non ſuccurrant. Nam ut reliqui, qui facultatibus ſunt præditi, didactrum exſolvant, juſtum æquumque eſſe admonet. Circa diſcentes, profanam vitam facile primarium eſſe obſtaculum, quod etiam pluribus graviter exaggerat, intelligens profanæ vitæ appellatione non ſolum plane ſceleratam vitam, ſed & eam, quæ a Chriſti regulis recedit, ut quæ omnis vitæ Chriſtianæ fundamentum abnegationem ſui inſuper habens, omnia ad proprium honorem, utilitatem, voluptatis cupiditatem refert. Augmentum hujus impedimenti obſervat eſſe exemplum aliorum pravum, inprimis ipſorum præceptorum.

Tabulas ipſas Hodoſophicas quod concernit, fecit eas ſibi Dn. D. Spe-

Digitized by Google

D. Spenerus, Dannhaueri diſcipulus olim in ſuum privatum uſum, deinde amicis, quibus Hodoſophiam explicavit, communicavit, ſæpe ab aliis, qui non aſſueti ſcribendi rationi Dannhauerianæ de difficultate intelligendi utiliſſimum librum conqueſti ſunt, hactenus deſideratas, nunc publicæ luci expoſuit. Prima tabula generalis eſt, & ὑποτύπωσιν totius operis conſpectui Lectoris exhibet; unde reliquæ omnes hujus tantum ſpeciales deductiones ſunt: ſecunda procemium continet & Theologiæ deſcriptionem; reliquæ ſingulæ ſingula phænomena Hodoſophiæ enarrant; niſi quod una interſeritur, qua Decalogus explicatur. Additi ſunt margini paginarum numeri, ubi ſingula in libro ipſo inveniri queant. Non inveniet Lector in laudatis Tabulis nudam σκιαγραφίαν, & aliquod quaſi aridum σκέλετον, ſed præter diſpoſitionem, nucleum ipſarum rerum paucis verbis comprehenſum.

Adjunctæ ſunt his Tabulis Epiſtolæ tres Appendicis loco. In prima petit quidam a Spenero reſponſiones ad tres quæſtiones. In altera Spenerus reſpondet, & quidem ad tertiam de Theologia myſtica amicum remittit ad præfationem Tabularum Hodoſophicarum. De altera quæſtione, an Chriſtianus pietatis ſtudio incumbens per gratiam DEI hunc perfectionis gradum contingere poſſit, ut non amplius peccet, cupit conſuli præfamen libello de Templo Salomonis præfixum. De prima quæſtione, an regenitus Legem Dei ſervare poſſit, doctrinam ſuam in opere de Juſtificatione expoſitam hic contrahit, docens (1) Legem divinam in eo rigore, quo obligat, neminem in hac vita implere poſſe; (2) Chriſtum pro nobis Legem perfectiſſime impleviſſe; (3) Hominibus nihilominus incumbere adhuc aliam ſervationem Legis, quam per gratiam Dei præſtare poſſint, non quidem perfecte, verum imperfecte, aut, ut alii Theologi diſtinguunt, non ſecundum rigorem legis, ſed ſecundum ἐπιείκειαν Evangelicam. Quam ſententiam ſuam probat ex Scripturis, Libris Symbolicis & orthodoxis Theologis. Tertia Epiſtola viri cujusdam pii commendat Examen Catecheticum publicum in Eccleſiis Saxonicis introductum.

JOH.

Digitized by Google

JOH. LUDOVICI PRASCHII DISSERTATIO altera de Origine Germanica Latinæ Linguæ, qua diſſertatio prior una cum Onomaſtico Germanico-Latino aliquatenus ſuppletur & explicatur, adeoque via aperitur novo Etymologico. Accedit Gloſſarium Bavaricum.

Ratisbonæ, literis & impenſis Hofmannianis, 1689, in 4.

Conſtat plagulis 4.

Diſſertatio hæc altera celeberrimi Praſchii *de origine Germanica Latina lingua* ultimus Autoris eſt fœtus, quem nihil excepit amplius, quam Ode Alcaica ſtropharum quatuor, in ipſo ferali ſtrato haud dubie ab ipſo decantata, quam & *Cygneæ cantionis* nomine inſignire voluit. Ita enim decreverat Vir beatus in epiſtola Latina, quam ad amicum de opuſculis a ſe editis d. X. Maji A. ſuperiore 1689 dederat, *ſe nihil quicquam ſive ſoluta ſive ligata oratione poſthac editurum aut compoſiturum, niſi quod diſſertatio altera de origine Germanica Latinæ linguæ typothetam adhuc expectet;* quæ & eodem anno ſuperiore, quo epiſtolam jam dictam ſcripſerat, Ratisbonæ prodiit. Nimirum & hic candidiſſimus cygnus morti jam proximus carmen ſibi ipſi exequiale cecinit. Fato autem ſuo functus eſt non ſine dolore & patriæ ſuæ Ratisbonæ, & eruditi orbis, hoc anno 1690. d. 12. Maji, & d. 16. ejusdem magnifice ad dormitorium elatus, Vir profecto non de patria tantum ſua (erat enim in ea Vir Conſularis, Ærarii publici Director, Sacri Conſiſtorii Præſes ac Proto-Scholarcha, nec non ad Collegium Civitatenſe durantibus adhuc Imperii Comitiis Deputatus primarius) ſed & de re literaria ſcriptis non paucis in lucem emiſſis inſigniter meritus. Edidit autem, ut catalogus opuſculorum ejus nos docet Ratisbonæ A. 1680 impreſſus, *C. Julii Cæſaris Interitum*, Jenæ 1655, in 4. *Νόμιμα τῶν Αἰγυπτίων*, ſive *Leges Ægyptiorum*, Argentorati 1657 in 4. *Introductionem & Notas in Phædri Fabulas* cum additamentis aliis, Gieſſæ 1660 in 8. *De Caritate Patriæ* ad Seren. Electoris Saxoniæ & Ducis Altenburgici Legatos, Norimbergæ 1662. in 4. Comœdiam, *Amicos*, Argentorati 1663. in 8. *De Bono Cive φιλοσοφέμενα*, nec non *σχεδίασμα*

de

de Mendacio, ad V. Cl. Joh. Henr. Bœclerum, ibidem in 8. *Ariſtidem peræquatorem*, ſive *de Tributis*, Francofurti ad Mœnum 1663. in 12. *Juris Conſultum Verum & Perſonatum*, ad Illuſtriſſ. Baronem Boineburgium, Norimbergæ A. 1664. in 4. *Poëmatum libellum*, & *Pervigilium Veneris*, innominati veteris Poëtæ opus, emendatum ac notis auctum, ibidem 1666. in 12. *Notas in librum I. Politicorum J. Lipſii*, ibidem 1666. in 12. *De jure majoris partis*, Auguſtæ Vindelicorum 1666. in 4. *Cynoſuram artium*, Norimbergæ 1667. in 12. *Tulliam*, Tragœdiam, Ratisbonæ 1667. in 4. *Eclogas*, Francofurti ad Mœnum 1671. in 8. *Chriſti Jeſu D. N. aureos apologos verſibus incluſos*, Ratisbonæ 1674. in 12. *Mauſoleum Viri clariſſ. Jo. Ottonis Taboris*, Cancellarii Megapolitani quondam & Haſſiaci, diverſorumque Imperii Ordinum Conſiliarii, ſoceri ſui, ibid. 1675. in 4. *Roſetum*, ſeu præcepta ſtyli Latini, ibid. 1676. in 12. *Arminium, Cheruſcorum Ducem*, Tragœdiam, ibid. 1678. in 12. & *Lycidam* ſeu *Bucolicon* dicatum Joh. Chriſtiano Keckio, Conſiliario Durlacenſi, 1679. ibid. Et hæc quidem, imo & alia ab A. 1655. usque ad annum 1680. Latine edidit, cum ſcriptis Germanicis duobus, quorum unum der beſtiegene Regierungs-Wagen des Durchl. Fürſten und Herrn/Herrn Maximiliani Emanuelis, Churfürſtens in Beyern. Regenſpurg in folio; alterum: Gründliche Anzeige von Fürtrefligkeit und Verbeſſerung teutſcher Poeſie/ ſamt einer poetiſchen Zugabe. Nec ceſſavit ab anno 1680. quo Catalogus opuſculorum jam relatorum fuit editus, ad hunc annum usque ſibi fatalem 1690. libros vel tractatus, quantum inter graviſſima ſpiſſiſſimaque negotia fieri potuit, prelis ſubjicere. Nam poſt edita alia, quæ non vidimus, A. 1685. autore ipſo *Pſyche Cretica* lucem aſpexit, fabula Romanenſis, ſed Chriſtiana, in Actis noſtris ejusdem anni menſe Decembri p. 583. ſeqq. recenſita, nec infelicem e noſtro ordine interpretem, uti Praſchius ipſemet in Epiſtola ad Amicum profitetur, indepta. Anno ſubſequente 1686. publico ſe ſtitit *prima* ejus *Diſſertatio de Origine Germanica latinæ Linguæ*, cujus contenta breviter a nobis in Actis ejusdemmet anni p. 325 ſeqq. ſunt enarrata; quo ipſo anno & *Myſteriorum linguæ Teutonicæ pars prima*, de divina ſcilicet origine hujus linguæ, typis publicis Ratisbonæ fuit exſcripta, ut & *Organon Latinæ linguæ*, quod in Actis noſtris A. 1688. menſe Janua-

Digitized by Google

rio p. 46. ſeq. recenſuimus. Tacemus *Caritatis legem* & *deſignationem juris naturalis & gentium ex diſciplina Chriſtianorum*. Tacemus opuſcula Germanica, qualia ſunt *Alceſtis*, *Andromede*, *Aſtræa*, nec non *Grammatica Teutonica*; Tacemus tractatulos alios Grammaticos non unos. Nam uti Proto-Scholarcha a Republica patria fuerat conſtitutus, ita in lingua Latina facilius feliciusque & tradenda & addiſcenda, docentibus æque ac diſcentibus facem prælucere ipſemet ſatagebat. Rerum autem Germanicarum inprimis erat quam ſtudioſiſſimus, nihilque adeo antiquius habebat magis, quam ut linguæ vernaculæ gloriam vindicaret, eamque & Græca & Latina linguis antiquiorem eſſe oſtenderet. Atque hinc non prima tantum illa Diſſertatio de origine Germanica Latinæ linguæ, A. 1686. evulgata, ſed & hæc altera jam recenſenda enata eſt, quam & ultimam opuſculorum ſuorum eſſe juſſit. In hac ſententiam ſuam de origine Germanica Latinæ linguæ perſequitur, præmiſſis Virorum clariſſimorum *Sam. Rachelii*, *Georg. Stiernhielmii* & *D. G. Morhofii* ſuffragiis. Nam & hi Scythas vetuſtisſimos agnoſcunt Germanos, Scythicamque adeo linguam & ipſam Germanam, cujus tanquam matricis partem etiam faciant Danica, Suecica & Norvvegica. Optat autem non abs re in eadem præfatione Praſchius, ut *Runa Suetica* doctiſſimi Suecorum *Stiernhielmii*, poſt *Anti-Cluverum* ejus & diſſertationem de *Hyperboreis*, nec non πολυμαθεστάτου *Morhofii opus Germanicarum Originum*, quod in Teutonico tractatu de lingua Teutonica promiſit, in luce tandem publica conſpiciantur. Cæterùm cum conſtanter adhuc crederet Praſchius, Germanicam & Latinam ejusdem eſſe originis, teſtimonio ipſi 1. erat conſonarum vocum multitudo maxima, quæ caſui adſcribi nequeat. Jam mille admodum voces in Onomaſtico Latinæ linguæ producuntur, non ſono tantum ſibi ſimiles, ſed ipſa quoque ſignificatione quam intime conſpirantes; 2. Terminationes vocum Germanicarum, quæ apparent in Latinis, ut pater vater / mater mutter / magiſter meiſter / macer mager / ager acker / &c. 3. Comparationes. Nam in utraque lingua comparativi fiunt per R & ſuperlativi per S, ut doctior, gelehrter / honoratiſſimus, geehrteſt vel geehrtiſt. 4. Conjugationes, quæ in temporibus & modis & notatione apud Latinos æque ac Germanos mire conveniunt; ut & participia, ut legens leſend / legendus zuleſend.

5. Con-

5. Conſtructio, quæ utique fere eadem, id quod peculiari quadam ſchedula Autor aliquando expoſuit. Robbigius equidem lib. X. de rebus Criticis c. XVIII. Germanicas voces derivat a Latinis, ut a voce argus arg / a gallus gail vel geil &c. Sed Praſchius invertenda hæc eſſe contendit, harumque adeo vocum etymologiam a Germanica lingua vult procedere, productisque in rem ſuam exemplis vocum Germanico-Latinarum longe plurimis, præter alia & hoc obſervat, vocem Böckler (quod cognomentum fuit celeberrimi Polyhiſtoris, quem ad extrema usque tanquam præceptorem de ſe optime meritum veneratus eſt Praſchius) dici quaſi Bockleer / h. e. Bockleder / nam leer dici pro leder / & denotare corium ſive pellem hirci, quod hujus potiſſimum animalis corio parmas induerint. Addit etiam pro confirmanda ſententia ſua eximium Teutonicæ Philologiæ ſpecimen, à magni nominis JCto & Aſſeſſore quondam Cameræ Spirenſis, *Hulderico Eubenio*, ſecum expromte communicatum, cujus quatuor paginas complentis tale eſt Rubrum: Muſter etzlicher alter ſonderbahrer Scytho-Celtiſcher Stamm- und davon entſproſſener oder abgeleiteter anderer Wörter &c. Huic ſpecimini Eubeniano de ſuo quoque annectit Praſchius *Gloſſarium Bavaricum*. Nam uti pretioſam fore operam dixerat alibi, ſi unaquæque Germanorum natio proprias ſibi voces Lexico comprehenſas ederet, ita φιλοπατρία ductus *Gloſſarium Bavaricum* emittere voluit, non perfectum id equidem & accuratum, at voces tamen 500 admodum complectens, & ex quo ſat pateat, in idiomate Bavarico multas radices non Latinæ tantum & Græcæ linguæ, ſed & vulgarium contineri. Dum Praſchiana hæc recenſemus, inque Gloſſario ejus Bavarico deſinimus, commodū nobis affertur liber ab ipſo clarisſimo autore miſſus ac 32. plagulas complectens, cujus hic eſt titulus: Grundſätze der Deutſchen Sprachen im Reden und Schreiben / ſamt einem Bericht vom rechten Gebrauch der Vorwörter / der ſtudirenden Jugend und allen deutſch-liebenden zum beſten vorgeſtellet van Johanne Bœdikero, P. Gymn. Suevo-Colon. Rectore. Cölln an der Spree 1690. Hic Autor in dedicatione ad Patronos aliquot *Lexicon linguæ Germanicæ* promittit, quale jamdudum *Phil. Cluverius*, *Jungius*, *Schottelius*, *Harsdörfferus* & *Morhofius* exoptarint; qualeque jam adornare cœperint *Lindenbrogius*,

Freberus, *Heniſchius* & *Zinzerlingius*; & quia id operæ ſub FRIDERICO WILHELMO, Magno, Electore Brandenburgico, cœptum eſt, & ſub FRIDERICO III, feliciſſimo ejus ſucceſſore continuatur, idemmet non aliter quam *Lexicon Germaniæ Brandenburgicum* inſcribere congeſtor digeſtorque inſtituit. Cujusmodi Lexicon toties ac tamdiu exoptatum ab Eruditis & exſpectatum cum multum laboris, temporis ac virium ſibi poſtulet, nos clariſſimo ejus conditori valetudinem in ætate jam ingraveſcente infractam apprecamur, ut opus hoc orbi literario publicitus promiſſum, quodque jamdudum affectum ſe habere profitetur, in linguæ Teutonicæ, totiusque Germaniæ honorem, reique literariæ emolumentum conficere queat, & luci exponere.

ONOMASTICON GERMANICO-GRÆCUM Georgii Heinrici Urſini, Gymnaſii Poetici Ratisbonenſis P.P. cui in fine Epiſtola de primo & proprio Aoriſtorum uſu adjicitur.

Ratisbonæ, literis & impenſis Hoffmannianis A. 1690.

Conſtat plagulis 8.

QUi diſſertationes duas *de origine Germanica Latinæ linguæ* cum *Onomaſtico Germanico-Latino*, quod *Organo Latinæ linguæ*, a nobis in Actis anni 1688. menſe Januario p. 46. ſeqq. recenſito inſertum eſt, orbi erudito expoſuit celeberrimus *Praſchius* non ita pridem his terris ereptus, idem & clarisſimo *Urſino*, Gymnaſii Poetici Ratisbonenſis P.P. famigerabili autor fuit, ut *Onomaſticon* quoque *Germanico-Græcum* congeſtum iret. Nam uti voces Latinas longe plurimas ex vetere Teutonica ſeu Scythico-Celtica oriundas fuiſſe cum aliis viderat Praſchius, ita Græcanicas quoque voces ex eadem manaſſe ſaturigine jamdudum obſervarat. Atque hinc illud Viri ad juvandas literas nati celeusma ad Urſinum jam laudatum, qui Proto-Scholarchæ ſuo paruit haud invitus, præſertim, quod commodi inde non parum redundaturum in rem ſcholaſticam ac literariam prævideret. Congeſſit enim & ipſe, Praſchianis veſtigiis inſiſtens, *Onomaſticon* hoc *Germanico-Græcum*, inque eo vocum Germanica-

Digitized by Google

manicarum & Græcarum, plerumque etiam conſpirantium cum his Latinarum harmoniam exhibuit, ut vel ſic memoriam Græcæ linguæ tyronum juvaret, firmioremque redderet. Sunt autem Onomaſtici hujus voces uſitatæ pleræque & primitivæ, niſi quod nonnullas Belgis aliisque inferioris Germaniæ incolis cognitas ex opere *Schottelii*, & diſſertatione *Boxhornii*, qua & ipſa Græcas Latinasque voces cum Germanicis comparat, admiſcuit. Nam multas alias non receptas Autor de induſtria, ne libelli moles excreſceret, prætermiſit, ſe pueris ſcribere hæc, non eruditis recordatus. Paucula tamen derivata irrepſiſſe alicubi, alia etiam conſilio fuiſſe admiſſa, ab inhoneſtis vero ac ſordidis ſe volentem abſtinuiſſe; adſperſiſſe etiam pasſim notulas, ſed, pro conjecturis, non κυρίαις δόξαις habendas monet. Cæterum in præfatione Onomaſtico huic præmiſſa, ex qua & hæc retulimus, non inconvenienter notat Autor ex Aventino, primum fuiſſe *Johannem Camerarium Dalburgium*, Vangionum, ut Aventinus vocat, Pontificem, qui aliquot vocum millia, quæ utraque lingua Græca & Teutonica idem ſignificent, collegerit. Sed hujus opus invidiſſe nobis temporum injuriam; vereri etiam ſe, ne quis in numero Aventini ſit exceſſus. Huic ſucceſſiſſe *Lazium* in libro *de gentium migrationibus*, ſed hunc pesſime deſcribendo corrupiſſe bonas voces Græcas, multasque admiſcuiſſe Græco-barbaras, quin quasdā finxiſſe ipſummet, nonnullis etiam ſignificationem plane falſam affinxiſſe. Hunc excepiſſe *Michaelem Neandrum*, Virum de bonis literis optime meritum, quippe qui in prima parte operis, quo orbis terrarum breviter explicatur, linguæ Græcæ & Germanicæ cognationem cum aliis argumentis, tum vocibus quibusdam ex Althameri expoſitione in Tacitum petitis probaverit. Idem fuſius deinde in eundem Taciti libellum egiſſe celeberrimum *Berneggerum* quæſt. XI. ſed novisſime *Matthiam Brandelium*, virum doctisſimum, in Anomaliæ ſuæ, quam Μισελλήνων vocat, præfatione. Nam & hunc pagellas aliquot vocibus Germanico-Græcis conſtipaſſe. Sed hos omnes, Germanos Græcorum facere debitores, vocesque utrique genti communes ab hiſce tranſiiſſe ad illos ſtatuere. Quæ dum bona fide ex Urſini præfatione ad Lectorem referimus, in mentem nobis revocamus D. *Georgii Chriſtophori Peiskeri* libellum, qui inſcriptus eſt *Index de vernacula & rerum Germanicarum ſignifi-*

 cationæ,

catione, pro Græcæ & Germanicæ linguæ analogia, Lipſiæ 1685 in 12. editus, & in Actis anni 1686. menſe Auguſto p. 415. & ſeq. recenſitus. Nam & hic autor vocabula Germanica non alius, quam Græcæ originis eſſe contendit, inque hoc *Lexicon Græco-Germanico-analogicum* promiſit; qua occaſione & mentionem tum fecimus literarum MSCtarum a V. C. *Joſepho Maria Bellini* ex Bononienſi Academia eodem anno ad nos directarum. Etenim & hic in itinere per Germaniam facto ſe deprehendiſſe ſcribit, linguam Germanicam omnino Græcam eſſe, ubi & ſpeciminis loco quædam Græco-Germanicæ voces afferuntur; qui quidem Bellini non Germanicam tantum, ſed & Latinam, imo Chaldæam quoque atque Hebraicam cum Græca unam eſſe, & dialectis tantum diverſas, aſſerere non dubitat; idem propemodum cornu inflans cum Viro clariſſimo *Johanne Petro Erico*, Iſenacenſi Thuringo, qui in *Principio Philologico e myſterio*, ut vocat, *renato* linguam Græcam, non Germanicæ tantum, ſed & aliarum linguarum Europæarum facit matrem. V. Acta ejusdem anni 1686. menſe Julio p. 327. Quamvis autem negari nequeat, plurima, rerum inprimis ſacrarum & eccleſiaſticarum, herbarum item, arborum & artium, quæq; eo pertinent, nomina ſuam Græcæ linguæ debere nomenclaturam, interiorem tamen adhuc Germanicam inter & Græcam linguas cognationem intercedere, jam ante Praſchium oculatiſſimum Viri ſummi, *Boxbornius*, *Salmaſius* & *Morhoſius* non adverterunt tantum, ſed & argumentis haud ficulneis evicerunt. Nam hi omnes non Græcam Germanicæ, ſed Germanicam Græcæ agnoſcunt matrem, & Germanicam quidẽ veterem vel Celto-Scythicam. Horum itaque exemplis, & Praſchii inprimis celeusmate inſtigatus *Urſinus*, *Onomaſticon Germanico-Græcum*, plane ut ille *Onomaſticon Germanico-Latinum*, concinnare haud pigratus eſt. Onomaſticon hoc quod attinet, exhibentur in illo 1. nomina ſubſtantiva communia Germanico-Græca. 2. nomina propria quædã communiora. 3. nomina adjectiva. 4. numeralia cardinalia, & ab his orta ordinalia. 5. prænomina. 6. verba. 7. adverbia. 8. conjunctiones & 9. præpoſitiones; additurq; *Sylvula vocum*, quæ quanquã ſignificatione non omnino conveniant, origine tamen conveniunt vel convenire ſaltem videntur. Et hæc quidem congeſſerat Autor noſter, antequam legiſſet B. Praſchii diſſertationem alteram *de Origine Germanica La-*

Digitized by Google

ca Latinæ linguæ. In qua cum non pauca reperiſſet propoſito ſuo inſervientia, hinc *Addenda* fuerunt enata, quæ plagulis jam excuſis annexuit, ſed plura diſſertationi *de origine Germanica Græcæ linguæ*, quam pollicetur plus ſimplici vice, reſervans. Præter hæc autem *Addenda* & aliud addit huic opuſculo corollarium, epiſtolam videlicet terſam non minus quam eruditam ad Virum Illuſtrem Dn. *Henricum Avemannum*, Sereniſſimæ Friſiæ Orientalis Principi a conſiliis regiminis, tanquam ſingularem Muſarum ſuarum patronum, ac benefactorem. Quæſiverat hic aliquando ex Urſino, quæ prima & propria eſſet aoriſtorum Græcorum ſignificatio, non ſolius copiæ cauſa a Græcis, utut illius ſtudioſis, adinventum id temporis fuiſſe ratus. Hic primo priſcorum Grammaticorum ſententiam exponit Urſinus, qui & ipſi diſcrimen quoddam inter aoriſtos & præterita agnoverint, ſtatuerintque perfectum rem modo & nuper completam, aoriſtum vero indeterminate, nullaque habita ratione, modone an pridem res prodierit, rem præteritam denotare. Sed hanc ſententiam rejici a *Gretſero* ait in *Inſtitutionibus Græcis*, qui & ad exempla veterum provocet promiſcue his utentium, diſcrimine iſthoc vix unquam obſervato. Sed quamvis promiſcuum temporum horum uſum apud veteres & ipſe agnoſcat Urſinus, altius tamen penetrat, & rationem aoriſtorum ex interiori adhuc ipſius nominis receſſu eruit. Scilicet Urſino aoriſti vere ἀορίστως tum demum ſignificant, cum nullum certum tempus definite aſſignificant, ſed actu tempora omnia includunt ac comprehendunt. Et hæc prima ei & maxime propria aoriſtorum videtur ſignificatio, quam & locis aliquot, non profanis tantū, ex Heſiodo nempe, Sophocle & Iſocrate, ſed & e ſacro quodam claram reddit. Nam in illo cœleſti, quod æternus Pater Filio unigenito tribuit, præconio, quod eſt Matth. 3. 17. Marc. 1. 11. Luc. 3, 22. aoriſtum εὐδόκησα ſic exponit: *acquieſco*, *acquievi*, *acquieſcam*. Qua aoriſti propria ſignificatione expoſita, ita præter alia ſcribit: *Habent ergo Græci, quod reliquarum linguarum nulla, tempus verbi ſignificatu tempora omnia comprehendens, in ſe vero indefinitum, dignum gentis elegantia, dignum cætera linguæ ſuæ felicitate, nunc primum, niſi ipſi mihi blandior, ſibi reſtitutum.*

HISTOI-

HISTOIRE DE LA RELIGION DES EGLI-ſes Reformées, par Mr. Basnage &c.

id eſt,

J.-Baſnagii Hiſtoria Religionis Eccleſiarum Reformatarum, oppoſita J. B. Boſſueti Hiſtoriæ de Variationibus Eccleſiarum Proteſtantiam. Tomi I. Pars II.

Roterodami, apud A. Acher, 1690, in 8.

DE hoc doctiſſimi Reformatæ Eccleſiæ Theologi Opere menſe proximo Auguſto pag. 392. ſqq. haud pauca jam dicta ſunt, cum primi illius Tomi Partem primam recenſeremus. In altera, quam nunc ſiſtimus, neceſſitatem reformationis ante omnia aſſerturus Autor, argumentum ab ipſo Boſſueto Epiſcopo petit, maximam Eccleſiæ tum temporis in moribus corruptelam confitente. Eandem verbis *Johannis Pici Mirandulani* ad Leonem X. & Concilium Lateranenſe ſcribentis, ex Faſcic. temp. fol. 209. confirmat. Eam vero non particularem aut brevem, ſed lepræ inſtar univerſalem & per aliquot ſecula continuatam fuiſſe cenſet. Cum igitur Pontifices cum Epiſcopis & Sacerdotibus ſuis in ſummam, ut ait, ignorantiam & impietatem prolapſi eſſent, & ex talibus Concilia convocarentur, negat dubitari poſſe, quin Eccleſiæ conſpectus ſive viſibilitas interierit, & veritas in paucis fidelibus ſuperſtes fuerit; doctrinæ enim depravationem ex morum univerſali corruptione præſumendam eſſe. Boſſuetum, cum vitia Eccleſiæ ſaltem in diſciplina & moribus, non vero in dogmatibus agnoſcat, ſibi ipſi contradicere notat, dum fatetur exceſſum in prædicatione indulgentiarum. Hunc vero dogmaticum fuiſſe, & merito Chriſti adverſatum monet. Semipelagianiſmum ex ipſius Leonis X. Bulla contra Lutherum art. 36. probatum it. Citat ex Richerio decretum Concilii Piſani, quod Eccleſia *in fide* & moribus reformanda ſit. Non diſſimulat, quæ Concilio illi objici ſolent, interim veritatem facti tot Cardinalium & Prælatorum teſtimonio ſatis comprobari exiſtimat, accedente ſimili decreto Concilii Conſtantienſis. Allegat inter alia *Andreæ Prolis*, Auguſtiniani Provincialis, ſententiam de gratia & merito Chriſti, in Concilio Latera-

tera-

Digitized by Google

teranenſi propoſitam, & ejusdem prædictionem de ſecutura reformatione. Videri de monacho iſto poſſunt *Melchior Adami* in Vit. Theol. p. 5. & Illuſtriſſimus *Seckendorffius* de Lutheraniſmo Lib. I. §. LXXIII, & in Additionibus. Ex actis cum Johanne de Veſalia, A. 1479. Moguntiæ condemnato, probat, objecta jam tum Romanæ Eccleſiæ fuiſſe, quæ poſtea Lutherus reformavit. Vid. *Wolfius P. I.* Memorabilium in A. 1464. Defendit Lutherum contra Boſſueti inſectationes, illumque in poſtulatis juſtum pariter & modeſtum fuiſſe ſtatuit, haud immerito tamen præcipitato Pontificis decreto irritatum. Cum vero adverſarii, ſi neceſſitatem reformationis nec omnes nec ſemper negare audeant, defectum tamen vocationis millies opponere ſoleant, Autor pro principio habet & egregiis teſtimoniis confirmat, jus eligendi paſtores ad populum ſive cœtum & Eccleſiam pertinere, & quod ordinatio, quam vocant, a Presbyteris fieri poſſit. Negat quoque, ritum illum ordinationis, ſive manuum impoſitionem ad eſſentiam miniſterii requiri; adducit veterum autoritates & exemplum veteris Eccleſiæ, quæ ordinatos ab hæreticis absque nova ordinatione admiſit. Propterea in caſu neceſſitatis, tempore Lutheri obortæ, negligi ritum illum, & laicos quoque ad miniſterium Eccleſiæ admitti potuiſſe & debuiſſe, non ambigit; ratam etiam validamq; manſiſſe Lutheri aliorumque vocationem ſub Papatu acceptam, & Cœtus a corrupta Eccleſia ſeſe ſeparantes jus conſtituendi Miniſtros retinuiſſe, & ſecum in novos cœtus tranſtuliſſe. Immediatam vocationem, qualis Apoſtolorum fuerat, Lutherum negat unquam jactaſſe. Defendit eundem adverſus Boſſueti ſugillationes de titulo Evangeliſtæ, & quod miracula ab Anabaptiſtis popoſcerit, quæ ipſe non faceret. Monſtrat enim principiorum diverſitatem, cum Lutherus ſuam doctrinam ex verbo Dei deduceret, legesque eccleſiaſticas & politicas non rejiceret, fanatici vero ad inſpirationes provocarent, nulla licet probatione aut lege ſubnixi. Tertium præjudicium, quo gravari ſolent Evangelici, a vitiis docentium petunt adverſarii. Amolitur hoc Autor, oſtenſo utriusque partis diverſo principio & judicio. Proteſtantes enim ex ſuis reformatoribus ſanctos & infallibiles facere negat, quales tamen ex Pontificibus Romana faciat Eccleſia. Diſſidio inter Lutherum & Caroloſtadium, quod frequenter exprobrari conſuevit, exemplum illius

cap. 2.

3.

 oppo-

opponit, quod inter Chryſoſtomum & Epiphanium fuit, veteresque alios; & licet excuſationem Lutheri aut aliorum, ubi in moribus peccaverint, ſuſcipere nolit, non dubitat tamen, cum morum defectibus puritatem doctrinæ conſiſtere potuiſſe, & contrarium frivole ab adverſariis aſſeri dicit, cum ultra quinque ſecula Pontifices fuerint enormium vitiorum rei, & monſtra hominum, Proteſtantium vero doctores nævos cum aliis ſanctis communes habuerint. Lutherum ſpeciatim excuſat ob fervorem ingenii, educationem in ſeculo barbaro, & immania inimicorum odia. Purgat eundem ab invidia contra Dominicanos, qua incitatum fuiſſe dicunt, ut indulgentias impugnaret, & Pallavicini teſtimonium adducit Lib. I. Hiſt. Conc. Trid. c. 3. § 7, Paulum Venetum refutantis & monentis, longo tempore Franciſcanis indulgentiarum præconia demandari conſuevisſe, nec Pontificis juſſu, ſed pro arbitrio Alberti Moguntini ſubdelegatum id munus Dominicano Tezelio fuiſſe. Concedit, Lutherum vehementius, quam decuit, adverſus Angliæ Regem ſcripſiſſe, ſed exempla veterum & recentiorum adducit, qui mitiores non fuerint, quos tamen pro execrandis neque olim habitos a Romana Eccleſia fuiſſe, neque nunc haberi indicat. Quapropter iniquiſſime Lutherũ traduci ait, ſi tot injuriis exacerbatus, durius aliquid dixerit aut ſcripſerit. Adſcribit locũ ex Revelationibus S. Brigittæ, ubi Chriſtum introducit, a quo Pontifex animarum interfector, leo oves diſſipans & diſcerpens, Judæis execrabilior, Juda crudelior, Pilato injuſtior, Diabolo nequior vocatur; & Boſſuetum ridet, tam acerbe exaggerantẽ, quod Lutherus Papam appellaverit aſinum. Falſo illi affingi dicit imaginũ confractionem, & deſtructionem monaſteriorũ, aliaq;. Maxime vero indignatur de recocta ab Epiſcopo, ex Libro Lutheri de Miſſa privata, fabula putida & millies refutata, quod Lutherus a Diabolo argumenta didicerit ad oppugnandam Miſſam. Reſpondet eodem, quo præcipui ex noſtratibus, modo; ſed hac de re ſæpius & nuper admodum in Supplementorum Sectione IV. p. 183. egimus. Obſervat, non optima fide a Boſſueto ex eodem libello allegari encomium dogmatum Eccleſiæ Romanæ, quæ pro veris & orthodoxis habuerit Lutherus, cum taceantur graviſſimi errores, quorum illam eodem loco ream facit. Ab affectatione prophetiæ, & ab inſania fanatica Lutherum & Eccleſias Proteſtantes excuſat, adverſa-

verſariis autem ipſique Boſſueto objicit, quod futilisſimas fabulas, recentes etiam, adoptent, & propagent, & præterea crudelisſime ſæviant. Cum deinde immane crimen Luthero impingat Boſſuetus, Varillaſium ſequens, de permiſſa Philippo Hasſiæ Landgravio digamia, ita patrocinatur Luthero Autor, ut non neget quidem ſubreptum illi aſſenſum & violatam ſecreti cuſtodiam, quæ promiſſa erat, fuiſſe, exempla tamen pro eo afferat, non ſolum Pontificum, qui contra jus divinum inceſtas nuptias permiſerint, & contradicentes anathemate perculerint, ſed & *Gregorii* Papæ, qui *vigore Apoſtolicæ ſedis*, illi qui continere ſe non posſit, aliam conjugem conceſſerit, dum priori alimenta daret; item *Valentiniani* Imperatoris ex Socrate Hiſt. Eccl. Lib. IV. Teſtatur tamen, ſe tueri aut excuſare digamiam nequaquam velle, ſed tantum oſtendere, fruſtra bacchari Boſſuetum, neq; tam peritum antiquitatis eſſe, ut videri velit. Quæ de morbo Landgravii ex epiſtola Melanchthonis familiari Boſſuetus exſculpſit, itemque quæ Luthero, quod bellum contra Turcos improbaverit, maligne & omiſſa ejus declaratione, imputavit, & ab Autore refutata ſunt, brevitatis cauſa præterimus. Multus fuit Boſſuetus Lib. V. in compilandis & exagitandis variationibus Melanchthonis; ſed Autor hunc magnis ornat elogiis, & oſtendit, aut mala fide quædam ex illius libris allegari, truncatis aut detortis quæ ſcripſerat, aut nihil ad ſcopum facere. Inique reprehendi notat Proteſtantes, quod Pontificem Concilii Præſidem & judicem ferre noluerint, Laicorum tamen judicia non recuſaverint. Allegat exempla veterum Chriſtianorum, qui Imperatoribus, etiam paganis, eorumque Legatis judicium de controverſiis, ex principiis religionis, detulerint. Negat Melanchthonem Pontificis abſolutum dominatum probaſſe, licet opinatus ſit, moderatum regimen illi jure humano concedi poſſe. Refutat per occaſionem Boſſuetum, quod Lutherum prius quam Zuinglium reformationem cœpiſſe ſtatuat, & contrarium probare nititur. Explicat etiam Zuinglii doctrinam de peccato originali, nec disſimulat illum a Luthero in hoc capite diſſenſiſſe; mortem denique ejus ab inſultatione defendit. Progreditur ad apologiam Calvini, & aſperitatem verborum ejus præferendam eſſe dicit cap. 5.
affectatæ Boſſueti modeſtiæ, qua nigras calumnias falſasque delationes occultet. Inter alia exempla moderationis id quoque in Cal-

vino laudat, quod Melanchthonem ſibi prætulerit, & excuſat, quæ de erroribus Patrum aliquando annotavit. Impertinenter Proteſtantibus objici dicit Henrici VIII. Angliæ Regis crimina, cum ille parum ex veritate Evangelica amplexus fuerit. Comparat eum cum Tiberio, qui Chriſtum inter Deos retulerit, & cum Clodoveo primo ex Galliæ Regibus ad Chriſtianiſmum converſo, & a Boſſueto ſumme laudato, licet etiam poſt baptiſmum enormia flagitia perpetraverit. Addit quædam pro *Cranmero, Eduardo VI. & Eliſabetha*
cap. 6. Angliæ Regina, & contra acta Pontificum in regno illo. Diſputat poſt hæc contra Boſſuetum, cauſas bellorum & ſeditionum Proteſtantibus impingentem, & e contrario monſtrat Eccleſiæ Romanæ & Pontificum decreta contra Reges, bella contra Imperatores, violationes datæ fidei, & ſævitiam religionis cauſa immaniter exercitam. Defendit Proteſtantes & Lutherum contra vulgarem objectionem de excitatione belli ruſtici, & libellos Lutheri de illo publicatos tuetur. Aſſerit juſtitiam fœderis & belli Smalcaldici, & jura Principum Germanorum, iterumque Lutherum excuſat ab adverſarii accuſatione de concitatis ad rebellionem ſubditis. Cavillatum inſigniter Boſſuetum eſſe oſtendit, in allegatione libelli Lutheri *de libertate Chriſtiana*, itemque in citanda hiſtoria Thuani de bello Ducis Sabaudiæ contra Valdenſes. Plurima regerit ad ea, quæ Reformatis Gallis objici ſolent, quod arma contra Reges ſuos Calvini inſtinctu ſumſerint.
7. Ultimo hujus partis capite ad reliqua reſpondet, quæ Proteſtantibus objici ſolent. Conjugia miniſtrorum Eccleſiæ rationibus & exemplis propugnat, & cœlibatus Clero injuncti originem & progreſſum erudite & diligenter exponit. Tuetur etiam, quæ Proteſtantes contra vota monaſtica ſcripſerunt & fecerunt. Hyperbolen & libertatem verborum in Luthero agnoſcit, contra affectatam continentiam & impurum cœlibatum diſſerente, ſed ab obſcœnitate illum liberat. *Apologiam Auguſtanæ Confeſſionis*, ubi *Dominico & Franciſco* Sanctorum titulum tribuit, a cavillis vindicat. Lutheri & Melanchthonis aliorumque querelas de moribus & defectibus ſuorum, ob candorem laudat, negat tamen vitia illa puritati doctrinæ officere. Idem monet de rixis & diſſidiis inter Proteſtantes, & ad paria fata veteris Eccleſiæ reſpici jubet. Affert quædam de crudelitate in Gallia contra Reformatos exercita, & de admirabili reformationis

Digitized by Google

nis olim ſuſceptæ in tot regnis & provinciis, atq; inter tanta obſtacula progreſſu; unde æquiſſimum eſſe arbitratur, ut quidam nævi diſſimulentur, quibus ne ſanctiſſimi quidem in hac vita prorſus careant. Interim ab ipſius doctrinæ puritate Eccleſiam Reformatam maximopere commendat, ejusque vindicias Parte III. pollicetur.

ANDREÆ CHRISTOPHORI RöSENERI J. U. D. *Tractatus de Reſervatione Juris Competentis.*

Lipſiæ, ſumtibus Hæredum Frid. Lanckiſii, 1690, in 4.

Conſtat plagulis 58.

EMiſit ante triennium & quod excurrit Autor Nobiliſſimus diſſertationem academicam ſub eodem, quem modo exhibemus, titulo conſpicuam; cumque ea omnia, quæ non infelici labore congeſta eſſent, haudquaquam caperet pagellarum numerus in iſtiusmodi genere ſcribendi ex more reſtrictior, ideo ſemetipſum tacito quaſi voto obſtringere viſus eſt, quod tam utilem & quotidianam materiam juſto tractatu aliquando proſequi vellet. Voti ergo memor in id jam ſedulo incubuit, ut ſecundum conſuetam Juris Civilis methodum argumentum hocce plenius adornaret. Quod ſi enim ſeorſim ſpectamus prima & finalia capita, 1. puta & 2. junctim, & 15.16.17, ubi generalia illa excutiuntur, quæ Reſervationis definitionem, formam, requiſita, effectum & contraria afficiunt; meditullium operis a cap. 4. usque ad 12. juris privati ideam oppido concinnam ſiſtit; ut futurus lector ſolidam materiæ hujus notitiam percipere geſtiens, ſimul curſoria totius juris repetitione defungi queat. Ea quippe ſub connexione, Juris competentis reſervatio in d. c. 4. declaratur primum ex jure perſonarum, quatenus illud in relatione ad familiam ſpectare ſolemus. In cap. 5. & 6. quinque ſectionibus notabili Jus rerum, & mox Jus in re, ſecundum quinque famoſiores ſpecies, examen ſubit. Ampliſſimam dehinc diſſerendi materiam Autor nactus circa Jus ad rem, dum in Cap 7. pro numero contractuum & quaſi contractuum 21. ſectiones format, & mox 4. alias in ſubſequenti Cap. 8. ad modos tollendi obligationem relatas, in quibus ea, quæ a partibus cavendi peritia inſtructis reſervari conſuevere, accu-

Digitized by Google

mulate proferuntur. Nec prorſus ſterilem delictorum materiam quoad præſens inſtitutum deprehendimus, uti ex Cap. 9. & 10. patescit; quibus juſto denique ordine ſubjiciuntur in Cap. 11. & 12. quæ circa Judicium ejusque actus extantiores advertere par erat. Summariam hancce juris privati delineationem ab utroque latere cingunt nondum memorata nobis Capita 3. vid. 13. & 14, quæ ad jus publicum, qua eccleſiaſticum & ſecularem ſtatum ambit, ſemet referunt. Expoſita in iis proſtant Reſervata, quæ jus bellicum, jus ſacrum & eccleſiaſticum admittunt, ſimul ac quæ Princeps, Pontifex, Imperator ſibi conſtitui curant. Sicuti vero Imperatoris reſervata majeſtate ſua facile eminent, ita & ſpecierum ubertate ac varietate ſpatioſæ digreſſionis occaſionem Autori noſtro ſuppeditarunt.

JOH. FRID. MAYERI MUSEUM MINISTRI Eccleſiæ.

Lipſiæ, ſumptibus Joh. Frid. Gleditſchl, 1690. in 4.

Conſtat plagulis 131.

UT de Miniſterii Evangelici candidatis bene mereret celeberrimus MAYERUS, Doctor noſtras, Profeſſor olim Wittebergenſis, nunc Kilonienſis & Hamburgenſis, eccleſiæ item Hamburgenſis ad D. Jacobi Paſtor & Scholarcha, eorum in gratiam Muſeum hoc adornavit, aut (ut absque ſchemate ſcopum ejus indicemus,) docuit illos, *quomodo circa vocationem, ordinationem, inveſtituram, labores homileticos, præcipuos caſus, ſacramentorum adminiſtrationem, examina catechetica, ſolandos miſeros, maleficos, ægrotos, moribundos, ac nulla non fidei atque charitatis officia ſe gerere debeant.* Præceptis non adeo multis rem totam confecit; tanto prolixioribus autem exemplis ſententiam ſuam declaravit, & potiores autores indicavit, unde tironibus plura de hoc illove argumento petere liceat. Inſeruit majori huic operi diſſertationes, programmata & conciones non unas, quas pridem Leiſnicii & Grimmæ, (ubi antequam Witebergam evocaretur, Paſtorem & Ephorum egit) Witebergæ item & Hamburgi conſcripſit, ne vertente tempore, quod optimis meletematibus mole exiguis ſæpe accidit, perirent. Inter cætera eminere videntur invectivæ duæ orationes ſacræ in totidem Witeber-

bergen-

Digitized by Google

bergenſes homicidas, P. II. c IX, n. XVIII p. 155; & epiſtola ad ædis
Jacobææ Hamburgenſis Curatores 21. Febr. A. 1688. data, de inſti-
tuendis exercitiis catecheticis, P. IV. p. 22; itemque programma ple-
bem Chriſtianam ad collegium privatum Antipapæum invitans, P.
IV. p. 5. cujus ſe pœnitentia nunc duci aſſeverat, multisque eapro-
pter verbis in *privata* pietatis collegia animadvertit, ibidem p.
17. Lectu etiam jucunda eſt *exercitatio* M. Benjaminis Potzerne,
præſide Mayero in Academia Witebergenſi publice ventilata:
*utrum Studioſus Theologiæ ſalva conſcientia ſtudium Theologiæ deſe-
rere & Jurisprudentiæ aut Medicinæ ſe conſecrare poſſit?* quam P. I.
p. 15 – 62. reperire eſt.

Locos quoque communes, excerptis non vulgaribus nec a libri
ſcopo alienis repletos hic illic inſperſit, inter quos forſan præcipuus P. II.
eſt, quem de antiquis Chriſtianorum cœmeteriis ex Antonii Boſii p. 154. ſ.
Roma ſubterranea, (libro non ubivis obvio) collegit. Multis etiam
clariſſimorum theologorum laboribus deſtitueremur, niſi Mayerus
ab interitu eos vindicare ſtuduiſſet. Quemadmodum enim Wite-
bergæ A. 1685. Jo. Georgii DORSCHÆI Theologi, dum viveret,
Argentoratenſis & Roſtochienſis, *Theologiam moralem* juxta ſeriem
ſex Decalogi præceptorum priorum enarratam, & nuper admodum
ejusdem *Dorſchæi* commentarium in D. Marci Evangelium ex ma-
nuſcriptis edidit: ita opus hoc præſens ſuum auctius reddidit ora-
tione *Joh. Hülſemanni*, Theologi tum Witebergenſis, poſt Lipſien- P. I.
ſis, Kal. Maji 1645. habita & hactenus ἀνεκδότω, *quod, qui leges* p.71–87.
*Academicas ſciens & volens violaverit, reatum perjurii in foro con-
ſcientiæ contrahat*; porro variis *Hieronymi Welleri* Theologi Luthe-
ro coævi formulis loquendi eccleſiaſtico tironi obſervandis; item
Esdræ Edzardi, Hamburgenſis Theologi famigeratiſſimi, conſilio P. III.
de convertendis Judæis, experientia optimi illius viri multis hactenus p.46--67
annis ſæpiſſime comprobato. Adde *Henrici Elmenhorſtii* V. D. M. P IV.
Hamburgenſis orationem de conjugum pari, annum quinquageſi- p. 64.
mum conjugii ſolenni epulo celebrante; quales quidem extant
quamplurimæ, argumenti tamen raritate facile cedunt homiliæ, qua
M. Nicolaus Bœtticherus, Superintendens & Concionator aulicus
Stolbergenſis, d. 30. Oct. A. 1685. Martino Haberlandio & Ca-
tharinæ Schœnmeyeriæ, pagum Bucholz incolentibus ac *ſeptua-*

geſimum

Digitized by Google

geſimum conjugii annum ſupergreſſis, publice benedixit, quæque Jenæ typis Johannis Jacobi Bauhoferi 1686. excuſa proſtat.
P. II. c. VIII. init. P. III. pag. 44. Quod reliquum eſt, publici juris facere in ſe recepit Mayerus commentationem *de RELIGIONE SUGGESTUS*, ſive *quantum pro pulpito ſacro ſacraque concione liceat*, item *diſſertationem* de *Anabaptiſmo Lutherano vereque Evangelico*, ſtricturas denique in *Boſium* ſupra memoratum, *Aringhum* & *Albaſpinæum*, quos parachroniſmorum aliorumque lapſuum reos aget.

C. SUETONII TRANQUILLI OPERA, ET IN illa Commentarius Samuelis Pitiſci.

Trajecti ad Rhenum, ex officina Franc. Halmæ, 1690, in 8.

Conſtat plagulis 119, ut & ſex aliis imagines æri inciſas exhibentibus.

IN Suetonio emendando, illuſtrando, explicandoque complures viri docti utilem operam poſuerunt. Eorum vero omnium induſtriam contrahere quaſi, & meliores eorum obſervationes excerpere, ac propria diligentia collectas ex aliis doctorum virorum libris, qui antiquitates Romanas & literaturam elegantiorem excoluerant, in unum veluti corpus colligere allaboravit maxime induſtrius *Samuel Pitiſcus*. Ac plane ſimilis eſt hæc opera iſti, quam Curtio quinque abhinc annis idem impenderat, memoratam a nobis in Actis Septembribus anni 1685. p. 425: ſiquidem & in Suetonio hoc, omiſſa de emendatione textus ſollicitudine, abjectaque variantium lectionum cura, ſelectas ſolum philologicas, quæ veteres ritus & ſermonis cultum ſpectant, textui ſubſtravit Notas: iconiſmis etiam imagines Cæſarum, quorum vitas Suetonius deſcripſit, referentibus, e charta quæ Reginæ Chriſtinæ juſſu excuſa eſt depromtis, aliisque hiſtoriam illuſtrantibus figuris editionem hanc exornavit. Indicem denique novum plane & alium, quam vel Pariſina major, Schildii, aut Bœcleri, Grævii, Babeloniive editiones exhibent, eumque luculentum, operis calci adjecit, ſcholarumque uſibus aptum plane Autorem hunc effecit, munere ſuo, quod Ultrajecti in formandis juvenum ſtudiis ſuſtinet, præclare omnino functus.

Erratum.

Pag. 453. lin. 16. pro *Orcadem*, lege *Oreadem*.

Digitized by Google

N. X.

ACTA
ERUDITORUM
publicata Lipſiæ
Calendis Octobris Anno M DC LXXXX.

TRAITE' DE LA LUMIERE &c.

ſive,

Tractatus de lumine, in quo explicantur cauſæ eorum, quæ ipſi in reflexione & refractione, & ſigillatim in inuſitata refractione cryſtalli Islandicæ accidunt. Autore Chriſtiano Hugenio, Zeelhemii Toparcha. Acceſſit diſſertatio de cauſa gravitatis.

Lugduni Batav. apud Petrum van der Aa, 1690, in 4.
Conſtat plagulis 25.

CUm multæ res in philoſophia naturali nequaquam ſatis explicatæ ſint, tum perdifficiles agitantur controverſiæ de natura luminis atque gravitatis, quæ ad agnitionem plurimarum rerum non ſolum utiles ſunt, ſed etiam neceſſariæ. Licet autem tam variæ de his doctiſſimorum hominum tamque diſcrepantes circumferantur ſententiæ, ut eas connumerare ſit moleſtum: reliquas tamen longo poſt ſe intervallo relinquit Illuſtris Carteſii hypotheſis, quæ mirifice ſtatim, poſtquam in lucem prodiit, placuit omnibus, qui nullas in phyſica rationes admittunt, quæ nuda obtendunt nomina, neque ex mechaniſmo corporum ſunt petitæ. Eam deinde plurimi tanquam rem ſatis explorate perceptam ſine ulla dubitatione defenderunt, nonnulli vero licet divinum magiſtri ſui ingenium in hac quoque agnoſcerent, ab illa aſſenſionem prudenter cohibuerunt, quorum facile princeps eſt Nobiliſſimus Hugenius, Vir in tantum laudandus, in quantum ſumma vis ingenii atque eruditio intelligi poſſunt. Hic enim cum nuper in lucem ederet, quæ

Digitized by Google

in Gallia quondam de his rebus erat meditatus, ac diutius quam in nonum annum preſſa non ſpernendis acceſſionibus auxerat, ſuam ſententiam de illis ita dixit, ut facile adpareat, illum potiorem veritatis, quam Carteſii, habuiſſe rationem. Id vero ſcriptum quamvis ex illorum genere ſit, quorum argumentum citius ex ipſa illorum lectione, quam ex prolixiori recenſione intelligas, non gravabimur tamen hac vice ſumma partis primæ attingere capita, ſequenti menſe de altera parte acturi.

Primam ergo, quæ de natura luminis agit, diſſertationem quod attinet, agitur in *capite* ejus *primo* de luminis proprietate, qua ſecundum rectas lineas propagatur, & inveſtigatur ratio, cur radii luminis a diverſis locis provenientes & ſe invicem decuſſantes nullum ſibi objiciant impedimentum. Quæ cuncta Nobiliſſimus Autor per principia mechanica declarare ſatagit, quæ tantum abeſt, ut ex Phyſica eliminanda ſint, ut potius, ipſo judice, omnem ſpem cognoſcendi res naturales abjicere debeat, quisquis hæc repudiaverit. Et cum ſonus ejusq; propagatio per hæc principia diſtincte ſatis a Philoſophis explicata ſint, ab hujus cognitione in luminis notitiam Lector paulatim deducitur. Ac primum quidem monet doctiſſimus Autor, dubitandum eſſe nequaquam, lumen in motu certæ cujusdam materiæ conſiſtere: ſive ipſius ortus conſideretur, quem igni atque flammæ plerumque debet, quæ non poſſunt non ex particulis rapidiſſime agitatis conſtare, cum ſolida corpora diſſolvant ac diſcerpant; ſive effectus ejus, quo per ſpecula concava collectum corpora comburit, hoc eſt partium ſolvit nexum, quod absque motu locali intelligi nequit. Præterea vero tanta tamque incredibili celeritate lumen quaquaverſum excurrere, ut impoſſibile ſit propagari lumen per materiæ cujusdam a corpore lucido ad oculos noſtros translationem, quæ etiam cum non impedita radiorum decuſſatione conciliari haudquaquam poſſit. Ex quibus deinde efficitur, nihil videri aptius ad intelligendam luminis propagationem, quam cognitionem modi, quo ſonus in aere diffunditur. Is ergo cum ab illo loco, in quo natus eſt, circumcirca propagetur motu, qui ab una parte aeris in aliam tranſit, celeritate undiquaque æquali, & ſphæricas quaſi ſuperficies efformat, quæ magis magisque dilatantur, ac tandem aures noſtras feriunt; cumque luminis quoque propagatio

Digitized by Google


tio non fiat ejaculatione corporis alicujus ab objecto lucido in noſtros oculos: hinc concluditur, lumen quoque dici poſſe diffundi non ſecus ac ſonum, per ſuperficies atque undas ſphæricas, modo probari poſſit luminis motum non inſtantaneum eſſe, ſed ſucceſſivum. Quod vero lumen, ut aliquod emetiatur ſpatium, tempore certo indigeat, experimento Romeri evincitur, qui eclipſes proximi Jovis ſatellitis ſedulo per decennium obſervando comperit, lumen, ut pervadat diametrum orbis annui, 22 impendere temporis minuta, adeoque, ſi diameter orbis annui ſolum ponatur 22000 D. T, ſpatio minuti ſecundi plures quam 110000000 hexapedas Pariſienſes percurrere, & ſonum pluribus quam 600000 vicibus celeritate ſuperare, quum hic eodem minuti ſecundi tempore ſolum 180 hexapedas progrediatur. Quamvis autem hactenus ſatis inter ſe bene conveniant lumen atque ſonus, oſtenditur tamen in plurimis magnam intercedere differentiam. Nam primo differre in productione illius motus, qui amborũ fons eſt & origo: cum ſonus oriatur ex tremulo totius corporis aut partis ejus motu aerem contiguum concutiente, luminis vero motus naſcatur quaſi ex quovis puncto corporis lucidi, quum omnes illius partes videri poſſint: deinde quoque ratione illius materiæ ſeu medii, per quod motus illi diffunduntur. Sonum enim aeris ope propagari, idque luculenter demonſtrari poſſe in machina a Guerickio primum inventa, & a Boyleo ad experimenta capienda aptiore reddita, ſi cautiones illæ adhibeantur, quæ vulgo negliguntur; luminis vero motum in alia materia fieri, quam ætheream commode dixeris, quoniam vas vitreum aere omni exhauſtum lumini pervium manet. Tandem diſcrimen ingens eſſe inter ſonum & lumen, ſi modos ſpectes, quibus ſucceſſive illorum motus communicantur. Aeris enim cum ea ſit natura, ut in anguſtum ſpatium coactus in priſtinam ſe vindicet libertatem, ex illa facile deduci undarum ſonorarum propagationem: aliter vero fieri propagationem luminis tanta cum celeritate conjunctam. Modum ergo hujus ut explicet Autor, in ſubſidium vocat experimentum, quo conſtat, ſi primus globulus ſeriei, ex ſphærulis duris elaſticis atque ſibi contiguis compoſitæ, impellatur, motum maxima celeritate per omnes usque ad ultimum globum propagari, eumque ſolum in motum agi, reliquis immotis.

Digitized by Google


Hunc motũ in inſtanti non fieri oſtendit, & ſimili modo luminis propagationẽ explicat, ſolicite occurrendo objectionibus, quæ a particularum æcherearum magnitudine, duritie, figura, ſitu, motu &c. peti poſſunt, ac tandem concludit, hanc de luminis natura hypotheſin intellectui magis ſatisfacere quam Carteſianam, qua lumen in continua preſſione materiæ æthereæ conſiſtere affirmatur. *Capite ſecundo* radiorum conſideratur reflexio, & ſpeciatim illa luminis proprietas, qua incidentiæ angulus reflexionis angulo æqualis efficitur, ex principiis cap. 1 explicatis perſpicue declaratur, ita ut demonſtratio hujus rei non ſupponat ſuperficiem exacte planam, quam alii ad demonſtrationes ſuas adſumunt, cum nulla tamen in rerum natura reperiatur. *Tertium caput* in refractione luminis explicanda verſatur, ac primum tres indicantur modi, quibus effici poſſit, ut undæ luminis non ſolum per fluida ſed etiam ſolida corpora motum ſuum continuent, ſeu ut corpora transparentia fiant; deinde vero cauſa opacitatis, quæ Autori maxime probatur, proponitur. Porro ex principiis ſupra conſtitutis refractionis proprietates docentur, quod nimirum conſtans ſit ratio inter ſinus angulorum inclinationis & refractorũ, quod refractiones ſint reciprocæ inter radios ingredientes & egredientes corpus diaphanum, quod circa angulum 48°. 11 in vitro & 41°. 24 in aqua refractio in reflexionem mutetur &c. Tandem facili methodo demonſtratur proprietas luminis a Fermacio primũ detecta, quod ſcilicet luminis radius ab uno puncto ad alterum in diverſo medio conſtitutũ ea pergat via, quam brevisſimo tempore abſolvere poteſt. In *quarto capite* de cauſa refractionis aereæ disquiritur, qua fit, ut nobis in eodem conſtitutis inſularum montiumq; vertices, ſidera &c. in oculos incurrant, qui illos ob terræ globoſitatem fugere, absq; ea ſi foret, debebant: ac ne ulli dubitationi locus relinquatur, experimentũ proponitur, quo facile deprehendi poteſt. Nam ſi per teleſcopiũ fulcro ſuo innixum atq; immotum diverſis diei temporibus turris aut aliud objectum remotum adſpiciatur, diverſæ illius partes centro tubi reſpondere ſolent. Id phænomenon haud facile explicatu cenſet Autor illis, qui refractionem ſolum in ſuperficie, quæ duo diverſa media dividit, conſiderant, ad ſua vero principia illud reducendo hinc oriri illud aſſerit, quod undæ luminis in

medio

medio denſitatis non uniformis non fiunt concentricæ, atque hinc linea, quæ omnes illas ad angulos rectos interſecat, neceſſario curva evadit, ejusq; tangens deinde objecta alio in ſitu oſtendit. *Capite quinto* agitur de inuſitata refractionis ſpecie, quæ in cryſtallo Islandica (hactenus in aliis quoque regionibus, ſed non tantæ magnitudinis inventa) deprehenditur, ejusque cauſæ ſubtiliſſima ratione inveſtigantur. Duplices enim ſtatuit Autor in ea occurrere luminis undas, quarum aliæ circularem, ellipticam aliæ affectent figuram, & ex hac hypotheſi omnia phænomena erudite explicat, ſeptimum ex ſequentibus ſi excipias, in cujus demonſtratione Autor nec ſibi ipſi ſatisfacit, ut ingenue fatetur. Quo autem experimenta in hoc capite commemorata aliaque cum ſucceſſu ab aliis quoque tentari poſſint, ratio cryſtalli ſecandæ atque poliendæ optima communicatur cum lectoribus, nonnullæque cogitationes veroſimillimæ de ipſius generatione adjiciuntur. Ad illas ergo ſingulares hujus lapidis proprietates quod attinet, nonnullas ſolum in lectoris gratiam recenſebimus: (1) Figura ejus ſimilis eſt obliquo parallelepipedo, cujus ſex facies ſunt parallelogramma, quorum anguli acuti 78°. 8′, obtuſi vero 101°. 12′; reperiuntque fruſta tantæ magnitudinis ut 4, imo 6 libris pondere ſint æqualia. (2) In plerisque pellucidis corporibus, quorum adhuc notitiam habemus, una ſolum locum habet refractio, eaque certis comprehenſa legibus; in cryſtallo vero Islandica duæ ſunt refractiones, quæ faciunt, ut radius Solaris in ejus ſuperficiem incidens quaſi diffindatur, atque ita diviſus penetret cryſtallum, & ſic objecta per illam viſa dupla adpareant. Idem contingere Autor obſervavit in cryſtallo montana, cujus duplex refractio licet minus ſit conſpicua, impedit tamen, quo minus lentes dioptricæ ex ipſa cum ſucceſſu efformari poſſint. (3) In diaphanis corporibus alias perpendicularis radius nullam patitur refractionem, omnes vero obliqui eidem ſunt obnoxii: in hoc vero lapide radius perpendicularis refringitur, & ex obliquis quidam nullam refractionem habent. (4) Ex duabus illis refractionibus una regulas uſitatas ſequitur, eſtque in ea ſinus anguli inclinationis ad ſinum anguli refracti ut 5 ad 3. (5) Extraordinaria refractio ſecundum hanc legem celebratur:



ſit G C F H planum, quod præcipue in illis experimentis conſideratur, IK perpendicularis, radii vero ex diverſis partibus incidentes, ſed ejusdem inclinationis, ſint VK, SK: Horum radiorũ refracti KX & KT ita incidunt in lineam HF, ut puncta T & X æqualiter remota ſint a puncto M, in quod radius perpendicularis fractus IKM cadit. (6) Cum angulus incidentiæ eſt $73^{\circ}.10'$, atque adeo radius incidens fere parallelus lateri hujus cryſtalli, nullam refractionem ſubit. (7) Dum duo cryſtalli fruſta inter ſe parallelo ſitu conſtituuntur, radius AB qui ob duplicem refractionem evaſit bifidus, ita juxta



adjectam figuram pervadit cryſtallum ſubjectam, ut radii CE & DG non denuo in duos alios dividantur, ſed DG ex refractione regulari ortus regulariter refringatur in GH, CE vero irregulariter in EF. *Sexto* in *capite* methodus oſtenditur determinandi curvas, quæ refractione aut reflexione radios omnes lucis vel in punctum colligunt, vel pro lubitu diſpergunt, atque hic origo panditur omnium eorum, quæ Carteſius in Dioptrica & Geometria ſua de lineis opticis ita propoſuit, ut modum, quo illa invenerit, ſtudioſe celaret. Tandem appendicis inſtar nonnulla de novis curvis adduntur, quæ in circulari figura per reflexionem & refractionem formatæ rectis lineis æquales eſſe demonſtrantur, & non contemnendas proprietates habent, de quibus etiam variis in locis Actorum noſtrorum (A. 1682. p. 364; 1689. p. 36; 1690. p. 68. 169) egimus, quæ lectorem harum rerum ſtudioſum evolvere non pœnitebit. Cæterum cum in Præfatione Nobiliſſimus Autor tractatus a ſe conſcripti mentio-

mentionem faciat, in quo teleſcopiorum effectus & quidquid ad Dioptricam ſcientiam pertinet, explicarit, rogandus ille ſummopere eſt, ut ne diutius patiatur carere publicum fructu, quem ex ipſius editione certo ſe ſperat conſecuturum.

MELCHIORIS LEYDECKERI SS. THEOLOG. Doct. & Prof. Hiſtoria Eccleſiæ Africanæ illuſtrata pro Eccleſia Reformata veritate & libertate.

Ultrajecti, apud viduam Gul. Clerck, A. 1690, in 4.

Conſtat plagulis 125.

PRæcipuus Autoris doctiſſimi ſcopus eſt, ut oſtendat a Donatiſtarum cauſa longe abeſſe Reformatis eccleſiis addictos, nec ullo titulo excuſari ac defendi poſſe graviſſimas eorundem perſecutiones in Gallia nuper agitatas, quarum juſtitiam *Maimburgius* in methodo pacifica, *Boſſuetus* in expoſitione fidei, *Nicolius* in tractatu de præjudiciis, *Ferrandus* in ſcripto de eccleſia, aliique in aliis ſcriptis, ex Imperatorum adverſus Donatiſtas edictis probare auſi ſunt.

Primus tomus exhibet commentarium de ſtatu eccleſiæ Africanæ, in quo de illius eccleſiæ origine, ſede & loco, amplitudine & gloria, fide, cultu, miniſtris, regimine, diſciplina, conciliis, nævis, ſchismatibus, libertate, moribus, perſecutionibus, calamitatibus per Vandalos illatis, reſtitutione per Juſtinianum, ſtatu poſt illam reſtitutionem maxime temporibus Gregorii M. ac denique de Saracenorum in Africam irruptione, & miſerrimo eccleſiæ Africanæ poſt illam irruptionem ſtatu, & reſtitutione a Chriſtianis Imperatoribus ac Regibus fruſtra tentata, deque veris omnium iſtorum malorum cauſis, ſeu criminibus, quibus Afri gravia iſta Dei judicia in ſe concitarunt, agitur. Huic diſſertationi de ſtatu eccleſiæ Africanæ gemina ſubjungitur appendix. Una continet notitiam provinciarum & civitatum Africæ, ſeu catalogum Epiſcoporum qui ex diverſis Africæ provinciis ab Hunnerico Rege Carthaginem vocati ſunt, ut fidei rationem redderent; quam notitiam *Jacobus Sirmondus* cum veterum quinque Scriptorum opuſculis dogmaticis Pariſiis A. 1630, & poſtea *Philippus Labbeus* tom. IV. conciliorum publicavit.

Altera

Altera hiſtoriam Africæ profanæ, qualis ante religionis Chriſtianæ amplexum fuit, breviter delineat.

Secundus tomus, cui præmiſſa eſt eccleſiæ Chriſtianæ ad Sereniſſimos Principes ſupplicatio, exhibet Auguſtini librum de unitate eccleſiæ contra Donatiſtas, cujus ſingula capita ita explicantur, ut Pontificiorum dogmata & methodi paſſim perſtringantur. Huc ſpectant diſceptationes de principio fidei ſeu Sacra Scriptura ejusque perſpicuitate, autoritate, judicio in controverſiis fidei, & lectione quibusvis permittenda, de traditionibus, de eccleſia ejusque viſibilitate & notis, de capite eccleſiæ, de juſtificatione & bonis operibus, de ſtatu monaſtico, de memoriis defunctorum & ſanctorum invocatione, de purgatorio, de conciliis, de perſecutionibus, aliisque hujusmodi controverſiis. Inter alia eccleſiæ Africanæ origines iterum attingit, easque non ab ipſis Apoſtolis cum *Baronio*, neque a Romana eccleſia cum *Schelſtrateno*, ſed a Græcis arceſſendas ſtatuit. Nihil autem in his ſcholiis ad prædictum Auguſtini librum frequentius, quam Pontificiorum cum Donatiſtis convenientia inculcatur.

Hunc Auguſtini librum excipiunt quatuor diſſertationes de variis rebus ad antiquitatem eccleſiaſticam & imprimis Africanam ſpectantibus. Prima agit de ſchiſmate Donatiſtico, cujus ortus, progreſſus & exitus eum in finem recenſetur, ut demonſtretur, quanta injuria Proteſtantes a Pontificiis cum Donatiſtis conferantur, cum ipſi potius Pontificii, qui perſecutionum edicta adverſus Proteſtantes a Regibus efflagitarunt, Donatiſtarum principiis & moribus reſpondeant, & elapſo ſeculo in Galliis & Belgio eousque proceſſerint, ut Thuano teſte hæreticorum infantes rebaptizaverint. Imprimis autem oſtendit, Proteſtantium ſeceſſionem e Papatu a Donatiſtarum ſchiſmate immenſum diſtare; cum Donatiſtæ ob incertum aliquod Cæciliani factum ſe ab eccleſia ſeparaverint, & eccleſiam, etſi eam nullius erroris accuſare poſſent, ſed tantum corruptionem in moribus cauſarentur, nihilominus ut apoſtaticam damnaverint, quin & orthodoxos omni crudelitatis genere perſecuti fuerint, & turbata publica tranquillitate omnia concordiæ remedia repudiaverint, ideoque meruerint, ut ſeveris legibus eorum inſania coerceretur; quorum nihil in Proteſtantes cadere Leydeckerus obſervat. Imprimis

Digitized by Google

primis autem urget, Proteſtantes non ob unius alteriusve Epiſcopi illegitimam electionem a Romana eccleſia ſeceſſiſſe, ſed ob nefandos in fide & cultu errores, qui tantum invaluerint, ut nemini inter eos vivere conceſſum fuerit, niſi vel eadem cum ipſis probaret, vel contra conſcientiam ſe ea probare ſimularet; cum adeo ſacra & ſancta Romanenſibus fides fuerit, ut non tantum aliter ſentientes anathematis fulmine ferirent, ſed & aliter loquentes & profitentes vivicomburio aliisque ſuppliciis e medio tollerent.

In ſecunda diſſertatione, quæ de eccleſiæ libertate agit, cum primum de libera apud Afros Epiſcoporum electione, de liberis conciliis, ac de libera diſciplina nonnulla tradidiſſet, ad libertatem judiciorum tranſit, quam inprimis ex interdicto transmarinarum appellationum probat, & adverſus Baronii ac aliorum exceptiones vindicat. Ac ne quis ſolam Africanam eccleſiam ſua libertate gaviſam putet, etiam nonnulla libertatis ſpecimina in eccleſia Hiſpanica, Gallica, Anglicana & Belgica producit, & quanta Piſanæ, Conſtantienſis ac Baſileenſis ſynodi pro libertate eccleſiæ conamina fuerint, breviter exponit.

Tertia diſſertatio agit de methodis Papiſticis, quas Pontificios non ab Auguſtino, ſed a Donatiſtis potius didiciſſe, Autor primum animadvertit. Deinde de iis queritur, qui perſecutionibus adverſus Reformatos in Gallia excitatis viam ſtraverunt, Richelio ſcilicet & Mazarino, & Jeſuitis pariter ac Janſeniſtis, & in his *Godavio* Epiſcopo Graſſenſi, qui jam pridem in hiſtoria ſua eccleſiaſtica laudato Auguſtini conſilio, & celebratis Honorii adverſus Donatiſtas edictis, hanc perſecutionũ methodum commendavit. Poſt iſtas querelas vanum Pontificiorum, quod in præſcriptione longi temporis quærunt, effugium multis argumentis exagitat. Hinc ad præſcriptionem imperii & autoritatis in religione pergit, & poſt Gregorii VII. dictatus, & Bonifacii VIII. Bullam, Conſtantienſis, Baſileenſis, & Tridentini concilii decreta hanc in rem proponit. Cum vero methodorum iſtarum ſcopus non alius ſit quam perſecutio, ultimo loco de perſecutionibus Papiſticis prolixe agit; ubi & Pontificum Romanorum adverſus ipſos Imperatores & Reges cruentæ machinationes, Jeſuitarum in Galliis fata, aliaque huc ſpectantia referuntur.

Quarta diſſertatio agit de Stoicorum fato & Epicuræorum

Digitized by Google

fortuna, in Chriſtianiſmum introductis per ſcientiam mediam & negationem præſcientiæ futurorum contingentium. Prior hujus diſſertationis ſectio oppoſita eſt ſcientiæ mediæ, quam non a Jeſuitis inventam, ſed pridem a Pelagianis, imo & Arianis & utriusque ſectæ prodromo, Origene, traditâ, & ante hos omnes a gentilibus agnitam memorat; quinque corollaria huic diſcurſui ſubjiciens, primum contra Socinianos, ſecundum contra Lutheranos, a quibus Calvinianorum doctrinam de divina providentia perperam impugnari putat, tertium contra Pajonii ſyſtema, quartum contra eos, a quibus dicta Scripturæ de conditionata Dei ſcientia agentia non recte explicari dicit, & quintum contra Remonſtrantes Fataliſtas.

Altera ſectio hujus diſſertationis oppoſita eſt Epicuri de futuris contingentibus ſententiæ, inter cujus fautores Sadducæi, Marcionitæ, nonnulli Ariani, Pelagiani, Scholaſtici nonnulli, ac imprimis Sociniani numerantur, quorum argumenta ipſius Epicuri rationes eſſe demonſtratur. Sub finem hujus diſſertationis Reformatorum fidem, quam orthodoxam eſſe dicit, commendat, & iterum nonnulla corollaria ſubnectit, primum contra Lutheranos, quos arcana divinæ providentiæ ignorare, & principia Lutheri in libro de ſervo arbitrio deſerere arguit, cum futurorum contingentium præſcientiam in divino decreto fundatam eſſe negent; ſecundum contra Papiſtas, ut eccleſiæ Reformatæ doctrinam de præſcientia omnium rerum ex decreto blasphemare deſinant, cum inter ipſos Pontificios haud paucos fautores habeat; tertium contra Parkerum Epiſcopum Oxonienſem nuper mortuum, qui in præfatione ad diſputationes de Deo, Reformatorum doctrinam de providentia ad fatum gentile retulit; & quartum, quo aſſerit fieri non poſſe, ut regnum Dei cum regno fati & fortunæ miſceatur, cum & fortunæ fatum, & utrique divina providentia repugnet.

SEBASTIANI SCHMIDII IN D. PAULI AD Galatas epiſtolam commentatio.

Kilonii, ſumtu hæredum B. Gottfredi Schultzii, 1690, in 4.

Conſtat plagulis 16.

Theolo-

THeologi hujus veterani, quem tot inſignia eruditionis monumenta vetabunt mori, ſæpius jam mentionem fecimus. Evolvatur modo relatio, qua Acta Aprilis hoc ipſo anno auſpicati ſumus. Quod hanc in epiſtolam ad Galatas commentationem attinet, ad ſingula capita tum *Analyſin* accuratam, tum perſpicuam *Exegeſin* offendes. Nos, ne morem noſtrum migremus, ex hoc quoque Schmidii opere rariores quasdam explicationes dictorum Paulinorum excerpemus.

Gal. II, 5. Paulus proteſtatur, ſe neque ad horam Apoſtolis e- pag. 45.
minentioribus ceſſiſſe τῇ ὑποταγῇ (*ſubjectione*;) h. e. (dicente Schmidio,) quoad *ſubjectionem* illam ſive *obſequium fraternitatis*, quod alias, ubi nullum veritati periculum eſt, Chriſtiano cuilibet, pacis ergo, in gratiam infirmorum incumbit, *Eph. V, 21. & 1. Petr. V, 5.* Hinc Noſter παραφράζει: *Quibus ne ad tempus quidem ceſſimus, ita ut ex fraterna charitate aliquid indulgeremus & Titum circumcideremus; quia fraterna charitati non erat locus, ubi periclitabatur veritas evangelii.*

Gal. V, 5. vocem πνεῦμα de Evangelio exponit, quatenus Le- 110,
gi opponitur, plane ad ductum Apoſtoli *2. Cor. III, 6.* Ideoque verba *Paulina: Nos autem ſpiritu ex fide ſpem juſtitia expectamus*, hac paraphraſi exponit: *Nos omnes, quacunque bona juſtitia coram DEO promiſſa & juſtis ſperanda, non exſpectamus lege ex operibus, quaſi juſtitiam illam coram DEO valentem ex lege habere poſſimus; ſed ſpiritu ex fide, quo ſolo modo juſtitia iſta obtinetur & ſpem juſtitia habere poſſumus. Expectant autem juſtificati quoque juſtificationem ratione continuationis.*

Gal. VI, 17. inquit Apoſtolus: τοῦ λοιποῦ, κόπους μοι μηδεὶς 125,
παρεχέτω. Ἐγὼ γὰρ τὰ ςίγματα τοῦ κυρίου Ἰησοῦ ἐν τῷ σώματί μου βαςίζω. Hæc per modum adjurationis accipienda contendit Autor. Hinc paraphraſis ei ſequens enaſcitur: *De catero adjuro vos per ſtigmata J. C. qua in corpore meo porto, ut moleſtias mihi amplius non faciatis, alioqui Chriſtus Jeſus vindex meus erit, cujus ſtigmata* (vincula puta & plagas) *porto.*

Eſſent plura, quæ heic legi mererentur. Sed paucis illa verbis abſolvi nequeunt. Vide ſis p. 83. 84. de *Galat. III, 19.* & p. 104. 105. de *Galat. IV. 21—31.*

ENTRETIENS HISTORIQUES, OU DISSERtation ſur cette queſtion, ſi l' Empereur Philippe a eſté Chretien. i. e.

P. de la Faye Diſſertatio de quæſtione, utrum Imperator Philippus Chriſtianus fuerit?

Baſileæ, apud Jac. Bertſchium, 1690, in 8. Plag. 11½.

EX hoc libello colligimus, *PITETUM*, Paſtorem & Profeſſorem Theologiæ Genevenſem, quæſtionem: *An Philippus Arabs Imperator Chriſtianus fuerit?* propoſuiſſe *P. FAYO*, Miniſtro quondam Reformatorum, poſt exuli, qui illam non *literis* tantum *amœbæis*, ſed & *Diſſertatione* hac *bipertita* ventilavit, ac ſententiam *affirmantem* contra Pitetum negantem operoſe defendit. *Parte* quippe *prima* adverſarii objecta diluere conatur, altera ſua contra eum argumenta urget. Statuerat Pitetus, *Euſebium* de Chriſtianiſmo Philippi nihil certi compertum habuiſſe, ſed ex rumore tantum populari hæc, quæ *lib. VI. H. E. c. XXXIV.* leguntur, memoriæ prodidiſſe: *τȣ̃τον κατέχει λόγος χριστιανὸν ὄντα, ἐν ἡμέρᾳ τῆς ὑστάτης τȣ̃ Πάσχα παννυχίδος, τῶν ἐπὶ τῆς ἐκκλησίας εὐχῶν τῷ πλήθει μετασχεῖν ἐθελῆσαι· κτλ.* i. e. *Henrico Valeſio* interprete: *Hunc* (Philippum,) *utpote Chriſtianum, fama eſt in poſtrema Paſcha vigilia precationum in eccleſia participem ſimul cum reliquo populo fieri voluiſſe*, &c. Reſpondet Fayus, Euſebium famæ teſtimonio niti, non quoad Chriſtianiſmum Philippi, (de hoc enim ex epiſtolis *Origenis* aliisque monumentis optime ei conſtitiſſe,) ſed quoad hiſtoriam illam, quæ vigilia quadam Paſchatos contigiſſe ferebatur. Habere ſe enim rem eodem modo, ac ſi quis diceret: *Paulum, ἐθνῶν ἀπόστολον ὄντα, utpote Apoſtolum gentium,* (vel *qui gentium Apoſtolus erat,*) *fama eſt, literas dediſſe ad Senecam;* e quibus ſane verbis neutiquam conſequeretur, de apoſtolatu Pauli iſtum dubitaſſe, ſed tantum de commercio illius literario cum Seneca hæſiſſe ambiguum. Imo communem illam, ad quam Euſebius provocat, *famam* argumento eſſe, putat, neminem ævo iſto in dubiũ vocaſſe, quod Philippus Chriſtianæ fidei acceſſiſſet. Putarat Antagoniſta, gentiles forſan hunc de Philippo rumorẽ fraudulenter ſparſiſſe, ut ægre facerent Chriſtianis, quibus dedecori fore vi-

P. I. c. 2.

re videri poterat, quod hominem *tantis ſceleribus contaminatum* fratrem & communionis ſuæ participem habuiſſent. Regerit Fayus, non adeo *ſceleribus contaminatum* habitum eum eſſe gentilibus, cum & Licinius (*Capitolino* teſte) a Philippis originem ducere videri voluerit, & Gallieno imperante Callinicus panegyricum Philippi condiderit. Quod ſi gentiles monſtrum aliquod pudendum Chriſtiano cœtui obtrudere ſtuduiſſent, Caligulas, Nerones, Caracallas, Heliogabalos aptiores hanc in rem fuiſſe. Nec obſtare *Euſebii* locum, lib. IV. *de vita Conſtantini* c. 62. *ſolum Conſtantinum e Romanis Imperatoribus baptizatum hactenus.* Nihil enim hinc confici, niſi forte, quod Philippus morte præventus baptiſmum non receperit, quem multi Chriſtianorum eo tempore in vitæ ſuæ extrema differre ſolebant. Objecerat *Piterus*, injuriam tamen fieri primitivæ eccleſiæ, ſi putridum id genus membrum, (innocui Imperatoris parricidam,) in eam receptum fuiſſe ſtatuamus. Hinc cum vitiis Philippi *Conſtantini Magni* aliorumque Chriſtianorum crimina æque horrenda contendit Fayus, ac concludit, *factum*, ex Euſebio ſatis conſtans, ejuscemodi ratiocinationibus *infectum reddi non poſſe*. Neq; ſibi negotium faceſſere aſſerit ſilentium *Eutropii*, *Victoris*, *Capitolini*, *Zoſimi*, de Chriſtianiſmo Philippi, cum partim brevitatis ſtudio, partim ex politicorum hominum genio, religionem Imperatoris ab iis omnibus prætermiſſam, perſuaſus ſit. Magis mirum videri poſſet, *Julianum* Apoſtatã, in libro, quo omnẽ, quam habuit, bilem in anteceſſores ſuos effudit, Philippo penitus peperciſſe. Autumat autẽ Fayus, id contigiſſe, ob brevius imperii Philippi tempus; qua etiam de cauſa idem *Julianus* Imperatores Severo & Gallieno interjectos, *Lampridius* omnes, quotquot Alexandrũ Severum ſubſequuti Aurelianũ anteceſſerunt, haudquaquam memorarint. Neque negat, apud veterum quamplurimos Conſtantino Magno *primi Chriſtiani Imperatoris* gloriam tribui. Ideoq; ſigillatim explicat diverſa Patrũ loca, ac ſua cum ſententia conciliat. Generatim vero monet, Conſtantino titulũ illum competere, non quod primus Imperatorum Chriſto nomen dederit, ſed quod religioni Chriſtianæ tanta liberalitate atque fortitudine patrocinatus fuerit, quanta ante eum nemo Auguſtorum omnium. Uſu etiam receptum eſſe, ut reparator rei collapſæ, dogmatisve vertente tempore neglecti reſtitutor, primi conditoris ac autoris nomine venire

P. I. c. 3.

P. I. c. 4.

Digitized by Google

nire ſoleat, quod tum aliis, tum inprimis Conſtantini exemplo probat, qui Chriſtianorum Imperatorum *primus* vulgo vocitatur, utut eandem noſtram fidem Chlorus quoque, Conſtantini parens, amplexus publiceque profeſſus ſit. Accedit, quod Philippus (dicente Capitolino) *impie*, *non jure obtinuerit imperium*, adeoque (ni Fayum conjectura fallat,) indignus a *Lactantio*, aliisque veterum habitus ſit, quem inter Imperatores Auguſtos recenſerent; quo pacto facile perceptu erit, cur non ei potius, quam Conſtantino Magno, *primi Imperatoris Chriſtiani* nomen conceſſerint. Sic enim *Smerdem* inter Perſarum Reges, *Demetrium* inter Moſcoviæ Duces, *Eduardum II*, inter Reges Scoticos, *Perkinum* inter Anglicos, *Bucoldum* inter Principes Monaſterienſes haud reponi notat. Graviſſimum dubium
P, I. c. 6. ex *ludis ſæcularibus* a Philippo factis enaſcitur. His enim Imperator ipſemet agnos immolare ſolebat Jovi, Junoni, Diti patri, Cereri, Parcis. V. *Zoſimum* l. I. c. 5. At quis hæc a Chriſtiano facta crederet? Nodum hunc ſolvit *Fayus*, dum credi vult, Philippum, non ſponte, ſed ut male quæſitum imperium firmaret, gentiliumque indignationem a ſe averteret, ludos illos milleſimo Vrbis Conditæ anno celebraſſe. Multa etiam in medium affert exempla Chriſtianorum quandoque paganizantium. Notari cupit vel maxime, nec *Honorium*, utut Chriſtianũ, religioni ſibi duxiſſe, quominus ſæculares ludos ederet, cum tamen longe paucioribus Gentilibus imperarit, quam Philippus. Provocaverat *Pitetus* ad *numiſmata* Philippi. Reſpondet *Fayus*, numum Philippi junioris, in quo Imperator ſceptrum tenens & verſus templum Palatinum reſpiciens viſitur, nihil contra ſe facere. Potuiſſe enim Chriſtianum Imperatorem templum iſtud ingredi, non ut ſacrificaret, ſed ut ſceptrum Imperatorium aut inſignia conſularia illic acciperet. In templis quippe Romanis, ut non ſacra tantum, ſed & alia publica negotia peragerentur, fuiſſe moris. *Arcam Noæ*, quam in Philippi numo offendiſſe ſe credidit *Strada*, ad palatii formam propius accedere fatetur, ideoque illum pro ſententia ſua allegare veretur. Quod ſi forte objicerentur alii, ubi vultus Imperatoris, *Martis* figuræ affictus, hac epigraphe inſigniretur; MARTI CONSERVATORI, reſponſionem in promtu habet, a provinciis civibusve gentilibus eos percuſſos fuiſſe, adeoque hinc æque bene Philippi ſuperſtitionem ethnicam probatum iri, ac ſi quis Conſtan-

Digitized by Google

Conſtantinum Magnum Chriſtianum fuiſſe negaret, eo quod numiſmata eo imperante cuſa apud *Triſtanum* aliosque repræſententur, ubi Hercules leonis jugulum frangens cernitur cum inſcriptione: HERCULI CONSERVATORI; aut Jupiter dextra globum, ſiniſtra ſceptrum tenens, adjectis vocibus: JOVI CONSERVATORI; aut Sol, cum epigraphe: SOLI INVICTO; aut denique Iſis cum ſiſtro & lemmate: VOTA PVBLICA. Argumentum quo- P.I. c.7.
que ab ἀποθεώσει Philippi contra ejusdem Chriſtianiſmum petierat *Pitetus*. Iſtud refellere nititur Fayus exemplis Principis non unius ab idolorum cultu alieniſſimi, a Gentilibus tamen inter Deos ex more veteri relati, præſertim *Conſtantini Magni*. De eo enim *Eutropius* l.X. c.IV. n. 13. inquit, *Atque inter divos meruit referri*, quod eſt, *Paanio* metaphraſte, ὁ μὲν ὢν συνηριθμήθη τοῖς θεοῖς, actu ac reapſe *inter deos relatus eſt*. Eadem ratione Fayus explicat vocem *mereri*, & interpretationem ſuam non paucis veterum locis confirmat. Idem conſecrationis honor Conſtantini ſucceſſoribus exhibitus; Valentinianus autem II. ultimus demum fuit, quem inter Deos retulerunt Romani.

Partem Diſſertationis priorem ἀνασκευαστικὴν excipit altera κατασκευαστική. Urgetur heic inter alia, Philippi uxorem *Marciam* P.II. c.3.
Otacillam Severam ad Chriſtianā fidem ab Origene converſam fuiſſe, uti patere videatur ex iis, qui Patris illius (in convertendis gentilibus admodum felicis) *epiſtolam ad Severam* inſpexerunt ac laudarunt. Imo ad *Philippum* ipſummet literas dedit Origenes, ſi fides *Euſebio* l. VI. Hiſt. Eccl. c. 36. Cum vero Ariſtides itidem, Quadratus atq; Juſtinus libros ſcripſerint ad *Hadrianum* & *M. Aurelium*, nec tamen hinc conſequatur, Chriſtianos hos fuiſſe; obſervat Noſter, triumviros illos id feciſſe, ut vel eruditos Principes iſtos oblectarent, vel Chriſtianis infenſos placarent; neutra vero de cauſſa Origenē ad Philippum, indoctum plane, nec Chriſtianis ullo modo infeſtum, ſcribere potuiſſe. Ea propter probabile eſſe, Origeni cum Philippo *ob communē religionem* tantā familiaritatem interceſſiſſe, ut literas ad eum exarare ei licuerit, quibus Imperatorem in dogmatibus ſalvificis inſtrueret magis atque certiorem redderet. Argumentum aliud inde derivatur, quod *Se-* c. 4.
natus Romanus in electionem Philippi *difficulter*, nec niſi poſt mortem *Marcii*, ut & *Hoſtiliani*, conſenſerit; non tam, quod odiſſet Gordiani

diani interfectorem, (cur enim *Othonem*, *Veſpaſianum*, *Severum*, *Macrinum*, *Diocletianum*, ejusdem criminis reos, imperii Romani habenas capeſſere paſſus fuiſſet?) ſed quod fortaſſis a *Chriſtiano homine*
c. 6. ſacra ſua funditus everſum iri metueret. Nec nullius momenti eſt ratio *a pacato ſtatu*, quem Philippo regnante res Chriſtianæ obtinuerunt, deſumta. E Chriſtianiſmo quoque Philippi deducit
c. 7. Fayus cauſſam, cur *Decius*, quem non ambitioſum, nec aliis ſceleribus obnoxiũ, maximo vero opere ſuperſtitioſum fuiſſe probare ſatagit, *Philippum* occiderit & diriſſimam in Chriſtianos *perſecutionem*
c. 8. inſtituerit; unde *Hieronymus* in *vita Origenis* ſcribat: *Crudelitas perſecutionis adverſus Chriſtianos inſurrexit, eo quod in Philippi religionem deſæviret* Decius. Cum etiam legem ſanxerit Philippus, in
c. 9. codicem Juſtinianæum poſtmodum relatam: *Poetæ nulla immunitatis prærogativa juvantor*; Autor quærit, undenam tantum Imperatori in *poetas* odium? Non certe ex unius alteriusve ſatyris in eum forſan ſcriptis. Quo enim jure omnes privilegiis exui potuiſſent, cum pauci modo pœna hac digni eſſent? Id ergo factum, quoniam poetæ gentilium theologi erant, quos non potuit non odiſſe Imperator Chriſtianus. Notatu porro digniſſimum eſt, quod, cum lu-
c. 10. dos ſæculares faceret, *munera* quidem ediderit, *ſacrificia* vero nulla adjeciſſe videatur, plane uti poſtea ab *Honorio* factum eſt. Sic enim Oroſius: *Philippum Capitolium aſcendiſſe & ſacrificia immolaſſe more majorum, nullus autor oſtendit.* Sane *Capitolinus* in vita Gordiani III. circa finem fera animalia quidem & gladiatorum fiſcalium paria enumerat, quæ Philippus ludis ſæcularibus exhibuerit, de ſacrificiis vero nihil addit. At inſpicienti locum patebit ſatis, ex ſilentio ejus hac in parte parum probationis ſperari debere. Longe majoris ponderis eſt, quod *Zoſimus* ludos a Philippo factos tacuit, cum ſæcularium catalogum texeret, loco ſuperius allegato. Namque non alia ratio ſubeſſe cenſetur *Fayo*, quam quod ethnicus ille ludos a Philippo abſque ſacrificiis celebratos ne memoria quidem aut ludorum
c. 11. ſecularium nomine dignos putarit. Tandem autoritate ac conſenſu *Euſebii*, *Hieronymi*, *Oroſii*, *Vincentii Lerinenſis*, *Caſſiodori*, *Jornandis*, *Nicephori*, *Ottonis Friſingenſis*, *Abulpharaji*, *Læti*, *Eraſmi*, *Bucholceri*, *Funccii*, *Hornii*, *Valeſii*, *Wetſtenii*, *Polierii*, ſuam opinionem tuetur. Atque hæc ſunt contenta præcipua diſſertationis epiſtolicæ, Lau-
Digitized by Google

cæ, Lauſannæ 3. Junii 1686 ad Pitetum ſcriptæ, ineunte vero hoc anno Baſileenſibus typis vulgatæ, ac tot παρέργοις, aut, ſi mavis, *locis communibus* hiſtoricis ſelectioribus, quos lectu haud injucundos fore confidit Autor, refertæ, ut plures prolixioresve abs eo deſiderare iniquiſſimum foret.

DOCTRINÆ AUGUSTINIANORUM THEOlogorum circa V Propoſitionum materiam Expoſitio, Articulis V. ad Alexandrum VII. olim transmisſis comprebenſa, nunc Alexandri VIII. judicio denuo ſubjecta: excuſſa & refutata per Joannem ab Iſſelſteyn Lovanienſem Theologum.

Coloniæ, typis Balth. van Egmont, 1690, in 4.

Conſtat plagulis dimidiatis 11.

De controverſia circa quinque propoſitiones ſive doctrinam *Janſenii* de gratia, tot annis in Gallia acerrime agitata, tractatus plurimos in Actis noſtris ab aliquot annis recenſuimus, eos maxime, qui *D. Antonii Arnaldi*, vel ejus amicorum & diſcipulorum ſtylo, Gallice in Belgio editi frequentes ad nos pervenerunt, raro allatis, qui iis oppoſiti fuiſſent. Nuper vero adepti ſumus libellum, quem producimus, Autoris nobis huc usque parum noti, cui præfixa eſt approbatio *Nicolai du Bois, Sacrarum literarum in Academia Lovanienſi Profeſſoris primarii & librorum cenſoris* d. 2. April. h. a. data, in qua *conducibilem & opportunum boc tempore libellum hunc eſſe* cenſet, *ad diſſipandos vanos rumores, quos de approbatione Romana quinque ancipitium articulorum ab iis, qui ſe Auguſtini diſcipulos nominant, conditorum, tam vane quam glorioſe nonnulli ſpargant.* Patet hinc, quarum partium ſit Cenſor, quanquam id nobis jam A. 1689. innotuerit, ex Apologia pro decreto Lovanienſi & Duaceno, ſub nomine *Gerii* edita, quam in Actis d. a. p. 227. enarravimus. *Expoſitionem*, cui *Iſſelſteynius* reſpondet, non vidimus; ex hac refutatione tamen & ejus contenta haud difficulter percipiuntur. Haud multum tractat Autor de dogmatibus, ſed calumniæ & impudentiæ accuſat eos, qui poſt Pontificum priorum decreta, illi, qui nunc clavum tenet,

Digitized by Google

moleſtiam exhibeant, negare audentes, fuiſſe unquam hæreſin, quæ vocatur *Janſeniana*, & jactantes, quod articuli a ſe miſſi Romam approbationem invenerint. Hos vero Doctores *Proteos* vocat, *in omnẽ formam verſatiles, lupos ovina pelle tectos*, imo *lycanthropos*. Addit excuſationem, quod tacentibus Jeſuitis, quos *Janſeniſmi monſtrum in cunis ſuffocaſſe, & renaſcens ferro & face perſecutos eſſe, & quotidie ſtylo ſcriptisque innumeris confodere* ſcribit, ipſe loquatur & calamum arripiat. Laudat tamen ex illa Societate *Iſaacum de Bruyn*, qui *Martinum Henricum de Swaen*, theſibus menſe Novembr. 1689. Lovanii defenſis, de falſa Romanæ approbationis gloriatione convicerit; ſibi tamen ſupereſſe ait, quæ Pſeudo-Auguſtinianorum errori, indies latius proſerpenti objiciat. Caput diſputationis eſt de Reſcripto ſive *Brevi* Alexandri VII. Pontificis, A. 1663. d. 29. Julii ad Præſules Galliæ dato, quod a Janſeniſtis veteratorie allegari ſcribit, ipſe integrum p. 23. exhibet. Refert ex narratione *Ferrerii* Jeſuitæ, quomodo poſt condemnatas jam quinque Janſenii propoſitiones, & ſubactam in Gallia Janſeniſtarum factionem, proſcriptisque ex regno ejus anteſignanis & inter hos *Arnaldo*, *Miramontius* Præſes Toloſanus, collatis cum Ferrerio & *Annato* Jeſuita, qui Regi tunc a confeſſionibus erat, conſiliis a Rege impetraverit, ut exules ad tempus aliquod certisque conditionibus Lutetiam revocarentur, & colloquium inter *Gilbertum* Convenarum (Cominges) Epiſcopum, adjuncto ei *Ferrerio*, & ex parte exulum *Lalanium* & *Girardum* inſtitueretur, eo fine, ut diſſidentes Pontificiis & Regiis decretis obtemperarent, & Janſenii dogmata aperte rejicerent. In illa collatione Janſeniſtæ, quos vocant, quinque articulos obtulerunt, in quibus ſententiam ſuam, quam Thomiſticam vocabant, profitebantur, ſubdole quidem & fraudulenter, ut Autor judicat; indeque Ferrerium, ut cavillis occurreret, quinq; alios articulos conſcripſiſſe narrat, quos p. 28. & ſeq. exhibet, & nos haud invitis, ut ſperamus, lectoribus adſcribimus. (1) *Præcepta Dei hominibus juſtis, volentibus, & conantibus ſecundum præſentes, quas habent, vires, non ſunt impoſſibilia, quando ea non ſervant; adeſt enim illis actualis atque interna Chriſti gratia, cum qua poſſunt abſolute illa ſervare; licet deſit iisdem gratia per ſe efficax, ſine qua illa nunquam obſervant.*

(2) *In*

(2) *In ſtatu naturæ lapſæ datur actualis atque interna Chriſti gratia, cui homines ſæpe reſiſtunt, & impediunt, quo minus habeat effectum, ad quem vires tribuit vere ſufficientes. Nunquam tamen reſiſtitur gratiæ per ſe efficaci, ſine qua bonum opus non fit.*

(3) *In ſtatu naturæ lapſæ ad merendum & demerendum non ſufficit libertas a coactione, ſed requiritur libertas a neceſſitate.*

(4) *Falſum eſt atque hæreticum aſſerere, Semipelagianos in hoc erraſſe, quod dixerint, actualem Dei gratiam ad ſingulos actus pietatis neceſſariam, talem eſſe, cui voluntas poſſit obtemperare, aut refragari. Omnis enim actualis Chriſti gratia tam efficax quam ſufficiens eſt hujusmodi, ut huic poſſit homo diſſentire.*

(5) *Chriſtus pro omnibus omnino hominibus mortuus eſt; voluitque ſalutem æternam reproborum voluntate antecedente, non autem abſoluta & conſequente: deditque pluribus eorum auxilia gratiæ, cum quibus ſalutem conſequi poterant; non tamen gratiam efficacem, ſine qua nemo ſalutem conſequitur.*

Hos articulos, quanquam *Lalanius* & *Girardus* approbarent, cæteri tamen interpolari & mutari alicubi cupiebant, neque poſt novem menſium diſceptationem conveniri cum illis potuit: unde relatio tandem Romam ab *Epiſcopo Convenenſi* facta eſt, cui articulos ab utraque parte compoſitos, illos certe, quos Janſeniſtæ conceperant, adjunxit. Pontifex habita deliberatione decrevit, ut articulorum nulla mentio fieret, ſed ad Epiſcopos Galliæ reſcriberetur eo ſtylo, ut ad obtinendam inter partes concordiam, aut potius ad redigendos ad obſequium omnes contradicentes, ultimam manum admoverent, implorato, ubi opus eſſet, brachii regii auxilio. Ex hoc *Brevi*, quod ſupra indicavimus, Auguſtiniani illi, ſive Janſeniſtæ (nos ſane his nominibus ſine præjudicio utimur) in Expoſitione ſua ad Pontificem miſſa hæc verba allegaſſe perhibentur: *Illud non mediocri gaudio animum noſtrum perfudit, quod literis ex Gallia recens allatis accepimus, illorum indies creſcere numerum, qui recta ſapiunt ——— ad ſaniorem doctrinam inducti.* At hic vehementer indignatur *Iſſelſteynius*, quod verbis *Brevis Pontificii* peſſima fide uſi ſint, & hiatu per lineolam ſubdole notato fucum fecerint, quaſi ſyllabæ aut voces quædam nihil ad cauſam facientes, compendii & tem-

Digitized by Google

poris gratia extritæ eſſe viderentur. Verum, ait ille, quot omiſſæ ſunt ſyllabæ, tot celantur malæ cauſæ plagæ. Integrum igitur locum adſcribit: *Illud autem non mediocri gaudio animum noſtrum perfudit, quod literis ex Gallia recens allatis accepimus, illorum in dies creſcere numerum, qui recta ſapiunt, præfatis conſtitutionibus ſeſe ultro ſubjicientes; illorum vero decreſcere, qui a veritate auditum avertunt, & variis inanium interpretationum argumentis decepti, decretis Apoſtolicis refragantur. Is fuit egregius ſane laborum veſtrorum fructus, majoris ſcilicet & potioris partis, ut multi, iique cæterorum nomine primarii, exemplo veſtro, conſilio & opera ad ſaniorem doctrinam inducti, ea qua par eſt (ut credimus) animi demiſſione, ſeſe paratiſſimos exhibuerint, ad illa omnia præſtanda, quæ ipſis a ſede Apoſtolica præſcribentur.* Ex his & ſequentibus apertiſſimum eſſe cenſet Autor, Pontificem nullam ne mentionem quidem, nedum approbationem articulorum a Janſeniſtis compoſitorum feciſſe; eſſe etiam, qui veriſimiliter negent, lectos illos Pontifici fuiſſe. Ejus vero prudentiam & ſuſpicionem de obſtinatione hominum, eventu probatam dicit: minime enim impetrari ab illis potuiſſe, ut Pontificis juſſui obtemperarent, aut a verſipelli calliditate & perfidia, quam apud Gallos in proverbium abiiſſe dicit, recederent. Hæc vitia nominatim *Arnaldo* impingit, nec pauca ex theſibus *Bruyni* adſcribit, quibus dicta confirmet, ad quæ *Arnaldus*, ſi vitam produxerit, non pauca forte regeret. Pungit inde Autor *Convenenſem* etiam Epiſcopum, & apertius *Alectenſem*, ut Janſeniſmo faventes. Sugillat quoque Lovanienſes Theologos quoſdam, quod in ſuſcipiendis decretis Pontificum, Janſenii doctrinam damnantibus, tergiverſentur, & illius cauſam proſcriptam eſſe non agnoſcant, ſed argumentis Thomiſticis tueantur. Taxat etiam pruritum addiſcendi linguam Gallicam, & legendi libros pro Janſenio editos, & quod omnia *Arnaldi* veluti ex tripode dicta magiſtri & tyrones adoptent, illiusque libros manibus verſent, novosque catechiſmos concinnent. In univerſum argutias, fucos & offucias Janſeniſtarum accuſat, ſpeciatim quod agnoſcere nolint, cenſuram adverſus *Leſſium* Jeſuitam latam, decreto Sixti V Pontificis A. 1588. antiquatam eſſe, ejusque verba improbe cavillentur. Nec minus culpat, quod tot libros de hac cauſa Gallice edant, quibus plebem in partes transducant, & Calvinianos,
quos

quos vocat, exhilarent, qui hac pugna inter Catholicos tanquam inter Cadmeos fratres lætentur. Novum Teſtamentum verſione ſua veneno infeciſſe eos ſtatuit, ut jam non Chriſti ſed Janſenii teſtamentum ſit, ideoque a *Richardo Simone*, quem eruditiſſimum criticum vocat, recte cum Lutheri verſione comparari. Reprehendit, quod etiam Patrum libros Gallice verſos edant, & ad Lutheri & Calvini exemplum, ut loquitur, meretricia eloquentia veritatis ſemina opprimant. Notat etiam, magna victoriæ ſpe in propagandis erroribus illos verſari, quia Catholicorum nomen præ ſe ferant. Laudat poſt alia *Martinum Steyardum* Doctorem Lovanienſem, quem Autor Apologiæ in Actis hiſce A. 1689. p. 233. relatæ, cum *Franciſco Lupo* Romam miſſum fuiſſe ſcribit, ut Lovanienſis cenſuræ in Jeſuitas confirmationem procuraret; reſipuiſſe enim hunc dicit, & Janſenii doctrinam pro condemnata & proſcripta agnoviſſe, indeque Pontificis & Regis Hiſpaniarum favorem expertum eſſe. Ad hujus imitationem alios provocat, magna, ſi obſequantur, commoda oſtentans. Quod ſi non pareant, negat illos pro genuinis filiis Eccleſiæ & communis patriæ haberi poſſe; ſpurios potius & adulterinos manſuros eſſe. Apponit formulam, qua quinque propoſitionum condemnationi ſubſcribant: *a quocunque autore, etiam Janſenio, inque ejus ſenſu aſſerta eſſe reperiantur;* hæc enim verba inſeri poſtulat. Vehementer exaggerat, quod duorum Pontificum, quaſi in quæſtione facti erraſſent, decreta oppugnare non deſinant. Fallaciam *Expoſitionis* oſtendit, duasque eam facies habere dicit, Thomiſticam unam, Janſenianam alteram; nec referre, quod *gratiæ neceſſitantis* vocabulo abſtineant, cum eam reipſa aſſerant. Quamvis vero Jeſuitarũ cauſam a ſe non agi dicat, qui ſe ſtrenue defendere ipſi noverint; negat tamen, ullius Jeſuitæ in hac materia ſententiam damnatam eſſe. *Oppugnata eſt*, ait, *armis omnibus Ludovici Molinæ doctrina tanto tempore, a tam doctis, tam ſtrenuis, tam potentibus adverſariis; & poſt tot certamina evaſit victrix, quia non victa. Nulla eſt inter Jeſuitas ingeniorum ſervitus: non adiguntur jurejurando ad certa placita: neque propter clamores hos tuos* (Arnaldum alloqui videtur) *ſapientiſſimus illorum Præpoſitus Generalis certa quadam capita præſcribet ab omnibus Profeſſoribus docenda, quamdiu eum ad hoc major autoritas non adegerit.* Addit in eundem ſenſum plura, & eos,

 qui

qui Jeſuitas Pelagianiſmi accuſent, cogi dicit, ut alium fingant Pelagium, quam qualem depinxit Auguſtinus, alium etiam *Caſſianiſmum* excogitent. Notat, non ſolum convictum eſſe, quem ſupra nominavimus, *Swaenium* a *Bruyno*, ſed & *Gummarum Huyghens* a *Philippo de Vos*. Acri tandem ſale conſpergit Apoſtrophen Expoſitionis ad Pontificem, ejusque autores & paria ſentientes omnino illos eſſe ſtatuit, quos Alexander VII, in Conſtitutione ad Epiſcopos Galliæ, reos pronunciet *hæreſis Cornelii Janſenii in Galliis præſertim ſerpentis, ab Innocentio X prædeceſſore ſuo fere oppreſſa, & ad inſtar tortuoſi colubri, cujus caput attritum eſt, in varios gyros & cavillationum deflexus euntis, quam & ipſe altero Pontificatus ſui anno extinguere conatus fuerit.* Unicum itaque remedium ſupereſſe ad pacem & conciliationem dicit *Iſſelſteynius*, formulæ illius ſubſcriptionem.

TROISIEME DENONCIATION DE LA Nouvelle Hereſie du Peché Philoſophique.

id eſt,

Tertia Denunciatio hæreſis novæ de Peccato Philoſophico, cum refutatione literarum, quas Jeſuitæ de illa materia ediderunt. Acceſſit Annotatio ad Mandatum Epiſcopi Lingonenſis de theſi Divionenſi.

A. 1690, in 12. Plag. 4.

Nondum circumactus eſt annus, cum primam Denunciationem A. 1689. p. 620. in Acta noſtra retulimus: Secunda hujus anni menſe Julio, p. 329. producta eſt: Tertiam nunc exhibemus. Rarum itaque vividæ & actuoſæ ſenectæ exemplum exhibet *D. Arnaldus*, qui autor Denunciationum habetur, ſuisque cœptis acerrime inſiſtit. Quid ad primam ejus Denunciationem Jeſuitæ Lovanienſes reſponderint, ex modo allegata ejusdem reſponſi refutatione, i. e. Denunciatione ſecunda, intellectum eſt. Alius vero reſpondendi modus, ſuo & aliorum Jeſuitarum nomine, placuit Jeſuitis Pariſienſibus,

Digitized by Google

bus, edita nempe ad Denunciationem primam (diſſimulata ſecunda) epiſtola, ipſi Autori inſcripta. Hi diverſo a Lovanienſibus inſtituto, & modeſtius ſcribunt, & defenſionem theſis Divionenſis non ſolum omittunt, ſed & palam eam improbant & execrantur. Hæc tamen ipſa differentia inter duo Collegia Jeſuitica, ſuſpecta eſt Denunciatori, ut de utriusque candore dubitet; plura vero alia habere ſe credidit, quæ Pariſienſibus regereret. Ad illos enim præſens hic tractatus per modum epiſtolæ dirigitur, & literæ illorum particulatim & verbotenus exhibentur & examinantur. Exorſi ſunt Jeſuitæ a gratiarum actione, quod Autor indicaverit theſin Divionenſem, cujus fama ob loci incelebritatem, absq; illius induſtria ad ſe vix pervenire potuiſſet: laudant itaque fervidum zelum, quod hæreſin iſtam prorſus novam, & vix naſcentem in angulo provinciæ illius & collegii detexerit. Verum Autor demulceri ſe hoc palpo non ſinit, negatque ſe primum hæreſis indicem fuiſſe, cum jam anno 1687. menſe Martio Doctor Lovanienſis theſin Divionenſem publicæ cenſuræ ſubjecerit, idemque anno 1688. menſe Majo iteraverit. Acceptat inde Pariſienſium confeſſionem, qua teſtantur ſibi non minus inſolitum & periculoſum viſum fuiſſe dogma illud, quam Denuncianti, imo illico ab eo ſe abhorruiſſe. Monet tamen, hoc Jeſuitis, quorum nomine indefinite ſcribunt Pariſienſes, quicquid etiã hi ſentiant, non convenire, certe nec Divionenſibus, nec aliis in Belgio, qui abhorrere a theſi non potuerint, cujus ſententiam ipſi plurimis vicibus, ut in ſecunda Denunciatione demonſtraverit, a multis annis in ſuis theſibus expresſiſſent. Miratur, quod Pariſienſes, ſi horrorem viſa ſocii ſui theſi conceperint, per ſex menſes tacere, quam periculo ex propagatione erroris, ab ipſis jam agniti, occurrere maluerint. Quod enim oblivione ſepeliri illũ potuiſſe jactitent, ſibi credibile eſſe negat; nec tam obſcurum eſſe Divionenſis urbis & Collegii nomen, ut id ſperari potuerit. Non magis locum habere, quod tempore ſe ad inquirendum excluſos eſſe dicant: neque enim ſex menſes, ſed decem vel duodecim dies ſolum requiri, intra quos Pariſienſes explorare potuerint, quæ Divione acta eſſent. Rejicit quoque, ut vanæ gloriolæ affectationem, quod ſe conjeciſſe ſcribunt, Denunciationem illam, ut aliis contra Jeſuitas ſparſis libellis factum ſit, cito in oblivionem & contemtum venturam eſſe. Econtrario Autor duratura talia ſcripta ad poſteri-

poſteritatem eſſe ominatur, exemplo eorum, quæ ſub titulo *Literarum Provincialium Montaltii & Wendroquii* dudum prodierunt. Veriorem itaque ſilentii rationem illam eſſe putat, quod Jeſuitæ ſperaverint, defendi theſin, aut ſaltem condemnationem ejus evitari poſſe. Cum vero contrarium ex amicis intelligerent, & exitium Societatis metuerent, ſi ad defenſionem ſocii animum obfirmarent, tum demum ad hunc deſerendum coactos, & ad epiſtolam hanc edendam progreſſos eſſe, qua theſin improbare videantur, obſervantes etiam, theſin iſtam, ut ipſi ſcribunt, Pariſiis in urbe & aula pipulo differri, & fœminis quoque confabulandi materiam præbere. Profeſſi itaque ſunt in epiſtola pluribus verbis, ſe minime hæreſin illam novam in morum diſciplina probare, & ſententiam, quam verbis Denunciatoris referunt, prorſus rejicere, & pro hæreſi impia & execrabili cum omnibus principiis & ſequelis ſuis habere, *quatenus ſcilicet theſis illa per ſe & ſine relatione ad alia Profeſſoris Divionenſis ſcripta intelligatur.* Nolle ſe illum ullo modo defendere, ſi deprehendatur malum illum ſenſum, a Denunciante indicatum, in animo habuiſſe, nec poſitive condemnaſſe; alium etiam quemcunque ſuæ Societatis, qui idem faceret, pariter absq; ulla tergiverſatione a ſe rejectum iri. Poſtulant inde ab Autore, ut condemnationẽ theſis apud Pontificem & Præſules Galliæ urgeat: illi enim ſeſe ſubſcripturos eſſe, ſine omni æquivocatione, diſtinctione aut contraria proteſtatione in ſecreto peracta (quod a Janſeniſtis factum eſſe innuunt:) rogant denique, ut vel unica hac vice in tota vita ſua bonam Jeſuitarum fidem agnoſcat. Quam parum vero hac obteſtatione apud illum effecerint, libellus hic ſatis ſuperque oſtendit. Perſtringit eos ab initio, ut dicere cœpimus, ob excogitatas falſas tacendi & loquendi rationes, inter alia etiam ob id, quod fœminis invidere notitiam rei videntur; negat enim pietati convenire, ut ſexus ille a præcipuorum fidei capitum intellectu excludatur. Maxime reprehendit, quod theſin Divionenſem non verbotenus, ſed ex interpretatione ſolum Denunciatoris, epiſtolæ ſuæ inſeruerint: quod aſtute factum eſſe dicit, ut lectoribus inſinuarent, ac ſi Autor theſin Divionenſem maligne retulerit; cum tamen ſententiam ejus fideliter, licet verbis Gallicis & magis popularibus expreſſerit, adductisque exemplis illuſtraverit. Oppugnat additamentũ Pariſienſium de aliis Jeſuitæ

Divio-

Digitized by Google

Divionenſis ſcriptis; neque enim de illis agi ait,ſed de theſi plane clara & liquida, optima fide & Latine, ut ſcripta eſt, relata. Rhetoricari etiam illos indicat, cum ſenſum theſis a Denunciatore conceptũ damnant, quaſi is a Jeſuitæ ſententia diverſus ſit: condemnationem itaque, quam proponunt, non niſi hypotheticam eſſe; nec plus valere, quod de aliis ſcriptis Divionenſis Jeſuitæ reſervarunt, aut cum de principiis & ſequelis theſeos loquuntur. Negat ſe ſcripta alia Divionenſis unquam vidiſſe, aut ut ea conſuleret, obligatum fuiſſe, cum theſis manifeſtiſſima publice extaret. Principium commune inter dogmata Jeſuitarum eſſe, *quod ad peccatum formaliter requiratur notitia malitiæ, & quod nemo peccet, niſi quatenus ſciat & intelligat malitiam peccati: Nullum eſſe peccatum formale, niſi conſcientia hic & nunc judicet de malitia: Conſcientiam circa illicita intrepidam excuſare a peccato.* Hæc atque ſimilia omnia cum ſequelis ſuis diſerte rejici a Jeſuitis debere, ſi ſincere agere velint. Quod vero a ſe petant, ut apud Pontificem & Præſules Gallos theſis condemnationem procuret, id ad ipſos pertinere dicit, & inſtanti congregatione Cleri Gallicani opportune fieri poſſe. Poſt hæc, (quæ ad caput rei ſpectant) Jeſuitæ probaturos ſe alio ſcripto eſſe receperant, (1) quod ante theſin Divionenſem nullus Jeſuita doctrinam illam foverit, omnes potius diſerte rejecerint. (2) Quod nullum admittant principium, ex quo illa ſequatur. (3) Quod principia Jeſuitarum illi directo ſint oppoſita. (4) Quod ex ſolis principiis Jeſuiticis theſis illa ſolide & absque errore refutari poſſit. Hæc omnia falſiſſime jactari aſſeverat Autor, & ſummam inſcitiam ſcriptori epiſtolæ imputat, quem *Buburſium* eſſe exiſtimat, Theologiæ rudem, criticum linguæ Gallicæ ſcrupuloſum & ineptum, Vaugelaſii exſcriptorem. Admonitum epiſtolæ adjectum, quo Autorem verbis quidem parum mitibus ad reſtabiliendum commercium charitatis invitant, & ſcandali reparationem poſtulant, quod theſin paucis ſcholaribus cognitam cum periculo legentium propalaverit, nec potius Superioribus indicaverit, & alia ejusmodi; ſecundæ ſuæ denunciationis contenta regerit, & denuo prolixe oſtendit, neque occultam theſin, neque ſine antidoto a ſe productam, neque conſultum fuiſſe, ut rem ad Superiores deferret, cum Jeſuitæ nec Epiſcoporum jurisdictionem agnoſcant, neque cenſuras Pontificias revereantur; quod

 exemplo

exemplo recenti probatum it, dictum Jeſuitarum allegans, quo condemnationem *Eſtrixii* Romæ factam factioni Janſeniſticæ attribuerint. Recte igitur & eximio cum fructu denunciationem a ſe publicatam eſſe arbitratur, quia jam in execrationem publicam adductus ſit peſſimus error, & ab ipſis Jeſuitis condemnatus. Ad criminationem adverſus dogma Arnaldi de gratia hic nihil affertur, ſed ad libellum Gallicum provocatur, cui titulus eſt: *Recriminatio Jeſuitarum in retractatione nova hæreſis de peccato philoſophico, calumnia convicta.* Reparationem honoris ſibi juſtius a *Buburſio* deberi contendit, autore atrocis calumniæ in libello A. 1668. ſub titulo: Epiſtola ad magnatem quendam in aula (*Lettre à un Seigneur de la Cour*) publicato. In hoc enim Janſeniſtis ſeditionis crimen imputatum eſſe notat, additis duobus apertis mendaciis de ſcripto cujusdam *Bruſſii*, qui conjuratos, quos a funda (*la fronde*) cognominabant, animaverit, & de Archiepiſcopo Senonenſi *Gondrinio*, quod legionem Hibernorum Regi militantium ad internecionem cædi curaverit. Addit Autor, ſtatim quidem refutatum *Buburſium* fuiſſe, & tunc conticuiſſe; eundem tamen tam impudentem fuiſſe, ut poſt annos XVII, in opuſculorum ſuorum faſciculo, A. 1684. cum privilegio Regis recuſo, veteres illas nugas nulla aut futili cum emendatione recoxerit. Ad votum, quo Jeſuitæ epiſtolam finiunt & Autori meliorem mentem apprecantur, hic illis haud diſſimile reponit. Aggreditur inde aliam epiſtolam ab iisdem Jeſuitis aulico cuidam inſcriptam, in qua Divionenſem ſocium pluribus & liberius excuſant, & ex hypotheſi ſolum diſputaſſe eum contendunt, ſi nempe peccatum, quod philoſophicum vocant, ab aliquo committatur; quod tamen fieri poſſe negaſſet. Iſta omnia operoſe refellit rejicitque Autor, & quod peccatum tale committi poſſe Divionenſis ſtatuerit, ex ipſa theſi, & ex *Reuxii* in ſecunda Denunciatione allegato ſcripto, ſpeciatim ex vocula illa *tantiſper*, de cujus omiſſione Lovanienſes expoſtulaverant, argumentatur; deinde alia in epiſtola hac ſecunda ſibi impacta convitia removet. In edicto Epiſcopi *Lingonenſis* (Langres) d. 19. Mart. hoc anno ad Paſtores diœceſanos edito, quod ſub finem libelli proponitur, deſiderat, quod non niſi Jeſuitarum relationem ſecutus eſſe videatur, neque denunciationem Autoris legerit, cum illam perperam vocet *epiſtolam circularem*. Acceptat interim, quod in edi-

Digitized by Google

in edicto ſuo aperte teſtetur Epiſcopus, Jeſuitas viva voce & ſcripto culpaſſe & condemnaſſe theſin Divionenſem, & quod ab autore ipſo retractata ſit, affirmaſſe; unde nullius valoris eſſe colligit, quæcunque pro excuſatione theſis in epiſtolis ſuis attulerint.

ULRICI HUBERI, SUPREMÆ FRISIORUM Curiæ Ex-Senatoris, Prælectionum Juris Romani Pars III. quæ eſt ad Libros XXXI. poſteriores Pandectarum.

Franequeræ, apud Henr. Amama & Zach. Tædama, 1690, in 4.

Conſtat plagulis 105.

PRælectionum Juris Huberianarum, quarum Pars I *Menſe Septembri 1688. pag. 464*, Pars II vero *Anni proxime præterlapſi M. Junio pag. 302.* a nobis commemorata fuit, Tertium nunc & ultimum Tomum exhibemus, reliquis ordine quidem, nequaquam autem elegantia aut accuratione poſteriorem: de quo tamen vel ideo pauciora habebimus dicenda, quod pleraque omnia, quæ de iſtis perhibuimus, huc pariter quadrant, quorum adeo repetitione non erit opus. Nimirum & hic id maxime ſategit Nobiliſſimus Autor, ut theoretica & humaniora paſſim ad uſum attemperaret, hiſtoriisque rerum judicatarum illuſtraret: quas ipſas quidem ut in medio mox orationis curſu interſereret, cum aliorum, tum *Antonii Mornacii* potiſſimum exemplo inductum ſemet profitetur. Nil adeo nobis ſupereſt, quam ut, ceu olim quoque facere conſuevimus, in gratiam Lectoris ex allegatis iſtis Deciſionibus nonnullas, quæ præ cæteris in oculos incurrerunt, velut ſpeciminis loco, excerptas communicemus. Sic itaq; per ſententiam deciſum ac pronunciatum eſſe fertur, Hypothecæ generali tacitæ non eximi res neceſſarii uſus, utut per *l. 6. D. de pign.* excipiantur a generali expreſſa *pag. 16. a.* Mulieris hypothecam ratione bonorum paraphernalium non incipere, niſi poſtquam vir res ejus alienaverit, vel pecuniam conſumſerit, aut ab uxoris debitoribus acceperit, *ibid. b.* Magiſtratus municipales in bonis Quæſtorum & Collectorum, quos ipſi conſtituerint ad fiſcales reditus adminiſtrandos aut colligendos, non habere privilegium

inter hypothecarios *pag.54. a.* Non omnia, quæ rebus venditis affixa ſunt, emtori cedere, v. g. domunculam ſeu caveam ſuibus ovibusve continendis deſtinatam, ſi mobilis ſit, utut ædibus affixa: at e diverſo quædam etiam non affixa illum ſequi, uti ſterquiliniũ, ſi agri nutriendi, non commercii cauſa habeatur, *pag. 74. b. ſeq.* Venditoris creditores, qui pecunias ab emtore acceperunt, re vendita deinceps evicta, ad evictionem præſtandam non teneri, niſi ex promiſſione ſpeciali, *pag. 84. b.* Lenones ut teſtes citatos non modo dubiæ fidei, ſed ne audiendos quidem eſſe, *pag. 147.* Affinitate licet ſoluta, durare tamen privilegium, quo non cogitur privignus teſtimonium dicere adverſus novercam, *pag. 156.* Teſtes in perpetuam rei memoriam jam examinatos, ubi cauſa dein ventiletur, iterum ſi haberi poſſint, examinandos eſſe, *pag. 166. a.* Eum qui ſponſalia futuri temporis contraxerat ſub hac conditione, *ne mulier ipſum in judicio unquam conveniret, quamdiu non ambiret aliam nuptiarum cauſa*, non obſtante hac ſtipulatione valide conveniri poſſe, *pag. 180. a.* Maritum ſine conſenſu uxoris, & obligationes ejus aliis cedere, & ſuperficies ipſius ruſticas aliis vendere valere, *p. 267.* Filium familias veniã ætatis impetrare non poſſe, niſi prius a patre ſit emancipatus, *p. 292. b.* Matre tutrice ad ſecundas nuptias tranſeunte, non legitimæ tutelæ locum eſſe, ſed dativæ, *p. 294. b.* Ad poſtulandum non admitti prodigos, quibus bonis interdictum eſt, *p. 314.* Clauſulam *nuncupativi* aut codicillarem non ſuſtinere teſtamentum, cujus teſtator defecit, dum teſtes ſubſcribebant, ſi id teſtibus prælectum non ſit; ſed eum mori inteſtatum, *p. 321. a.* Validum eſſe teſtamentum reciprocum viri & uxoris, in quo teſtes adhibiti fuerant mater Teſtatoris, cum duabus ſororibus & fratre Teſtatricis, *p. 323. b.* Quamvis teſtamentũ prius ita per poſterius tollatur, ut tametſi poſterius deinde ſit reſciſſũ, prius tamen inde non convaleſcat: nihilominus ſi poſterius crematũ fuerit, adeoq; plene conſtare nequeat, an rite id per omnia factum eſſet, prius adhuc integrum exiſtens valere, *p. 340. b.* Heredem ex certa re ſcriptum, quæ in ejus commercio non ſit, deficiente coherede nihiloſecius jure accreſcendi portionem deficientis capere, *p. 349. a. &* *386.* Teſtamentum a milite, durante quidem expeditione, non tamen in caſtris ſcriptum, nec ab eodem ſubſcriptum, pariterque apud hoſtes in carcere factum, habere vim teſtamenti militaris, *p. 378. a.*

Scriptis

Scriptis heredibus fratrum & ſororum liberis, non eſſe admittendos, qui poſt obitum teſtatoris, licet necdum diviſa hereditate nati fuiſſent, *p. 383. b.* Legatarium, qui rem alienam ſibi legatam, ſciens licet, emerat, antequam dies ceſſiſſet, non repelli ab ejus petitione, poſteaquam dies venit, *p. 396. b.* Onus fideicommiſſi his verbis concepti, *ſi quis ex Teſtatoris liberis aut nepotibus ſine liberis moreretur*, non pertinere etiam ad eos, qui poſt mortem demum Teſtatoris *nepotes* facti fuiſſent, *pag. 442.* Heredem fiduciarium juſſum reſtituere, quicquid ad ipſum de bonis defuncti perveniſſet, non teneri ad reſtituendum id, quod morte coheredum per jus accreſcendi conſecutus eſſet, niſi forte hi æque fideicommiſſo gravati fuiſſent, *p. 444. ſeq.* Nepotes, omiſſa parentum hereditate avo ſucceſſuri, licet conferre teneantur, quicquid ipſorum parentes vivi accepere; non tamen in collationem hanc venire, quæ iſti titulo mutui aut æris alieni accepiſſent, *p. 467. b.* Liberos non cogi ad conferendam dotem aut donationem propter nuptias, ſi repudient paternam hereditatem, etſi maxime vivis parentibus collationem promiſerint, *p. 469.* Donationem factam cum mentione quidem mortis, ſed ita, ut nullo caſu revocetur, valere abſque inſinuatione, *p. 501.* Creditores, qui poſt extrajudicialem ceſſionem debitoris bona diviſerunt, vel arbitratu ſuo vendiderunt, debitorem dein ad facultates reverſum de reliquo convenire non poſſe, *p. 571.* Correos etiam (ex ſententia Doctorum & mala interpretatione *Nov. 99. c. 1.*) hodie in praxi gaudere beneficio diviſionis, *p. 610.* Eum qui fidejuſſit in certam ſummam pro alio, ſimpliciter teneri, etiam quando debitor illam ſummam creditori ſemel ſolvit, & denuo dein ſemet in eandem ſummam obligavit, *p. 614.* Quando debitor plurium cauſarum dixit, cui debito facta ſit ſolutio, creditorem, qui reſpectu illius debiti pignus habet, non poſſe ob reliqua debita jus pignoris illius contra tertium exercere. utut adverſus ipſum debitorem id ei liceat, *p. 618.* Pretio venditionis multis penſionibus ſolvendo, ſi de omniũ ſolutione conſtet, excepta prima, ſolutionem hujus in dubio non eſſe præſumendam, *p. 619.* Poſſe injuriarum agi ob res non in ſe, ſed vulgi opinione dehoneſtantes v. g. ſi quis dicatur eſſe ex tali familia, quæ ſpectra edere ſoleat, *p. 638.* Sententiam injuriarum non infligere moribus hodiernis infamiam, *pag. 643.* Contra Societates Indicas committi poſſe crimen læſæ Majeſtatis,

 analo-

Digitized by Google

analogice dictum, *p. 661.* Pendente appellatione, ſi pecuniæ controverſæ areſto præcludantur, non eſſe novationem, *p. 725.* Plura hujuscemodi allegare in proclivi foret, niſi hæc exempli loco adducta ſufficere poſſe, imo jam fere nimia pro inſtituti noſtri ratione eſſe, crederemus. Quod reliquum eſt, proteſtatur conſultiſſimus Autor, ne ſibi vitio vertatur, ſi quando in rebus dubiis quædam aliter hic, quam olim in *Jurisprudentia Vernacula*, a ſe poſita reperiantur: maluiſſe enim ſe, exemplo Juſtiniani *Nov. 22. in f. præf.* nova emendatione priora cogitata e ſuo penu in melius reformare, quam expectare, ut ab aliis corrigerentur.

BENEDICTI ACCOLTI ARETINI DIALOGUS de Præſtantia Virorum ſui ævi; ex Bibliotheca Illuſtriſſimi ac eruditiſſimi Viri D. Antonii Magliabequii, Magni Etruriæ Ducis Bibliothecarii.

Parmæ, apud hæredes Marii Vignæ, 1689, in 12.

Conſtat plagulis 8.

QUæ cauſa ſit, cur ad illud, quod in veterum plerorumque monumentis deprehendimus, eruditionis virtutumque faſtigium rariſſimi hodie conſcendant, non una omnium eſt ſententia. Quibusdam tutiſſimum videtur, translatione ſe ſuumque ſeculum tueri, & in omniparentem naturam rei totius culpam conjicere, quæ effœta jam, & ſeneſcens, & in ſua ſenſim reſoluta principia, aut nequeat amplius, aut nolit producere, quæ cum Demoſthenis & Ciceronis eloquio, Ariſtotelis ſapientia, Platonis ubertate, Galeni dexteritate & felicitate, Papiniani & Ulpiani judicio, melliflua Ambroſii vel aurea Chryſoſtomi facundia, Auguſtini in convincendis hæreticis fortitudine & robore, non dicam certare, ſed tantum comparari poſſint. Sed non defuerunt alii, qui erroris id ſententiæ arguere, invictamque naturæ conſtantiam, & indeficiens per tot annos robur aſſerere non dubitarunt. Ionſtonus certe hoc ipſo ſeculo Naturæ conſtantiam, ſeu eam in priſtino primoque adeo vigore ſuo adhuc eſſe, peculiari libello adſtructum ivit. Sic Lancellotus quoque libro Italice ſcripto & A. 1637 edito, Mundum hodie non pejorem, quam olim eſſe docuit. Verum his duobus ſcriptoribus longe anterior

Digitized by Google

terior eſt *Benedictus Accoltus Aretinus.*. Fuit enim hic natus Florentiæ A. Chr. 1415, & A. 1466. ibidem obiit, *Michaelis Accolti*, Advocati & jurium civilium apud Florentinos interpretis filius, JCtus & ipſe, & Florentinæ Reipublicæ Secretarius, & celeberrimi *Franciſci Aretini* frater; paterque *Petri*, primum in Sacra Rota Romana Auditoris, dein Cardinalis, & *Bernardi* cognomento *Unici*, qui Nepeſis Dominus ex donatione Leonis X eſt factus; imo & avus *Benedicti* ex filio *Michaele*, qui a Clemente VII, cui a Secretis fuerat, & ipſe ad Cardinalatus apicem promotus eſt, & *Franciſci*, Eccleſiæ Anconitanæ Antiſtitis. Sed ad ſcripta Benedicti Accolti veniendum. Scripſit hic non *Epiſtolas* tantum, tanquam Secretarius Florentinus, ad externos Principes & Reſpublicas, quæ elegantiſſime ab ipſo autore exaratæ in publico Florentiæ Archivo adhuc aſſervantur; ſed & *Hiſtoriam de Bello Sacro*, brevi quidem, ſed Saluſtiana plane vel Curtiana elocutione, nec non *Dialogum de præſtantia Virorum ſui ævi*, a nobis jam recenſendum. Latuerat hic libellus ineditus in Bibliotheca Illuſtriſſimi *Magliabequii*, viri ob ſtupendam librorum notitiam, & obviam erga exteros quosque humanitatem quaquaverſum decantatiſſimi; ſed cum digniſſimus doctiſſimo huic Magni Etruriæ Ducis Bibliothecario videretur, qui clathra tandem rumperet, eum publicis Parmenſium typis exſcribi permiſit, non ſine Muſis clariſſimorum Virorum, D. Abbatis *Jacobi Mariæ Cenni*, *Franciſci Berretarii*, *Johan. Mariæ Pederetti*, *Federici Nomii*, *J. B. Tauecchii* aliorumque applaudentibus. Ipſe libellus nihil aliud eſt, quam Apologia adverſus ſuperſtitioſos antiquitatis cultores, & modernæ virtutis contemtores; atque uti in formam Dialogi eſt redactus, ita duos de argumento ſupra dicto diſceptantes repræſentat. Quæſitum nempe in convivio apud amicum fuerat, veteresne illi, quorum adeo celebre nomen eſt, virtute ſeu peritia illarum artium, quæ ad liberos pertinent homines, his, qui noſtra ætate vel etiam longe prius fuerunt, viris præſtitiſſent; cumque nonnulla protuliſſet hic Aretinus, docuiſſetque, vetuſtis ſeculis ejusmodi rerum non omnino palmam concedi oportere; quidam adoleſcens literarum eruditus, isque his Aretini verbis commotus ex adverſo contendit, veteres illos diſciplina rei militaris, & prudentia in rebus publicis privatisque, & ingenio, & doctrina liberalium artium, atque etiam moribus & integritate vitæ, hujus-

hujuſce & proximarum ætatum hominibus longe fuiſſe ſuperiores. De illis autem ſe loqui addit, qui vel apud Græcos & Macedones quondam, vel apud Pœnos, Romanosque vigente Republica, vel parum poſtea ſub Romanis Principibus floruiſſent. His enim neminem recentiorum ſive illis poſteriorum vel minimo comparari poſſe, ſeu bellicas laudes, ſeu mores vitamq; domeſticam, ſeu literarum peritiã, ſeu prudentiæ juſtitiæq; modum, ſive etiam continentiæ clementiæque gloriam contemplari quis velit. Quam ſententiam ſuam ubi idem doctus juvenis, qui loquens introducitur, exemplis bene multis ac ſpecioſis ex Græca & Romana hiſtoria ſtabiliviſſet, deteriora omnia in ſui ævi Ducibus bellicis, Theologis, Philoſophis, Rhetoribus ac Poetis deprehendi oſtendit, & Clericorum inprimis vitia hac ipſa occaſione acriter percenſet ac detegit. Verum Accoltus cum diſcurſum hunc collocutoris ſuiſat patienter exaudiviſſet, ſcite non minus quam erudite de præſtantia Virorum ævi ſui diſſerere incipit. Ac primum quidem non inficiatur, fuiſſe multos e primis ſeculis claros atque illuſtres viros, quibus ſimiles poſtea vix ulli ſint reperti; quales e belli Ducibus agnoſcit Cajum Cæſarem, Alexandrum M. Scipiones, Hannibalem, Pompejum & quosdam alios tum Græcos tum Latinos; e Philoſophis Platonem, Ariſtotelem, Theophraſtum, Carneadem; e Rhetoribus Ciceronem, Demoſthenem, Iſocratem &c. e Mathematicis Ptolomæum, Euclidem, Nigidium; ex hiſtoricis Livium, Saluſtium, Herodotum, Thucydidem; ex Poetis Homerum, Pindarum, Virgilium, Naſonem &c. Verum & hoc cogitandum collocutori ingerit, res antiquorum belli Ducum etiam mediocres, imo & parvas, pro maximis ab eloquentiſſimis ſcriptoribus fuiſſe venditatas, & ſi vel maxime magnæ illæ fuerint, non fuiſſe tamen tales, ut non ab aliis poſtea majores vel pares ſæpe numero ſint factæ. Defuiſſe autem per octingentos fere annos ob barbariem temporum ſcriptores, qui multa tum bello tum pace incluta facta monumentis literarum conſignare potuerint. Quemadmodum autem tota hæc ſcriptio non alium habet ſcopum, quam laudem Florentiæ, imo totius Italiæ: ita exempla Virorum ævo ſuo præſtantium ex Florentina inprimis, viciniſque Rebuspublicis atque urbibus adducit; & primum quidem Ducum bellicorum invictæ fortitudinis, quos Leonhardus Aretinus in hiſtoria Florentina celebrave-

braverat, *Philippi* item Florentini, cognomento *Hiſpani*, *Franciſci Carminiolæ*, atque aliorum plurium; dein Virorum ſapientia & autoritate ſuo tempore eminentium, *Coſmæ* inprimis *Medici*, qui res patriæ ita adminiſtravit, ut patriæ pater appellari meruerit, fundamentumque adeo Ducatui Mediceo, qui hodie magnus audit, jecerit; porro Rhetorum & Hiſtoricorum, *Leonbardi* & *Caroli Aretinorum*, *Poggii*, *Jannozi*, *Guarini*, aliorum; Poetarum, *Dantis Aligerii*, *Franciſci Petrarcæ* & *Joh. Boccaccii*; Philoſophorum *Alberti Magni*, *Thomæ*, *Lombardi*, *Scoti* aliorumque Scholaſticorum; JCtorum, elegantia quidem, eloquio & literarum peritia priſcis non parium, ſed ſcientia tamen & ingenio illis ſuperiorum; Sanctorum, B. *Franciſci* & *B. Dominici*, & Pontificum quorundam ſanctitate & eruditione clarorum, ut & *Thomæ de Aquino*, *Joh. Columbini* Senenſis aliorumque, quibus & *B. Brigida*, *Clara Franciſci* ſoror, & *Catbarina* Senenſis accenſentur; præter eruditorum alios complures ſanctimonia vitæ conſpicuos. Cæterum, quod Collocutor ſupra dictus Clericorum inprimis ordinis vitia longe maxima & ſcandalis plena detexiſſet, Accoltus ad illas quoque invectivas reſpondet, percurrensque omnium temporum hiſtoriam, nullum ſeculum vitiis vacuum fuiſſe eruditiſſimis exemplis demonſtrat.

SYNOPSIS PHARMACEUTICA CONSCRIPTA a Joh. Conrado Barckhauſen.

Francofurti ad Mœnum, ſumptibus Friderici Knochii, 1690, in 12.

Conſtat plagulis 8.

QUo majori in pretio medicamina habentur in Morbona oppugnanda efficacia, tanto pluris ars Pharmaceutica æſtimanda, eadem legitime præparandi methodum edocens. Sed cum ambitus hujus ſit vaſtiſſimus, ideam ejus contractam Autor noſter ſub *tribus* hic ſiſtere annititur *ſectionibus*. Quarum *prima* Inſtrumenta operationibus pharmaceuticis inſervientia, tam animata, quam inanimata, hæcq; vel activa, (itidem aut principalia, aut minus principalia,) vel paſſiva indigitat. *Altera* vero ipſas operationes rite perficiendi rationem exponit, ordine tamen non alio, ac quem alphabeti literæ

oſtendunt, ſervato, v. g. quid ſit & quomodo peragatur τὸ acuere, calcinare, circulare, clarificare, &c. *Ultima* denique *ſectione* reſultantia inde medicamenta, ceu effectus, ſecundum Alphabeti pariter ſeriem tradit, ita quidem, ut nec encheiriſin, ubi opus, in eorum præparatione obſervandam reticeat, nec formulas hinc inde neceſſarias exempli loco omittat. In ſpecie de Martio pane agens, licet hunc e Pharmacia hodierna exulare non diffiteatur, miratur tamen a Recentioribus nonnullis omnem, moderatum quoque, ſacchari & mellis uſum, tanquam acidi intuitu pernitioſum, e foro Medico amandari, præſertim cum digeſtio ventriculi chylique diſtributio paucis abſolvantur horis, concocta vero prædicta liquore quopiam ſoluta non niſi aliquot hebdomadum intervallo acorem contrahant, quin lis, num acidum omnibus in morbis peccet, ſub judice etiamnum verſetur.

PETRI KEUCHENII ANNOTATORUM IN N. T. pars prior, quæ eſt in Evangelia & Acta Apoſtolorum.

Amſtelodami excudit Gerardus Borſtius, 1689, in 4.

Conſtat plagulis 28.

PArtis ſecundæ editionem fruſtra hactenus præſtolati, de parte priori aliquid ad Acta noſtra referre, diutius cunctari nolumus. In præfamine ſeptuaginta ſenes, librorum veteris teſtamenti interpretes, ut & Chaldæos paraphraſtas maximis laudibus *Keuchenius* effert, ac in genuinum ſenſum phraſeon novi fœderis tutius penetrari non poſſe arbitratur, quam ſi has cum iſtorum locutionibus conferas, id quod ipſemet hoc in opere, (*Munſteri, Fagii, Druſii, Grotii, Heinſii, Buxtorfii, Cappellorum, Ludovici de Dieu, Lightfooti*, aliorumque ſummorum virorum exemplo incitatus,) præſtare ſtuduit. Quanto ſucceſſu id fecerit, ex locis ſequentibus facile patebit, ubi eum a via commentatoribus pleriſque trita aliquantulum abſcedere animadvertimus.

Matth. II, 6. ex Michæ V, 2. citantur verba: ἐν τοῖς ἡγεμόσιν Ἰούδα, cum in Hebræo באלפי יהודה legatur, quod eſt, in *chiliadibus Jehudæ*, non *in ducibus*, אַלּוּפֵי יְהוּדָה dicendis. Sed cum

cum שבט & *tribum* communiter, & *tribus principem* 2. Sam. VII, 7. coll. 1. Paral. XVII, 6. imo & Gen. XLIX, 10, notet, Keuchenius putat, אלף pari modo *tam chiliadem*, tum *chiliados ducem*, ſignificare, optimeque adeo per ἡγέμονα transferri potuiſſe.

Matth. III, 11. Chriſto tribuitur *baptiſmus Spiritus Sancti & ignis.* Id vulgo per ἓν διὰ δυοῖν exponunt. Johannes autem Baptiſta, ex Petri Keuchenii ſententia, dicere voluit: *Ego vos hactenus promiſcue baptizavi, quotquot ore pœnitentiam veram profeſſi fuiſtis. Neque enim ego καρδιογνώστης ſum, ut hypocritas a veris pœnitentibus ſecernere queam. At veniet Chriſtus, ac vos baptizabit; credentes quidem Spiritu Sancto, incredulos vero igne, quo politia Judaica, imo tota terra Iſraelitica, conflagrabit.* Huc trahit, quod Paulus Hebr. VI, 8. terræ hujus a Romanis vaſtandæ finem futurum eſſe prædicat εἰς καῦσιν πυρός. Conferri etiam jubet *Deut. XXXII, 22.* ut & *Eſai. XXI, 4.* quo poſteriori loco vox βαπτίζειν in ſequiorem partem itidem accipitur.

Dum circa vocem γέενναν *Matth. V, 22.* occupatur, obiter monet, nomen γειώρες apud *Euſebium* l. I. H. E. c. 7. eſſe Chaldaicum גיורא *extraneus*, quod tum in Targum, tum in ſeptuaginta interpretibus *Exod. XII, 19*, loco Hebræi גֵּר, reperire eſt.

Ne quis miretur, Genezareth lacum *maris* nomine *Matthæo c. VIII. v. 26.* cenſeri, Keuchenius obſervat, τοὺς ό minorem longe aquarum congregationem, (aquæ ductum nempe, altare Eliæ ambientem,) θάλασσαν dixiſſe *1. Reg. XVIII. 32.*

Non ab omni veri ſpecie aberrare videtur autori noſtro, ſi quis γυναῖκα χαναναίαν, *Matth. XV, 22.* memoratam, כנעניה i. e. *mercatricem* appellari putet. Sic enim, quod *Prov. XXXI, 24* de muliere ſedula legitur: *cingulum dat* לכנעני *mercatori*, apud LXX transferri: καὶ ἀπέδοτο περιζώματα τοῖς χαναναίοις. Ebræa autem id genus vocabula a ſcriptoribus N. T. quoque Græca quaſi civitate donari, vel exemplo שכר σικέρας Luc. I, 15. patere affatim. Præterea *Marc. VII. 26.* eadem fœmina συροφοίνισσα τῷ γένει vocatur; at Phœniſſas mercaturæ deditas fuiſſe, ut quæ maxime, tralatitium eſt. *Græca* vero eidem Marco audit ob religionem ethnicam. Quod ſi hæc ſententia non arrideat lectori, licebit ei per Keuchenium aliam amplecti, ac opinari, *Chananæam* apud Matthæum non

Digitized by Google

niſi *Chananæorum ſuperſtitionibus imbutam* notare, adeoque a Marco voce ejusdem ſignificati ἑλληνὶς omnium optime explanari.

Στυγνάσας Marci X, 22. mœſtus, vel *frontem nubilam habens*, ob *Matth. XVI. 3.* vulgo redditur. Quum vero hac ratione proxime ſequens vocabulum λυπούμενος pleonaſticum eſſe videatur, monet doctiſſimus autor, *Ezech. XXVII, 35.* & *XXXII, 10.* ſeptuaginta interpretibus eandem vocem συγνάζειν pro *ſtupere*, *attonitum hærere*, adhiberi, quo pacto Evangeliſta dicere voluiſſet: Juvenis, audito hoc verbo, quo Chriſtus bona vendere & pauperibus dare juſſerat, *obſtupuit*, ſteteruntque comæ, vox faucibus hæſit, *triſtisque* tandem abiit.

Ἐπιβαλὼν ἔκλαιε, Marc. XIV. ult. verti debere: *operto capite flevit*, Caſaubonus, Salmaſius, Johannes Vorſtius dudum aſſeverarant, operoſe vero Noſter evincere ſategit.

Lucæ X, 31. 32. Sacerdoti & Levitæ Judaicis *immiſericordia* exprobratur. Heic commode obſervat *Keucbenius*, nomen חסידים *beneficorum* tribui Sacerdotibus ac Levitis *Pſ. CXXXII, 16.* adeoque tanto turpius fuiſſe, quod non nomen & omen ſimul habuerint.

Imperſonalem locutionem τὴν ψυχήν σου ἀπαιτοῦσιν, *Lucæ XII, 20.* ex idiotiſmo Chaldaico ortam eſſe, locis parallelis *Dan. IV, 25. 26. V, 25. VII, 5. 28.* demonſtrat, non ignorans tamen, idem loquendi genus & ſeptuaginta ſenibus frequentari.

Lazari ὄψιν ſudario obnuptam refert Johannes c. XI, 44. Sed non totum *vultum*, verum *frontem* ſolummodo ὄψεως nomine heic venire, tum ex modo ſepeliendi Ægyptiaco, tum ex *Jer. III, 3.* Keuchenius oſtendit.

Τὸν τόπον τὸν ἴδιον Judæ Iſcariotæ *Actor. I, 25.* neque de inferno, neque de ſepulcro, ſed de *domo propria* accipit, in quam proditor ille, deſerto apoſtolatu, abire cogitarit, providentia tamen Dei juſtiſſima efficiente, ut extra domum ſuam ſuſpendio vitam finiret. Sic quando diſcipuli abiiſſe dicuntur *Joh. XX, 10.* πρὸς ἑαυτοὺς, *ad ſe* vel *domum ſuam*, Syrus interpretatur לדוכתהון *ad locum ſuum*. Similiter *1. Macc. XI. 37.* Demetrius milites ſuos exautoraſſe & dimiſiſſe legitur ἕκαστον εἰς τὸν ἴδιον τόπον. Confer *Judic. VII, 7. 8. XIX, 28. 29.* &c.

Κρῆτες *Act. II. 11.* non Cretenſes, ſed *Cheretim*, Philiſtæis vicini,

cini, poſt Lightfootum, *Keuchenio* videntur, qui & Κερήτης nomen *1. Macc. X, 67.* Cheretææ regioni, non *Cretæ* inſulæ, competere autumat.

Paradoxa eſt, quam tradit, etymologia nominis *Barnabæ*. Dicitur quippe *Act. IV, 36.* Βαρνάβας, —— ὅ ἐστι μεθερμηνευόμενον, υἱὸς παρακλήσεως. Scilicet Chaldaice ſcribendum eſſe ait בר נוחא *Bar nucha*. Notat autem בר *filium*, נוחא *quietem*, præſertim eam, quæ παρακλήσει *conſolatione* animo redditur. Hanc ob rem nomen *Noachi* נח Νῶε Philoni ἀνάπαυσιν ſignificare cenſetur; ut alia Viri argumenta ſilentio prætervehamur. Porro ex בר נוחא *Barnucha* fit Βαρνάβας pronuntiatione Græca, quia ו & ב (V. & B.) non multum differunt; unde Salomonis mater *1. Reg. I. 11.* בתשבע *Bathſeba*, aſt 1 *Par. III. 5.* בתשוע *Bathſeva* ſalutatur. Ebræum etiam דויד *David* Græci paſſim efferunt Δαβίδ. Potuit pari modo in בר נוחא *vau* ut *beth* pronuntiari, ח autem litera gutturalis, elidi, (ut fit in נח *Noach* νῶε) & s finale apponi, uti in משיח *Maſchiach* μεσσίας & ישוע *Jeſchuah* Ἰησοῦς.

Ἀλλοφύλων nomine Philiſtæos ſolum ſignaſſe, alios alienigenas ἀλλοτρίους appellaſſe, tantum non ubique deprehenduntur ſeptuaginta interpretes. Hinc centurionem *Cornelium*, Act. X. 28. ἀλλόφυλον itidem dictum, Philiſtæum gente fuiſſe, ſtatuit Noſter.

Quod *Act. XXIII, 5.* dicitur: Ἔφη τε ὁ Παῦλος· οὐκ ᾔδειν, ἀδελφοί, ὅτι ἐστιν ἀρχιερεύς, hocce ſcholio explicat: *Si eo hic reſpexiſſe Paulum putemus, ut ſignificaret, ſe hoc tempore præter Chriſtum, nullum, nedum hunc Ananiam, pontificem agnoſcere, cum hiſce conferri poſſet, quod* 2. Macc. IV. 13. *de Jaſone, qui malis artibus Pontificiam dignitatem ſibi acquiſiverat ſummique ſacerdotis nomine indignus erat, legitur*: Atque hoc modo invaleſcebat Helleniſmus & progreſſus morum alienigenarum διὰ τὴν τοῦ ἀσεβοῦς καὶ οὐκ ἀρχιερέως Ἰάσωνος ὑπερβάλλουσαν ἀναγνείαν. *Si vero Jaſon hic propter ſummam impietatem οὐκ ἀρχιερεὺς merito dictus fuit, quanto magis nequiſſimus hic Ananias, & quidem poſt Chriſti aſcenſum in cælum, a Paulo οὐκ ἀρχιερεὺς vocari & haberi potuit.*

HISTOIRE DE LA RELIGION DES EGLIſes Reformées, &c. i. e.

J. Baſnagii Hiſtoriæ de Religione Reformatarum Eccleſiarum, J. B. Boſſueti, Epiſcopi Meldenſis libris de Variationibus Eccleſiarum Proteſtantium oppoſitæ Tomus II.

Roterodami, apud A. Acher, 1690, in 8. Plag. 39.

Cap. I. UT primus hujus operis tomus duas partes, primam & ſecundam, de quibus menſe Auguſto p. 392. & Septembri p. 472. diximus: ita alter hic partes itidem duas, tertiam & quartam, complectitur. Et *parte* quidem *tertia* Autor, ut nuper jam innuimus, capita doctrinæ reformatæ præcipua ab objectionibus variationum aliisque defendit. Diſſerit ſub initium de Symbolo, quod dicitur, Apoſtolico, aliisque Latinæ & Græcæ Eccleſiæ, & de ætate atque mutatione eorum quædam haud vulgaria obſervat, ex quibus Epiſcopi *Boſſueti* variationes objectantis, importunitatem haud minorem eſſe arguit, quam Græcorum, exitioſas turbas, ut notum eſt, ob voculam *filioque* & alia ejusmodi excitantium. Speciatim confesſiones Proteſtantium in articulo de S. cœna, etſi formulis varient, in negando tamen transſubſtantiationis dogmate conſentire aſſeverat, notatque aliqua de diſſenſu inter Reformatos & Lutheranos, itemque de colloquio Poſſiaceno. Progreditur ad conſideratione͂ Auguſtanæ confeſſionis, eamquę, etſi ab hominibus in Papatu educatis, & inter turbas conſcripta ſit, longe perfectius opus eſſe judicat, quam eo tempore expectari potuerit. Negat etiam, quatuor illius editionibus variatum aliquid eſſe, quod ad dogmatum ſubſtantiam pertineat; licet verba in poſterioribus ſubſtituta ſint, quæ clarius errorem transſubſtantiationis rejiciant. Miratur Boſſuetum reperiſſe, quod neq; Legatus Pontificius, nec tot Romanarum partium Præſules tempore exhibitæ confeſſionis Auguſtanæ animadverterint, nempe quod nullum fere diſſenſum a dogmatibus Romanæ Eccleſiæ contineat. Inprimis ſtatuit, Lutherum in articulo de *Libero Arbitrio* directe contradixiſſe Romanis, neque unquam ſententiam variaſſe, omnesque Boſſueti objectiones tum in hoc capite, tum in doctrina de cauſa peccati, cavillatorias eſſe. Semipelagianiſmum etiam in Concilii Tridentini formulis, callide licet & ad incruſtandos veteres errores compo-

ſitis

ſitis demonſtrat; evidentiſſimum vero Lutheri tempore fuiſſe, ex Cajetani & Eccii ſcriptis probatum it; idemq; ex Scoto & aliis Scholaſticis deducit, quos totæ monachorũ familiæ ſecutæ fuerint. Juſtam & veram etiam Lutheri querelam fuiſſe ſtatuit de dogmate illius ſeculi, quod ſacramenta conferant gratiam ex opere operato, ſive, ut Thomas Aquinas loquitur, quod phyſice operentur; neque concedit errorem hunc in Concilio Tridentino correctum eſſe. Pari modo de voce *meriti*, de impletione legis, de confeſſione, de Miſſa & de oblationibus commentatur. Ubi de Sanctorum cultu diſputat, diſtinctionem inter mediatores redemtionis & interceſſionis explodit, & priori quoque ſenſu Sanctos in Romana Eccleſia invocari ſtatuit. Gravem itaque diſſenſum Proteſtantium ſive autorum Auguſtanæ Confeſſionis a Romanis fuiſſe, & ab his minime diſſimulatum eſſe demonſtrat; neque enim tunc fucos, quos Boſſuetus in magnum Gallorum Reformatorum damnum in libro ſuo *expoſitorio* adhibuerit, cognitos fuiſſe. Poſt hæc ad dogmata ipſa accedit, & cap. II.
prolixe diſputat de Libero arbitrio & gratia, ac de his articulis Lutherum orthodoxe docuiſſe affirmat, quamvis quædam duriuſcule ab eo expreſſa eſſe cenſeat, a Melanchthone temperata. Notat hac occaſione ignobilem Tridentini Concilii rigorem, quo verba de neceſſitate peccandi ex priore editione Locorum communium Melanchthonis excerpta, licet in ſecunda correcta, nihilominus damnaverit. Innuit tamen, autores *Formulæ concordiæ* in articulo de prædeſtinatione a Lutheri ſententia diſceſſiſſe, quod noſtrates concedere non ſolent. Præfert Calvini dogma ut purum, & ad Arminii usque tempus a Reformatis retentum, & contra illum in Synodo Dordracena aſſertum; unde ſatis patere exiſtimat, quam fruſtra variatio in hoc capite a Boſſueto Reformatis imputetur. Differentias autem opinionum, quæ inter Proteſtantes cap. III.
ſuperſunt, ad fidei ſubſtantiam pertinere negat. Præſupponit, Lutherum pariter ac Calvinum agnoviſſe, quod gratiæ divinæ reſiſti non poſſit, & ita ſentire omnibus neceſſe eſſe dicit, qui Auguſtino contradicere & Semipelagianiſmo accedere nolint. Boſſuetum ipſum artificioſe celare putat, quæ in hoc articulo ſtatuat, & ab eodem injuſte accuſari Melanchthonem, diſſenſum Patrum in his quæſtionibus annotantem, cum idem Janſeniſtæ & ex Jeſuitis quidam, nominatim *Petavius*, ſentiant. Adſcribit loca Auguſtini, in quibus æque §. 2.
ac

ac Lutherus agnoſcat, perditum eſſe liberum arbitrium in ſpiritualibus, quia in Scripturis mortuum vocatur; unde conſequens ſit, non niſi paſſive ſe habere in negotio converſionis, idque a Romanæ Ec-
§. 3. cleſiæ inſignibus Doctoribus, quos nominat, concedi monſtrat. Per calumniam affingi ait *Luthero*, *Calvino*, & *Bezæ*, quod omnia abſoluta neceſſitate fieri ſtatuerint; improbe etiam diſſimulari, quod iidem apertiſſime docuerint, Deum nullatenus criminum cauſam eſſe. Cum *D. Jurio* itaque ſtatuit, Reformatos hodie idem docere, quod
§. 4. 5. 6. Lutherus & Calvinus docuerint. Sequuntur haud pauca, quibus paralogiſmi Boſſueti indicantur, in relatione de Arminio ejusq; ſectatoribus & de Synodo Dordracena. Dein Tridentina placita & rigorem cenſurarum in quæſtionibus, quarum multæ absque diſpendio ſalutis ignorari poſſint a populo, impugnat Autor, & Dordracenos
§. 7. laudat, quod quasdam in medio aut intactas reliquerint. Refutat, quæ Genevenſibus in decreto contra doctrinam de gratia univerſali Boſſuetus objecit, & e contrario negat, *Arminium* aut *Cameronem*, ut Lutheranis placerent, univerſalem docuiſſe, cum idem omnes Reformationis autores & ipſe Calvinus, ut probatum a ſe eſſe putat, fecerint. Importuniores tamen Particulariſmi, quem vocant, defenſores non minus ferri debere arbitratur, quam qui in Romana Eccleſia ſingulares foveant opiniones. Addit alia de vehementibus & indecoris rixis inter Patres Concilii Tridentini, & de ſævitia, quæ nunc in Gallia contra eos, qui autoritatem Pontificis aſſerunt, exercetur. Copioſe inde tractatur articulus *de juſtificatione* cum anne-
cap. IV. xis, & taxatur Boſſuetus, quod mutato inſtituto controverſias, quas in libro Expoſitionum minuere laboraverit, jam multiplicet, & æternam litis materiam exhibeat. Autor contrahit quæſtiones, & (1) pro certo habet, Romanam Eccleſiam ante Lutherum in hoc articulo erraſſe. (2) Egregie adſtruit doctrinam de juſtitia Chriſti imputata, & atrocem cenſuram Boſſueti fortiter repellit. (3) Juſtificationem, quatenus pro remiſſione peccatorum ſumitur, ſoli fidei vindicat, aliter ſentiens, ſi ſanctificatio ſub ea comprehendatur. (4) Luthero affingi dicit, quod bonorum operum neceſſitatem negaverit; contrarium ex ejus & Melanchthonis atque Buceri, aliorumq; dictis demonſtrat, in quibus tamen notari ſimul debuiſſet, quod noſtrates neceſſitatem quidem agnoſcant, ſed formulam, quod *ad ſalutem*

Digitized by Google

lutem i.e. ad juſtificationem ipſam neceſſaria ſint, averſentur; recte vero obſervat, *Amsdorfii* phraſin, quod pernicioſa ſint ad ſalutem (licet iſte loquendi modus de fiducia operum, quæ merito improbatur, explicatus fuerit) a Lutheranis dudum rejectam eſſe. Taxat aliam Boſſueti malignitatem, quod ſingularium Doctorum, v. g. *Oſiandri* ſententiam toti Eccleſiæ Proteſtantium tribuat, & quod minutias ſectetur, v. g. in exagitanda *Piſcatoris* Herbornenſis opinione. Malam ejus fidem culpat in allegandis illis Lutheri dogmatibus, quæ ab initio reformationis nondum expurgaverat, & quod paradoxa ejus, quibus more iſtius ſeculi ad excitanda diſputantium ingenia in ſcholis utebatur, captet. De perſeverantia ſanctorum, adverſus exclamationes adverſarii, ex dogmate de abſoluto decreto & placitis Dordracenis diſputat, & in his concedi dicit, quod electi, cum peccant, Deum graviter offendant, Spiritum Sanctum contriſtent, ſenſum gratiæ perdant, conſcientiam lethaliter vulnerent, & in ſtatu damnationis ſe eſſe ſentiant: interim negat, eosdem finaliter & funditus fidem amittere; ſupereſſe enim ſemina fidei, & fieri ut a Deo ad fidem revocentur, atque in poſſeſſionem regni, ad quod electi ſunt, & ad quod jus retinent, tandem perducantur; id quod argumentis & exemplis prolixe confirmare nititur. In dogmate de certitudine ſalutis graviter impugnat adverſarium, qui id pro pernicioſo diffamaverit. Provocat ad *Ambroſii Catharini* dicta in Concilio Tridentino & ejusdem libros, & ad *Paulum Venetum* atque *Pallavicinum*. Negat etiam, hanc controverſiam inter capitales ſchiſmatis cauſas referendam eſſe, & cum *D. Jurio* notat, certitudinem illam non eandem eſſe, quæ eſt in articulis fidei, nullam dubitationem admittentibus; certitudinem tamen agnoſci oportere ab omnibus oſtendit, qui in articulo de prædeſtinatione cum Reformatis adverſus *Arminianos* ſentiant. Dictum Pauli Phil. II, 12. ad humilitatem fidelibus commendandam prodeſſe docet, certitudini ipſi non officeare, licet metum & terrores inferni etiam fideles (quod Lutherum agnoviſſe §. 2. monuerat) experiantur, idque maxime fiat, quando in peccatum mortale incidunt. De infantibus ex principiis *Reformatorum* ita ſentit, ut dicat, etiam ex illis non niſi prædeſtinatos ſalvari; omnes tamen, qui ex baptizatis parentibus naſcuntur, ex fœdere jus ad remiſſionem peccatorũ conſequi, ſed ex eo ſtatu per peccata ex-

§. 2. (beside "Malam ejus fidem culpat…")

§. 3. (beside "De perſeverantia ſanctorum…")

§. 4. (beside "In dogmate de certitudine…")

§. 5. (beside "De infantibus…")

cidere poſſe; ſemel autem juſtificatos de electione & ſalute certos eſſe. Reliquam libri partem totam fere occupat fœcunda litium
cap. V. materia, articulus de Euchariſtia. Diſputat Autor, & argumentis
§. 1. non quidem novis, ſed facunde & acute applicatis, tum adverſus transſubſtantiationem, tum adverſus præſentiam realem, & pro ſenſu figurato. Lutherum dicit biennio fuiſſe *ubiquitarium*, ſed ſententiam paulo ante mortem mutare voluiſſe; id quod ex relatione quadam Melanchthonis dudum aſſerere voluerunt figurati ſenſus patroni, repugnantibus Lutheranis, qui de conſtantia Lutheri in dogmate de præſentia reali, & de communicatione omnipræſentiæ divinæ cum natura Chriſti humana minime dubitant. Interim agnoſcit Autor, ex aſſertione præſentiæ realis naturaliter argumentandum eſſe ad omnipræſentiam Chriſti, ſecundum utramque naturam, & eandem neceſſario etiam ex transſubſtantiationis dogmate ſequi. Si enim Chriſtus in tot altaribus, in quibus panes ſive hoſtiæ conſecrantur, ſubſtantialiter præſens ſit, & eatenus corporis humani terminos naturales egrediatur, nil vetare dicit, quo minus etiam in longe pluribus locis & denique in omnibus & ubiq; præſens eſſe credatur.
§. 2. Refellit poſtea objectam Reformatis variationem, quam negat inde ſequi, quod a phraſi Calvini, qua ſubſtantiam Chriſti in S. Cœna recipi ſcripſit, receſſerint, & Synodo *Rupellana* & *Nemauſenſi* vocabulum ſubſtantiæ ex confeſſionum formulis, quia in abuſum verti poſſe exiſtimabant, ſuſtulerint. Progreditur dein ad
cap. VI. amplam diſſertationem de colloquio *Poſſiaceno*. Refutat adverſarium, jus convocandi Synodos Regibus & Principibus abjudicantem. Opponit ei inter alia exemplum congregationis Cleri Gallicani A. 1682 a Rege indictæ, cujus magna pars fuerit *Boſſuetus*, in qua infallibilitas Papæ condemnata ſit. *Bezæ* dictum in colloquio, quod & tunc offendit adverſarios, & a Boſſueto vehementer exagitatur, nempe quod Chriſtus tam remotus ſit a S. Cœna, quam cœlum eſt a terra. defendit, cum negari non poſſit, & a Patribus Eccleſiæ dudum aſſertum ſit, Chriſtum ſecundum humanam naturam in cœlis eſſe & manere, omnipræſentem licet quoad divinam. Improbat e contrario vehementer tum transſubſtantiationis, tum impanationis, quod vocat, dogma, ejusque ſequelas; & laudat Bezam, quod Auguſtanæ confeſſionis articulo X. (proponente id Cardinale Lotharin-

tharingo,) ſubſcribere noluerit, & Reformatos in univerſum, quod Lutheri doctrinam in hoc articulo rejecerint, & a cœtibus Lutheranis ſeſe ſeparaverint. Succeſſum denique haud ſpernendum Reformatæ religioni ex colloquio illo natum eſſe judicat, non obſtante defectione *Antonii Borbonii*, Navarræ Regis, de qua Boſſuetus gloriatur, ſed quam Baſnagius malis artibus procuratam dicit. Sequitur ſummaria relatio de diſputationibus & de tractatibus concordiæ inter Lutheranos & Zuinglianos, ab A. 1529. ad noſtra usque tempora, in qua, quoad acta ſuperioris ſeculi, hiſtoriam ab Hoſpiniano editam ſequitur. Reſpondet etiam ad ea, quæ Boſſuetus de tentata Reformatorum Gallorum cum Lutheranis conventione commentatus eſt. Quamvis vero Autor haud parcat Lutheranis, quoties de præſentia reali diſputat, magnam tamen inter eorum & Pontificiorum ſententias differentiam agnoſcit & explicat, & acceptos fuiſſe decreto *Carentonenſi* A. 1631. in communionem Reformatorum illos tantum ex Lutheranis tradit, qui quidem dicerent, corpus Chriſti in Cœna præſens eſſe, ſed modum præſentiæ non explicarent: monet etiam, erroribus quibusdam, licet craſſis, fundamentum tamen fidei non deſtrui; nec transſubſtantiationis dogma æque pernicioſum eſſe, ac Socinianorum, divinitatem Chriſti negantium; nec Lutheranorum ſententiam (quam carnalem vocat) impedire media ſalutis, modo ab adoratione panis abſtineatur, quam a Lutheranis majori cum periculo idololatriæ fieri putat, quia panis ſubſtantiã remanere ſtatuant, quam a Pontificiis, qui Chriſtum ſolum adeſſe credant, ſublata panis ſubſtantia. Addit quædam de actis *Rintelenſibus* & *Durai*, item de ſcriptis *Sculteti*, & ſuadet concordiam inter Proteſtantes, iterumq; allegat Lutheri ad eam propenſionem, de qua jam bis dixerat. Poſtulare non dicit Reformatos a Lutheranis, ut dogmati de præſentia reali renuncient; toleraturos illos potius ſententiam illã eſſe, & confeſſionem edituros, in qua eam non damnent. Paulo ante etiam de gratia univerſali & particulari ita diſſeruerat, ut ſcripſerit, articulum illum fundamentum ſeparationis eſſe non poſſe, cum inter Reformatos plurimi hypotheſin de gratia particulari non admittant, & Lipſiæ A. 1631. etiam a Lutheranis (ut refert) dogma illudpro indifferenti habitũ fuerit. Ultimo hujus Libri III. capite de Eccleſia tractat, & controverſiam in compendium redigit, oſtendens quatenus Eccleſia ſit viſibi-

cap. VII. VIII.

cap. IX.

lis & inviſibilis, & quod aliquando illuſtris & florens, aliquando obſcura & preſſa ſit, perpetua tamen. Adverſarii objectionibus exacte reſpondet, ejusque ſyſtema de Eccleſia multorum errorum accuſat. In epilogo nervoſe demonſtrat, nihil egiſſe Boſſuetum in vaſto illo Variationum opere. Inter quinque enim capita, ait, quæ propoſuit, duo pertinent ad Eccleſias *Auguſtanæ Confeſſionis*. Hæ variaſſe dicuntur doctrinam *primo*, quod in poſterioribus editionibus A. C. quædam verba inſeruerint, quibus transſubſtantiationis dogma clarius rejicerent. *Secundo*, quod a Lutheri doctrina de libero arbitrio & gratia receſſerint. Tria Reformatis, neque tamen omnibus exprobrantur: (1) quod ex confeſſione ſua in articulo de Cœna expunxerint vocabulum *ſubſtantiæ*, & ſic ideam præſentiæ realis, quam Calvinus in mente retinuiſſe dicitur a Boſſueto, extinxerint. (2) Quod quidam tolerandum eſſe duxerint dogma Lutheranorum de gratia. (3) Quod cum Reformatores olim conceſſerint, Eccleſiam eſſe viſibilem, aliqui nunc dicant, eſſe inviſibilem. Hæc eſſe ſcribit magna illa variationis crimina, quæ Proteſtantibus imputet Boſſuetus, & triumphum tanquam de devictis agat. Sperat autem, ſe ſuccincta reſponſione argumentis eſſentialibus ſatisfeciſſe, omiſſis licet diſſertationibus & digreſſionibus prolixis & inutilibus.

Jam *Parte quarta* bellum veluti in hoſticum transfert Autor, magnoque ſtudio variationes inſignes & errores graviſſimos Romanæ Eccleſiæ objicit. Provocat ad ſponſionem Boſſueti, qui deletum
cap. I. §. 1. rum ſe opus ſuum de Variatione receperit, ſi ejusdem vitii Romana Eccleſia convinci poſſit. Hoc autem ſe præſtiturum eſſe confidit, & ſimul novitatem dogmatum Eccleſiæ Romanæ, eorumque originem & progreſſum, demonſtraturum. Principia eorum quinque examinat, & quomodo in illis vacillent, oſtendit: *Scripturam*, quia eam pro inſufficienti habeant; *Traditionem*, quia explicationem ejus ab Eccleſia deſiderent; *Pontificis infallibilitatem*, quia hæc a magna ipſorum parte in dubium vocetur; *Concilia*, quia itidem magna pars infallibilitatem horum neget; *Eccleſiam univerſalem*, quia hæc
§. 2. neque congregari poſſit, neque pronunciare. Ad ſingula progrediens deducit, quomodo *Scripturæ* autoritatem, a primitiva Eccleſia & Patribus agnitam & laudatam, Pontifices & Doctores extenuaverint, & decretis ſuis ſubjecerint, imo Ariſtoteli poſtpoſuerint. Improbat

Digitized by Google

probat audaciam Concilii Florentini aſſumentis in canonem libros § 3.
apocryphos, quam Tridentina Synodus, contra exemplum veteris
Eccleſiæ & Conciliorum decreta, imitata fuerit. De lectione Scri- §. 4.
pturæ, laicis indulgenda aut prohibenda, monet inter Gallos Janſeniſtas & Jeſuitas hodie diſceptari, illis ad morem Eccleſiæ octo priorum ſeculorum, his ad recentiora decreta provocantibus, ita tamen ut hi autoritate fere prævaleant. Subjungit haud levia de approbatione verſionis vulgatæ, novisque de ea diſputationibus, & de liturgia in linguis popularibus a Pontificibus indulta aut prohibita, manifeſta in omnibus iſtis contradictione ſeu variatione. Refellit denique & acriter taxat, quæ Boſſuetus pro excuſatione prohibitionis attulerat, ſcribens, lectionem Scripturæ ideo non permitti, quia torqueri & violenter tractari poſſit, ideoque impoſſibile ſit, ut abſque accedente *traditione* intelligatur. De hac, quam ſecun- cap. II.
di principii loco poſuerat, ita diſſerit Autor, ut ejus autoritatem primum omnium in Concilio Niceno II, ſub anathematis pœna receptam eſſe dicat, nempe ut eſſet, quo cultus imaginum adſtrueretur. Succesſiſſe *Nicolai* I. decretum aliaque, & denique placita Tridentina, per quæ, poſt multas quidem diſputationes, traditio æquiparata ſit Scripturæ, aliter antehac ſentientibus Doctoribus egregiis, & inter illos *Thoma*, qui apodictica ex ſola Scriptura, ex traditione vero nonniſi probabilia peti poſſe ſtatuit. Tranſit inde ad caput de *in- cap. III.
fallibilitate Eccleſia*, & verum fatetur, quod Eccleſia, quoniam perpetua eſſe, & ſemper in ea ſalvari homines debeant, non poſſit in lethales errores incidere. Docet vero, ante reformationem, infallibilitatem neq; in Conciliis, neq; in Papis, neque in Eccleſia Romana, ſed tantum in Eccleſia univerſali quæſitam fuiſſe: hinc ſex concluſiones notabiles deducit, quæ d. l. videri poſſunt. Disquirit inde de characteribus veri & infallibilis *Concilii*, & quia tales proditi in Sacris literis non ſint, negat etiam infallibilitatẽ in iis deprehendi, aut quod unquam hoc jus infallibilitatis contra hæreticos allegatum ſit. Contrarium ſenſiſſe Epiſcopos, inde colligit, quia toties ad alia Concilia cauſæ cognitio dilata eſt; nec Patrum dictis, quibus Conciliorum decreta laudare ſolent, aliud evinci monet, quam quod ad conformitatem eorum cum Sacra Scriptura, non vero ad autorita-

tem infallibilem reſpexerint. Idem oſtendit ex tot oppoſitionibus, quæ adverſus Conciliorum decreta factæ ſunt, quarum exempla affert, variasque de infallibilitate ſententias veterum Doctorum recenſet, utque exorto Luthero demum aſylum hoc infallibilitatis apertum fuerit. Multa addit de artibus Pontificiis in Concilii Tridentini convocatione & celebratione adhibitis, & vitiis in eo deprehenſis, in ſpecie etiam de variationibus doctrinæ, de æquivocationibus deciſionum, aliaque ex Pallavicini hiſtoria excerpta, ex quibus argumentatur, (1) diviſiones, quæ Proteſtantibus objiciuntur, pro nullis computandas eſſe, ſi comparentur cum iis, quæ in concilio illo fuerint. Nam, ut infra Cap. VIII. in principio monet, ex variationibus a Boſſueto objectis, ſi maxime probentur, id tantum ſequi, quod Reformatores veritatem non protinus ab initio, ſed per gradus (quod hominibus eam quærentibus frequenter accidit) cognoverint. Romanas vero ad graviſſimos articulos pertinere, in quibus ſine crimine & ſacrilegio nihil mutari poſſit. (2) Infallibilitatem Conciliorum non niſi ſeculo XIV. aperte jactari cœpiſſe. (3) Tridentinos Patres auſos non eſſe, ut de hac controverſia deciderent. *Infallibilitatem*

Cap. V. *Pontificum* poſtea examinans, rejicit *Lucii* Papæ epiſtolas, ut ſuppoſititias, & loca non magis authentica ex *Cyrillo*, quæ *Thomas* allegavit. In Pontificum hiſtoria lapſus multos, ſed infallibilitatis probationes nullas invenire ſe dicit, donec ſeculo nono jactantius loqui cœperint Pontifices. Gregorium VII. vero in Concilio decerni feciſſe, quod nec erraverit unquam Eccleſia Romana, nec erratura ſit; idem diſerte docuiſſe *Bernardum* (an. 1130.) In compilatione Decretorum ſimilia teſtimonia reperiri, ſed nec pauca in contrarium. *Thomam Aquinatem* (A. 1265.) pondus ſententiæ attuliſſe, Scholaſticorum turba eum per duo ſecula univerſaliter fere ſequente; labefactatam vero eam eſſe temeritate Joh. XXII. (A. 1313.) qui non ſolum trium prædeceſſorum decreta in cauſa *Minoritarum* abrogaverit, ſed & confeſſus ſit, errata ab uno Papa vel concilio, ab alio corrigi poſſe; & Gregorium XI (A. 1370.) in teſtamento, haud ita pridem a *Luca Dacherio* producto, deprecatum eſſe, ſi quid in fide Catholica erraſſet. Invaleſcentem nihilominus de infallibilitate opinionem, ſeculo ſequenti magnum incurriſſe naufragium in Concilio Conſtantienſi, cum Epiſcopi, ſchiſmatis diuturni inter Pontifices pertæſi, jus Concilii ſuperius

Digitized by Google

rius adverſus eos tenuerint. Martini V. ſecretam contradictionem (ſi vere facta ſit,) perfidiæ ejus pariter & variationis inſigne argumentum eſſe notat. Subjungitur hiſtoria Concilii Baſileenſis, utpote variationis multiplicis exemplum, eo tamen eventu, ut infallibilitas Papæ magnum paſſa ſit detrimentum. Allegatur Academiæ Viennenſis in Auſtria proteſtatio, qua manifeſtum *divinæ majeſtatis contemtum & idololatriam* vocat, *ſi quis in materia fidei a Concilio ad Papam*, i. e. *a Deo præſide Conciliorum ad hominem appellet*. Stabilitam tamen eſſe docet Autor Pontificum prætenſionem in Concilio Lateranenſi, ſub Leone X (in quo ei ſummæ poteſtatis teſtimonia, imo divina elogia tributa ſint,) maxime vero poſt cœptam Lutheri adverſus indulgentias diſputationem, quas niſi aſſerta Pontificum infallibilitate defendi poſſe deſperaverint. Oſtendit inde Autor, quid in Synodo Tridentina contra infallibilitatem Papæ pro concilii autoritate actum ſit, Galliæ Regis nomine, & ut Concilium Pontificis partes callide fovens, ad deciſionem tamen, utut ſumme neceſſariam, non ſit progreſſum. Secuta inde inter Janſeniſtas & Jeſuitas de infallibilitate certamina paucis referens, Boſſuetum variationis in quæſtione de infallibilitate haud immunem habet, & prædicatam ab eo conſtantiam Eccleſiæ Romanæ diſſidii illius, inter Gallos adhuc durantis, exemplo vehementer labefieri monet. Interim opinionem pro infallibilitate Papæ magis communem, & ex Romanæ Theologiæ principiis probabiliorem habet. Variationem tamen manifeſtam inde colligit; nec Boſſueto concedit, quod parvi momenti ſit hæc quæſtio, quam Romanarum partiũ inſignes doctores de fide eſſe ſtatuant, *adeo ut impoſſibile ſit fide divina aliquid credere, niſi fide divina credatur, Papam eſſe infallibilem.*

Jam ad aliam recriminationis partem ſeſe convertit Autor, & cum Boſſuetus ex vitiis, quæ in perſonis Reformantium inveniſſe ſe putet, ad dogmatum condemnationem confidenter argumentetur, latiſſimum ſibi campum patere oſtendit, idem ex flagitiis immanibus tot Pontificum concludendi, & prodigioſam credulitatem inſectandi, quod talibus monſtris hominum infallibilitas, (quæ donum ſit Spiritus Sancti) ordinarie tribuatur; cum non niſi duo exempla Baleami & Cajaphæ extent, quod Deus malis hominibus gratiam prophetiæ contulerit. At hic unum ſolum caput tractat, affectationem ſupremi juris, quod Pontifices in Imperatores & Reges ſenſim Cap. VI.

ſibi

Concilio nihil mutatum, ſed morem multorum ſeculorum confirmatum eſſe; quanquam, ſi id verum eſſet, error ab antiquitate non acciperet patrocinium. Affert multa de Concilii Tridentini hæſitationibus, & de Pontificis trepidatione circa hunc articulum, ex *Paulo Veneto* & *Pallavicino*, item *Dudithii* epiſtola, & ſuam addit epicriſin. De aqua, vino in conſecratione admixta, & de quæſtione, an aqua illa in ſanguinem Chriſti convertatur, ex autoribus veteribus commentatur, multasque diſſenſiones & variationes inde demonſtrat. Variationem etiam circa communionem infantum in Concilio Tridentino obſervat, quod anathemate perculerit veterem Eccleſiam, & ſic conſenſum cum illa temere ruperit: illam enim infantibus Sacramentum præbuiſſe non libero ritu, ut Tridentinos excuſationem quærentes finxiſſe dicit Autor, ſed ex neceſſitate, argumentantem nempe ex dicto Chriſti *Joh. VI. 53.* Sequuntur quædam de mutatione Liturgiarum, præviis quidem, quæ narrantur, miraculis & explorationibus valde paradoxis, item de Miſſarum mutatione, & ſpeciatim de illis, quas *ſiccas* vocabant, ſine pane & vino aut conſecratione, ſolum geſtu & mimo ſacerdotis repræſentatis. Illa devotione uſum frequenter eſſe notat in itinere *Ludovicum Sanctum*, & quamvis abuſus eſſet manifeſtus, correctum tamen non eſſe a Tridentinis; poſtea vero in deſuetudinem veniſſe, excepto die paſſionis dominicæ, quo adhuc exerceatur, ut & aliquando in navibus, cum fluctu jactantur. Monet, quam horrenda ſequantur ex opinione de intentione Sacerdotis; ea enim deficiente conſecrationem nullam eſſe, & merum

Cap. XI. panem adorari. Ultimo libri hujus capite de imaginum cultu diſſeritur, & Boſſueti diffidentia notatur, quod gravitatē conſtantiæ, quam in Eccleſia Romana mirifice laudet, demonſtrare in hoc articulo non fuerit auſus. Ut autem variationem demonſtret Autor, (1) pro certo habet, & confitentem citat *Cardinalem Perronium* (rejectis tamen frivolis ejus excuſationibus) quod Apoſtolica Eccleſia Sanctos non invocaverit. (2) Quod ſeculo tertio, teſte Origene, dubitatum adhuc fuerit, an animæ in cœlo pro nobis intercederent. (3) Quod pro ſanctis ipſis, & nominatim pro S. Leone Pontifice oratum fuerit; id quod ab Innocentio III mutatum aperte legitur *c. VI. § fin. X. de celeb. Miſſ.* ubi Gloſſa mutationem notat. (4) Quod directæ preces ad Sanctos olim fieri non conſueverint, ſed tales ſaltem, ut Deus illorum interceſſiones exaudiret. (5) Quod *canonizatio*, quam vocant, ex paganiſmo aſſumta fuerit, & ſeculo qui-

lo qui-

Digitized by Google

lo quidem nono, initio facto a conſecratione *Suiberti*, a Leone III peracta. Succeſſit etiam poſtea Alexandri III decretum c. x. *de reliq. & ven. ſanct.* quo invocatio defunctorum, etſi miracula fecerint, prohibetur, niſi accedat autoritas Eccleſiæ Romanæ. (6) Quod intolerandæ ſuperſtitiones in cultu illo committantur; ubi ſpeciatim de *Ignatii Loyolæ* canonizatione cenſuram *Sorbonicam* allegat, & Boſſueti emollitiones rejicit, taxatque Tridentinos, quod remedium huic malo non quæſiverint. (7) Addit quædam de duliæ & hyperduliæ commento, & plura de purgatorio. Ad finem properans, nullum quidem articulum Eccleſiæ Romanæ absque variatione eſſe ſtatuit, neque exhauriri materiam hanc poſſe; ſubjungit tamen quædam de tolerantia Eccleſiæ Romanæ, quæ, utcunque juris ſui tenax, & vi atque ſanguine id defendere ſolita, nihilominus, quoties expedit, ferre poſſit hæreticos. Exempla allegat *Caroli M.* cui impune fuit, quod imaginum cultum, tam ſevere ſtabilitum, publicis decretis pro deteſtabili habuerit. Totas provincias fuiſſe dicit, in quibus conjugia ſacerdotum, utut prohibita, non fuerint tamen impedita. Calicis uſum *Conſtantienſi* Concilio vetitum, Bohemis indultum fuiſſe. Tentatas conciliationes tempore Lutheri plurimas, cum diſpendio articulorum Romanæ religionis. Illuſtriſſimum exemplum eſſe exiſtimat, unionem cum Græcis in Concilio Florentino, malis, ut explicat, artibus factam; ex quinquaginta enim & quatuor hæreſibus, quas Græcis imputabant Romani, non niſi tres aut quatuor condemnatas, & concordiam & unionem nihilominus initam eſſe oſtendit, omiſſis cæteris: ſufficiebat nempe, ut ait, agnitio autoritatis Pontificiæ, & purgatorii ſtabilimentum. Deniq; ſummam ſui Operis exhibet, defectusque & errores Romanæ Eccleſiæ in compendio enumerat; Proteſtantium vero religionem commendat, quod fundamenta fidei ex ſola Scriptura petat, & dogmata atque ritus cum Apoſtolicis conformes habeat. Unde concludit, & veram eſſe religionem, & juſtam fuiſſe a Romana ſeparationem.

JOH. SCARLETI, ANGLO-BRITANNI EPIſtola ad----, exponens dubia quædam, circa inventum Dn. Papini, publicatum in Actis Erud. Anni 1689. Menſ. Septembr. pag. 485. ſeqq. enata, & quomodo iis mederi liceat.

Ex Anglico in Latinum tranſlata.

Cum

Cum nuper, curioſitate ductus, qua ex naturæ meæ genio feror ad pernoſcenda Philoſophorum hujus ævi experimentalium inventa, pervolverem Acta Eruditorum a vobis publicata, inter alia occurrerunt excerpta ex Literis *Domini Papini de Inſtrumentis ad flammam ſub aqua conſervandam*, communicata *anni 1689 menſ. Sept. pag. 485:* in cujus paragraphi exordio laudatus Autor opinatur, hanc ſuam inventionem Piſcatoribus longe magis proficuam eſſe poſſe *noctiluca Aerea* Illuſtriſſimi Domini *Boylii*, aut quocunque alio Phoſphoro, hactenus, quod ſciam, excogitato. Allexit me, fateor, hæc ipſa verborum conceptio ad perlegendam ulterius hanc datam ab eo deſcriptionem iſtius inſtrumenti ſive Laternæ: verum cum eam imperfectam reperirem, talemque quæ neutiquam ſatis mihi faceret, (uti quidem valdopere exoptaram, dum id mea ipſius intereſt, utpote quem non exigui momenti piſcatio tangit) ſequentem in modum hac ſuper re mecum ratiocinari cœpi: Si ita eſt, jamque per experientiam conſtat, (uti quidem Dn. Papinus nixus autoritate illuſtris Boylii aliorumq; aſſerit,) quod omnis generis piſces agminatim confluunt nocturno tempore adnatantque ad candelæ lumen, tum lumen hoc accenſum in laterna ſervabitur aut ſuper aut vero infra aquas. At ſi hoc fieri debeat ſuper aquæ ſuperficie, tunc parum opus fuerit eum in finem hac inventione: dum utique longe facilius minusque ſumtuoſum eſt, lumen in laterna alere ſupra, quam infra aquam: niſi forte ſupponamus, candelæ lumen aquis imminens non profunde ſatis in eas penetrare, quo piſces in fundo gurgitis altioris verſantes illud videre queant: unde conſequeretur, Obſervationem hanc, forte ob alios quosdam fines, non indignam fore Philoſopho quodam experimentali, ut nempe inquiratur, quam profunde (perpendiculariter) ut & quam longe (in peripheria) lumen candelæ, lampadis aut facis penetrare intra, aut extendere ſemet per aquas valeat.

Quod ſi vero lumen hoc piſces alliciens, (loquimur enim tanquam de re, quæ jam experimentis comprobata ſit,) ſervari debeat ſub aquis ardens, tum utique non immerito dicere quis poſſet, Eruditum hunc Autorem melius facturum fuiſſe, ſi perfectam nobis Laternæ hujus deſcriptionem largitus fuiſſet potius, quam dum orbi exhibuit imperfectam quandam novæ ſuæ inventionis Ideam.

Facile

Facile equidem imaginari poſſum, lumen candelæ infra ſuperficiem aquæ poſitum, (quæ utut magis opacum, quam Aer, hoc non obſtante tamen utique diaphanum corpus eſt) poſſe nocte obſcura projicere ſubter, ſupra & circa ſe undiquaque ſplendorem ſatis magnum: quin & longius fortean, quam extra aquam: quandoquidem opinor, mare ipſum ad proportionatam quandam diſtantiam ſpeciem præbere poſſe, ac ſi flammaret. Nihilominus pro vero fatendum mihi eſt, clariſſimo etiam Solis ſplendore & ſereno aere, cum æquor maxime tranquillum & limpidum fuit, ſabulum etiam & calculi in fundo ſiti candicarunt, &c. me tamen ne tum quidem unquam viſu meo multum penetrare valuiſſe ultra quinq; vel ſex pedes perpendiculares: cum utique in Terræ ſuperficie aliæ res multo diſtinctius ac in longe majori diſtantia videantur.

Quæ ipſa conſideratio anſam forte præbere poſſet curioſo cuipiam Philoſopho Experimentali ad reſolvendum aliud dubium: videlicet, Annon Piſces, aquatilia nempe animantia & marium incolæ æque bene ac procul cernere valeant ſub aquis, quam nos aliave animantia in Aere?

Id quidem certum eſt, urinatores apertis oculis incedentes per aquas, quidvis in ejus fundo, utut altiſſimo, poſſe videre: nec minus compertum, quoslibet in aqua piſces, quotquot oculos habent, vegeto ſatis viſu pollere, in tantum ut ab ipſo usque fundo adſcendant verſus aquæ ſuperficiem ad captanda minutiſſima quæque ac tantum non viſum fugientia.

Verum hæc obiter tantum dicta ſunto: progredior nunc ad examinandum deſcriptionem Inſtrumenti ipſius, uti habetur *pag. 484 anni 1689, Tab. XI. fig. 2*: ubi

I. Quantum ego opinor, non exiguæ difficultatis res erit, ſic adaptare operculum *BB* ad ipſum Laternæ corpus, ibique id taliter firmatum conſervare, ut nec aqua illud penetrare queat candelamque ſuffocare, nec ipſum ab impetuoſo maris motu in fruſta diffringatur. Sane in ciſterna quadam aut largiori aqua ſtagnante inventio hæc ad unam alteramve horam durare fortaſſis poſſet, aut amplius etiam; verum ubi aqua ejusque ſuperficies expoſita eſt ventorum fluctuumque impulſui; & conſequenter id, quod aquæ immerſum eſt, (niſi admodum profunde) continuam ac vehementem patitur

motionem, ibi arbitror vitream hanc laternam cum ſuis operculis, brevi aut fractum iri, aut ſaltem rimas acturam eſſe.

II. Alia ſemet offert difficultas, quomodo nempe folles hi plicatiles animari & agitari debeant, & id quidem continuo abſque intermiſſione, (cum alias metuendum ſit, ne candela extinguatur:) nam manuum quidem opera id in mari præſtare, & ſumtuoſum moleſtumq; foret, & periculoſum pro ſcaphis minoribus, quæ ſic per totam noctem in pelago eum in finem morari opus haberent: a fluctuum vero motibus folles ſat bene agitari poſſe, certum quidem eſt, ſed nequaquam id foret ſine intermisſione. Aſt

III. Maxima omnium difficultas erit, præcavere, ne Aer intra Tubos convertatur in aquam, quæ nempe intra parum temporis ob deſtillationē continuam, non modo extinguere ſed ſuffocare penitus candelam valeret; aut ſi omnino id impediri posſit, annon etiamnum aer hic per tubos adductus, aquoſus nimis ac humidus futurus ſit, adeoque penitus ineptus ad fomentum flammæ præbendum, aptus vero potius (ob naturalem aquæ & ignis inimicitiam) ad eam extinguendam. Nam non ita pridem a nonnullis obſervatum eſt, hominum utriusque ſexus halitum non largiri aerem habilem ad nutriendam candelæ flammam, ſed contrarium potius operari: cujus rei cauſa probabiliter in ejus humiditate quærenda eſt. Quod ſi Tubi iſti prælongi ſint, laternaque profundius demiſſa, tanto majus ſubeſt periculum, ne aer canalibus illis incluſus in aquam convertatur, eo quod propius fundum intenſius etiam frigus eſſe ſolet: quam quidem difficultatem Dn. Papinus præſenſiſſe non videtur; nihiloſecius tamen ipſe in eadem pagina nobis perhibet, ope longorum horum Tuborum volatiles ſulphuris ſpiritus, qui alioqui communiter in vapores abeunt, poſſe in liquorem condenſari.

Poſtquam ſic mea expoſui dubia, veniam nunc mihi expeto ad proponenda etiam media, per quæ difficultates hæ in ſpeciem invincibiles ſuperari queant: de quibus quidem penitus deſperandum mihi foret, ſi Peripateticorum opinio, de convertibilitate Aeris in aquam, veritati conſona eſſet: quam ipſam tamen Illuſtriſſimus Boylius abſolute rejicit, cum nunquam adhuc eam demonſtratam, licet multoties aſſertam viderit.

Quicquid tandem ejus ſit, ſtante etiam ea hypotheſi, potius conſulerem, ut Laterna fieret e Corio, quam ex vitro: quod ipſum quidem

Digitized by Google

quidem corium, tam pro laterna ipſa, quam pro tubis ſeu canalibus aeri admittendo dicatis ſecundum artem præparari oporteret, (deſcriptam a *Schotto in Technica curioſa Lib. 6. cap. 9. Sect. 2. pag. 395. in 4.*) E duplicato tali corio proinde hanc laternam conſtructam vellem, inciſis foraminibus rotundis aut quadratis, qua libitum foret amplitudine; quibus inſerendum eſſet vitrum, aut commune Francicum, aut aliud quoddam, longius lucem candelæ lampadisve projiciens, artificioſe includendum, juxta monita ejusdem Schotti loco citato hanc in rem data: quarum feneſtrarum unam tam largam eſſe oporteret, ut per eam candela aut lampas facili negotio immitti in laternam & ex ea rurſum eximi poſſet, ac nihiloſecius ipſa omni tempore ſic artificioſe iterum claudi.

Porro a fundo hujus Laternæ aſſurgere deberet coriaceus tubulus ſeu canalis, cujus longitudo proportione reſponderet profunditati aquæ, intra quam laternam demittere animus eſſet: imo ſi in mari adhiberi deberet, eminere adhuc eum oporteret minimum unam orgyiam ultra aquarum ſuperficiem, idque propter altiores undarum fluctus, præſertim tempore procelloſo: pariter & laternam ope ſuberis ſuſpendere oporteret, quo cum undis fluctuans aſcenſum deſcenſumque reciprocaret, (quo pacto, ut obiter hoc moneam, Domini Papini folles agitari etiam poſſent.) Hic ergo Tubulus deſtinatus foret advehendo aeri, ad fomentandā flammam candelæ lampadisve in laterna neceſſario: quem idcirco ita conſtrui mallē, ut paulatim inſtar cornu venatorii amplitudine augeſceret verſus extremitatem ſuper aquas eminentem, quo tanto promtius Aerem reciperet.

E faſtigio Laternæ dein alius producendus eſſet canalis, priori æqualis quoad longitudinem: quem tamen, utpote aeri fumoque educendo ad inſtar camini deſtinatum, graciliorem fieri ſuaderem verſus extremitatem ſuper aquas emergentem, latiorem vero quo propius laternam accederet.

Quod ſi tandem ex alterutro horum tubulorum aqua deſtillaret intra laternam (ſive id contingeret per converſionem aeris in aquam, ſive alio quocunque modo) quæ aut ſuffocando aut inundando candelam extinguere valeret, conſulerem, ut ſub laterna ſaccus coriaceus pararetur, ad recipiendum tantum aquæ, quantum ita deſtillare poſſet intra ſex, octo pluresve dies.

His itaque obſervatis, non utique opus fore arbitror iſtis folli-bus

libus Papinianis, pro advehendo aëre ad ſuſtentandam Lampadem: ſatis enim notum eſt, ignem ardentem, ac flammantem per ſe, dummodo bonus adſit caminus, tantum aeris attrahere, quanto ad eum finem opus eſt. Atque ſic opinor cuncta iſta incommoda, Machinam Domini Papini comitantia præcaveri poſſe; certusque ſum eam ita fore minus ſumtuoſam & magis firmam, eosdemque effectus edituram.

Cæterum talismodi inventis acquieſcere opus habebimus, usque donec *D. Elsholtzius*, aut alius quispiam pro eo, ad perfectionem deducat *Phoſphorum* ipſius *liquidum*: cujus quippe adminiculo ipſe arbitratur, non eruditis modo, ſed & aliis ſuppeditari poſſe lumen, cujus uſus neque tam ſumptuoſus, neque tam operoſus ſit futurus, quam lampadum candelarumve.

Equidem tanto lubentius hujus generis molimina promota mallem, quod in ea ſum opinione, tale quid, ſi ſemel ſuam ad perfectionem perveniret, facile dein viam ſternere poſſe ad theſauros (non opum modo iſtic per naufragia perditarum, ſed & naturæ myſteriorum) in maris fundo abſconditos. Certe enim non minus jucundum, quam proficuum tunc foret Philoſopho Experimentali, ipſo licet meridie ad exemplum Diogenis, cum ſua Laterna & candela perluſtrare maris fundum ac perſcrutari ſecreta illic abdita obtectaque cryſtallino iſto aquarum corpore.

Quod reliquum eſt, lucem iſtam non arbitror conſpici poſſe ſupra ipſam aquæ ſuperficiem, nec adeo metuendum eſſe, ne ea forte nautas ſeducat navigationive ſic noxam præbeat: tam profunde enim ſub horizonte ſita eſt, ut vix ad viginti vel triginta paſſuum diſtantiam cerni valeat; quamvis utique ſubter aquam lumen ita procul ſatis projici queat. Atque hæc ſunt, quæ hanc circa materiam Vobis communicanda duxi &c.

Regiomonti in Boruſſia
d. 29. Aug. 1690.

Johannes Scarlett
Anglo-Britannus.

ERRATA.

Pag. 271. lin. 11. pro 89. lege 219. Pag. 287. lin. penult. lege *proponant*. P. 337. l. 24. pro 570 lege 580. P. 347. l. 2. pro XVI. 28. ἀπροσδυονύσως lege XVII. 28. ἀπροσδιονύσως. P. 431. l. 2. lege: *quorum hoc ex Chronico Alexandrino, illud ex numo conſtat.*

Indicamus Benevolo Lectori, prodiiſſe quoque nuper Sextam Supplementorum Sectionem.

ACTA ERUDITORUM

publicata Lipſiæ

Calendis Novembris Anno M DC LXXXX.

SUPPLEMENT A L' HISTOIRE METALLIque de la Republique de Hollande.

id eſt,

Oudaani Supplementum ad Hiſtoriam Fœderati Belgii numiſmatibus a Bizoto illuſtratam.

Amſtelodami, apud Petrum Mortier, 1690, in 8.

Conſtat plagulis 20. ac iconiſmis 81.

H*Iſtoriam Fœderati Belgii*, Bizoti *ſtudio numiſmatibus illuſtratam* ac quatuor abhinc annis Pariſiis excuſam, ad *Acta eruditorum a. 1688. p. 163.* retulimus. Gloriam ejusmodi opere de patria ſua bene merendi a Gallo præreptam ſibi, non æquo ſatis animo pertulerunt Belgæ. Idem enim fruſtra hactenus tentarant *Scriverius*, Melchior *Barlæus*, Rochus *Honerdus*, Statuum Belgicorum conſiliarius & legatus ad Polonorum regem ac reginam Sueciæ, Andreas Jacobi *de Wouw*, eques auratus, Gerardus *Schaap*, conſul Amſtelodamenſis, Antonius *Thyſius*, profeſſor Leydenſis, Bœckelius denique *de Zanten*, conſiliarius Harlemenſis. *Bizoti* igitur opus in octava forma recudit ac in tomos duos diſtinxit *Petrus Mortarius*, bibliopola Amſtelodamenſis a. 1688, virum etiam aliquem eruditum exoravit, ut cum ipſorum numiſmatum archetypis iconiſmos Pariſienſes conferret, hos ex illis ſæpiuſcule emendaret, ac præterea centum & quadraginta numis hiſtoriam illam Hollandiæ auctiorem redderet. Ex acceſſionibus illis unicam heic ſpeciminis loco repetere placet. Cum ſtudioſi Lugdunenſes, almæ matris ſuæ contra Gallos defendendæ ergo, arma arripuiſſent a. 1672,

 digna-

Digitized by Google

digna res viſa fuit patribus academicis, quæ numo deſignata ab oblivione vindicaretur. In antica ſedet Lugdunum ſub fœminæ forma; adſtat Pallas (ut ſolet) armata ac ex longinquo advenientes Martis juxta ac Muſarum alumnos ei monſtrat. Adjecta eſt epigraphe: SEMPITERNO HONORI STUDIOSI MILITIS. In poſtica habetur tetraſtichon:

Græcia devictam jactet per Pallada Trojam,
Immenſæ ſtrueret cum modo molis equum:
Diva Minerva ſuis Leydam conſervat alumnis;
I nunc & dubita, queis magis æqua fuit.

Neque heic tamen ſubſtitit diligentia Belgarum, paria cum Bizoto facere cupientium; quin integro ac peculiari tomo iſtius lacunas ſupplere ſtuduit *Oudaanus*, ſimiliaque *ſupplementa* ſingulis decenniis cum rei numariæ cultoribus communicare ſpopondit.

Ediderat Amſtelodami a. 1671 *Joachimus Oudaanus* numiſmata vetera Romana commentario vernaculo explicata, ſub titulo: *Roomſche Mogentheyt, of nauwkeurige beſchryving van de macht en heerſchappy der oude Roomſche Keyſeren.* Et ex hoc libro ſtruxit *Theſaurum* ſuum *ſelectorum numiſmatum antiquorum* Jacobus *Oiſelius* JCtus. Eadem ratione modernorum numiſmatum expoſitione famam ſibi perennem conciliare nititur *Oudaanus* noſter.

Noluit autem hiſtoriam ſuam altius ordiri, quam *Bizotus* fecerat. Hinc *præfationi* tantum inſeruit rariores numos ante annum 1568 cuſos, qualis eſt is, in quo Cardinalis *Granvellani* herma ex una parte cernitur, cum inſcriptione: ANT. PERRENOT. S. R. E. PRESBYTER CARD. ARCHIEP. MECHLINIENSIS. Ex altera parte Neptunus navi perituræ, qua Æneas vehebatur, inſperato opitulatur, cum lemmate: DURATE. 1561. Confiſus nempe erat Granvellanus, Deum ex machina quamprimum affuturum, ac, quæ tunc ingruere inceperat, motuum Belgicorum tempeſtatem diſpulſurum. Ea propter Hiſpanos ſuos, uti Æneas Trojanos, affatur: *DURATE & vosmet rebus ſervate ſecundis.*

Ex opere ipſo hæc habe exempla: A. 1582 Belgæ, qui Hiſpanorum jugo colla ſubtraxerant, recensque partam libertatem auſpiciis *Franciſci*, Andium Ducis, armata manu tuebantur, numum cudi curarunt. In ejus antica ſenex quidam, amiculo & toga indutus,

veſtem

Digitized by Google

veſtem Hiſpanicam diſcindit, quam manu tenet vir barbatus, ſaga-
tus, ocreatus, ac pilei turbinati genere tectus, addito lemmate: SIC.
TRANSFERT. DNS. REGNA. De eo Oudaanus commentatur:
*Ita loquuntur nauta & Turcicus Baſſa, tenentes veſtem Hiſpanicam
cultrisque ſuis eam diſcindentes.* Sed, quod pace doctiſſimi viri dixe- Pag. 78.
rimus, qui illi *nauta* dicitur, *Abias Silonites* propheta præter omne
dubium videtur. Alter, qui ob capitis tegmen *Turca* ſimilis eſt,
Jeroboamus eſto, Aſiatico habitu incedens, & (uti ex numo ipſo pa-
tet,) cultro nullo inſtructus. Notum quippe eſt ex *III. Reg. XI, 29. 30. 31.
31.* quod *Abias* pallium ſuum novum ſciderit in duodecim partes, &
decem *ſciſſuras* dederit *Jeroboamo*, inquiens: *Tolle tibi decem ſciſſu-
ras. Hæc enim dicit Dominus Deus Iſrael; Ecce ego ſcindam regnum
de manu Salomonis, & dabo tibi decem tribus*, &c. Comparat heic
autor numi univerſum Belgium *pallio*, Carolum V. Imperatorem
Salomoni, Philippum II. *Rehabeamo*, Belgarum Status *Jeroboamo*.
Ne vero reſpublica Batava, inſtar regni Jeroboami, iterum corrue-
ret, in poſtica extant preces: CONFIRMA. DOMINE. OPUS.
TUUM. Id quod repræſentatur imagine trium ſurculorum arbori
inſitorum, ſuper quos extenditur manus e nubibus porrecta. In ima
numi parte extant inſignia Zelandiæ, nempe *Leo dimidia ſui parte un-
dis immerſus*; qui & in aliis numis primarium emblematis corpus con-
ſtituit, animatum inſcriptione eleganti: LUCTOR ET EMER-
GO. Talis cuſus eſt a. 1596, cum bellum inter Hiſpanos atq; fœde- 126.
ratos Belgas flagraret vehementiſſime. Unde in altera ejus parte
ſub ſchemate Arionis balænæ inſidentis Zelandia depingitur, addita
epigraphe: NUNC SPE, NUNC METU.

Non facile ab hiſtoricis memoriæ proditum reperias, quod Gel- 84.
dri *Franciſcum Andegavenſem* Ducem ſuum crearint. Nihilominus
apud Oudaanum ad a. 1583 numus oſtenditur, quo Franciſcus ille
Dux Geldriæ, Comes Zutphaniæ, terror tyrannis, afflictis ſolatium
ſalutatur.

Cum *Alexander Farneſius*, Dux Parmenſis, Prorex Hiſpanus, 96.
Graviam expugnaſſet, ingentemque terrorem fœderatis Batavis in-
cusſiſſet, numi varii triumphales percuſſi ſunt. Ex his aliqui in anti-
ca quadrigam triumphalem oſtentant, quam Alexander agitat,
Fama capiti ejus impendente, cum lemmate: *GRAVIA. SUBACTA.*

TROPHEUM. 1586. In poſtica vir quidam alterius (neſcio quid ſubruſtici præ ſe ferentis) aurem vellit, adjecto ſcommate ex Martiali: *TREME. AURIS. BATAVA. 1586.* Ad eadem Martialis ver-
pag. 155. ba reſpexiſſe videntur Belgæ in numo cuſo A. 1609, quo induciæ inter Hiſpanos ac Belgas pactæ fuerunt. Ex *Oudaani* deſcriptione is ita ſeſe habet: *Miles tympano diffracto incubans atque dormiens, circa ſe habens galeam, loricam, chirothecas ferreas, &c. cum inſcriptione: QUIESCO. 1609. S. C. In poſtica: Civis in abaco mercatorio caput ad ſomnum componens ac aliquantulum dormitans. Mercurius vellicat ei aurem, dicitque: PLUS VIGILA, ex Catone.* Ni fallimur, miles, ſomnum tantum fingens, *Hiſpanos* notat. Hiſpanico enim *collari* inſignis eſt. Civis *pileo* (libertatis ſigno) tectus, ſecurius obdormiens, ſignificat *Batavos*. Hi nimirum ne in pace quidem, nedum armiſtitio, ſecuri ac curarum expertes eſſe debebant. Ideoque Mercurius efficit, ut *aures Batavæ tremant*, Belgæve ſoporem intempeſtivum animo ſuo excutiant.

96. Idem *Alexander Farneſius* in curru triumphali viſitur in alio numo, inſcripto: EXPUGNATO NOVESIO. In poſtica Bellerophon, Pegaſo inſidens, cum chimæra pugnat. Additur lemma: *NON DECIDET. 1587.* hoc eſt, vertente Oudaano: *Celuy-cy ne ſuccombera pas*, hic non ſuccumbet iſthac in pugna. Acquieſcimus & nos pro more noſtro huic explicationi. Expendendum tamen proponimus, anne forſan autor emblematis in mente habuerit Bellerophontis, cœlum invito Jove petentis, ideoque œſtro ab eo perciti, *lapſum* ex equo in terram, innueritque adeo, Farneſium, utut facile tot victoriis efferri poſſet, non tamen neglectu Numinis, arrogantiave in victos nimia commiſſurum eſſe, ut ſublatus in altum lapſu graviore ruat. Cæterum Oudaanus non absq; veri ſpecie obſervat, per *chimæræ* latus peti quaſi ac confodi *Gebhardum Truchſesſium*, Archiepiſcopum & Electorem Colonienſem, ob conjugium cum *Agnete Mansfeldica*, monſtri inſtar Pontificiis habitum. Hic enim fuerat in cauſſa, quod *Noveſium* paulo ante in Fœderatorum poteſtatem venerat.

188. Queritur Oudaanus, *Bizotum* fœda aſſentatione omnia Regis ſui in Belgio geſta in majus extuliſſe, ac hiſtoriam multis modis corrupiſſe. Hinc tanto prolixius atque accuratius Batavorum fata inde ab

ab A. *1678* ad annum usque *1689* enarrat, neque ſibi ab acerbioribus ſubinde verbis numisve ſatyricis temperat, ab inſtituto noſtro alienis.

Volumini huic annectitur THEATRUM HONORIS, exhibens *epitaphia* æri inciſa *Heroum*, qui pro Republica Hollandiæ mortem oppetierunt. Sextum illi ac decimum numerum non excedunt. Nomina, ſi noſſe cupis, hæc ſunt: *Wilhelmus I.* Auraicus Princeps, Jacobus ab *Heemskerk*, Lambertus *Moy*, Petrus *Heinius*, Cornelius *Johannis* cognomento *Gallus*, Joannes a *Galen*, Martinus Harperti *Trompius*, Cornelius de *Witt*, Jacobus de *Waſſenaar*, Egbertus Bartholomæus de *Cortenaar*, Abrahamus *vander Hulſt*, Wilhelmus *van der Zaan*, Wilhelmus Joſeph Baro de *Gendt*, Joannes de *Liefde*, Iſaacus *Swerius*, Michael Adrianus de *Ruiter*. Extrema occupat ſtatua *Ducis Albani* famoſiſſima, ſed dudum, ipſoque tyranno ſuperſtite, diruta ac comminuta.

JOANNIS PEARSONII, EPISCOPI CESTRIenſis, Expoſitio Symboli Apoſtolici, juxta editionem Anglicanam quintam in linguam Latinam translata.

Francofurti ad Viadrum, ſumptibus Jer. Schrey & hæredum Henr. Joh. Meyeri, 1690. in 4.

Conſtat plagulis 95.

QUemadmodum Belgæ aliquot abhinc annis opus hoc in vernaculam ſuam transtulerunt: ita nuperrime fuit in Germania quidam, qui ſtudio laude digno Latine illud reddidit. Diſtinguitur in partes duas, *textum* puta commentarii, & *notas*. Ille particulæ cujusvis Symboli, quod dicitur, Apoſtolici ſenſum genuinum, fundamentum Biblicum, neceſſitatem credendi & uſum practicum nervoſe ac perſpicue, quantum fieri potuit, exponit. Hæ margini olim allitæ, textui nunc ſingulis paginis ſubſtratæ, dicta V. & N. T. Ebræa atque Græca, itemque ſententias Patrum eccleſiæ, variasque Theologorum ac Criticorum controverſias exhibent, quibus expoſitionis ſuæ textum modo dictum aut illuſtrare aut confirmare Autor nititur. In nullius hominis verba juraſſe ſe probe memor Pearſonius, ubivis, quid ſibi potiſſimum de vera interpretatione ſi-

Digitized by Google

ne ſive Scripturæ Sacræ, ſive Patrum eccleſiæ videatur, aperit, ac, ut unico exemplo aſſertionem noſtram declaremus, pleraſque Reformatorum opiniones de deſcenſu Chriſti ad inferos repudiat. Ejus autem hac de re placita ſi ſcire cupias, noveris, dicta *Eph. IV, 9. 10.* & *1. Petr. III, 19.* ad hunc locum, ipſius quidem judicio, haud pertinere, ſed ſolum fere *Pſal. XVI, 10.* Deſcenſum enim non ad ſtatum exaltationis, ſed exinanitionis, refert, ac ita ſeſe habere ait ad animam ſeparatam Chriſti, uti ſepulturam, in Symbolo deſcenſui junctam, ad exanime ejusdem corpus. Breviter: *Deſcendere ad inferos* idem eſſe dicit, ac revera ex loco viventium abire, & venire in locum illum, quo detinentur animæ hominum ob peccata mortuorum, quibus ſatisfactor noſter, (miſſus in forma conſimili carni peccato obnoxiæ, *Rom. VIII, 3.*) & vivens, & *mortuus* æquari ſimilisve fieri voluerit.

Nos plura deſinimus de libro toties jam edito, utut nunc primum Latine translato. Singulari vero eruditione refertum eſſe fœtum hunc Pearſonii, quivis facile ſibi perſuadebit, qui non plane hoſpes fuerit in hiſtoria, quique vel titulo tenus noverit præclara alia Viri πολυμαθεστάτου monumenta, maximam partem a nobis memorata Kalendis Julii a. 1688. p. 342. Acceſſerunt editioni huic *indices* tres, *autorum* nempe, deinde *dictorum* Scripturæ, *rerum* denique atque *verborum*.

D. SAMUELIS SCHELGUIGII DE CONCILIO Gangrenſi Exercitatio hiſtorico-theologica.

Gedani, proſtat in bibliopolio Simonis Beckenſtein, 1690. in 4. Plag. 8½.

Duplici labore defungi oportuit Autorem ſumme reverendum, Theologum ac Gymnaſiarcham Gedanenſem celeberrimum. Primo enim de *loco*, *tempore*, *occaſione*, *aſſeſſoribus* & *autoritate* concilii hujus egit, dein canones illic conditos juſto ordine explicavit. Nimirum concilium, quod *Gangrenſe* dicitur, *Gangra* vel *Gangris* habitum fuit, urbe Paphlagoniæ. Hinc in collectione conciliorum *Petri Crabbe* & *Laurentii Surii*, nec non in epitomo conciliorum *Bartholomæi Carranzæ* & *Gabrielis Prateoli* inſcribitur: *Concilium Gangrenſe, celebratum in Paphlagonia ſeu regione Pelaſgorum*, Severinus *Binius* & Ludovicus *Bailius* verba poſteriora in mendo cuba-

cubare putarunt, eo quod *Pelasgos* in Peloponneſo reponant Geographi, *Paphlagonia* vero Aſiæ minoris pars ſit. At *Strabonis* & *Homeri* autoritate probat Schelguigius, Pelasgos non minus in Aſia minori ac ſigillatim Paphlagonia, quam in Peloponneſo, ſedem fixiſſe. De *tempore* concilii majora autorum divortia deprehendit. Referunt nimirum illud ad A. C. 317. *Chriſtophorus Helvicus*, ad A. 319. *Henricus Spondanus*, ad A. 324. *Crabbe*, *Surius*, *Bailius*, *Carranza*, ad A. 328. *Prateolus*, ad A. 333. *Johannes Ludovicus Ruelius*, ad A. 336. *Jodocus Coccius*. Schelguigius recentius eſſe ſtatuit, utut neminem inter eccleſiaſticæ hiſtoriæ conditores recentiores noverit, cui idem in mentem venerit. Sententiæ huic novæ anſam dedit *Socrates* l. II. c. 42. 43. unde non uno modo colligit Noſter, Gangrenſes Patres poſt annum demum 360. conveniſſe. *Occaſio* concilii ex erroribus *Euſtathii Sebaſteni* (circa *cælibatum*, diſcrimen *ciborum* & *veſtium*, *templa*, *divitiarum* poſſeſſionem, &c.) enata fuit, uti non tantum ex epiſtola *ſynodica* Gangrenſi, ſed & Sozomeno ſolide probat Schelguigius, *Baronium*que, pro Euſtathio *Eutactum* (ab Epiphanio *hæreſi 40.* memoratum,) ex conjectura ſua ſubſtituentem, accurate refellit. *Aſſeſſorum* nomina ex epiſtola *Synodica* petenda ſunt. Sunt autem ea *duodecim*, ſi Græcum textum ſolum audias. Latina enim verſione antiqua tres dodecadi illi adjiciuntur, ac ſpeciatim *Hoſius Cordubenſis*; quem Pontificis Romani legatum Baronius eſſe volens, eapropter Schelguigio vapulat. *Autoritas* canonum concilii Gangrenſis *Luthero* maxima viſa fuit, uti patet ex ejus præfatione, quam *verſioni Germanicæ* actorum Gangrenſium, ſtudio *Johannis Kymei*, Homburgenſium in Haſſia Paſtoris, Witebergenſibus typis a. 1537. evulgatæ, præmiſit, quæq; etiamnum *T. VI. Jenenſ. Germ. fol. 528. ſeqq.* legitur. Nec Pontificiis integrum eſt, canones illos vilipendere, cum in ſynodo *quiniſexta*, & a *Symmacho* Papa in ſynodo *ſexta Romana*, nec non a *Leone IV.* (Diſt. 20. c. de libellis,) pro apoſtolicis ac omnino in eccleſia obſervandis agniti fuerint. Unde & magnam partem *Decreto* Gratiani inſerti cernuntur. Ediderunt eos Græce *Johannes Tilius* in collectionibus decretorum ſynodalium, *Chriſtophorus Juſtellus* in codice canonum eccleſiæ, Collectores *Conciliorum* Gallicani, &c. Latinæ verſiones tres extant apud *Binium*: Prima eſt *Dionyſii Exigui*, ultima *Iſidori Mercatoris*, media *Gentiani Herveti*,

Digitized by Google

veti, quam etiam Schelguigius hoc in opere ſuo adhibuit. Circa ſingulos dein canones ita ſe gerit, ut primo eorum ſenſum declaret, dein in Jure canonico repetitos indicet, mox rationibus e Scriptura ſacra depromptis confirmet, tandem doctrinæ ac praxi eccleſiæ Romanæ modernæ e diametro oppoſitos eſſe, liquido demonſtret.

HET LEVEN VAN EDUARD DE ZESTE, Koning van Engelant, Vrankryk en Ierland.

id eſt,

Vita Eduardi VI. Regis Angliæ, Franciæ & Hiberniæ, deſcripta a Gisberto van der Hoolk.

Hagæ Comitis, apud P. Hage, 1690, in 8. Plagulæ 10.

G*Isbertus Hoolkius*, Conſiliarius Senatus ac Exconſul civitatis Ultrajectinæ, ut & ad Conventum Statuum Generalium Delegatus, mortuus eſt Hagæ d. 5. Octobris 1680. Hujus memoriam ab interitu vindicabunt opuſcula præſentia, quorum primum eſt *Vita Eduardi VI.* ex *Franciſci* Epiſcopi *Herefordienſis*, Johannis *Speed*, Johannis *Hayvvard*, Thomæ *Hayvvood*, *Bakeri*, *Leveri*, *Latimeri* martyris, *Clerici*, *Winſtanlei*, aliorumque fide dignorum virorum ſcriptis contexta; alterum eſt Meditatio *van Godts oordelen omtrent magten en volcken der aerde*, ſive *de judiciis Dei ſuper imperia & populos terræ*, in Pentateucho Moſis potiſſimum memoratis, adjecta *paræneſi ad Judæos*, ut quam ſupremus orbis judex de terra ſancta, ſibi olim gratiſſima, tulit, ſententiam probe perpendant, & ad Chriſtum ſe perduci patiantur.

AUGUSTI ADOLPHI AB HAUGVVITZ TRActatus de Regni & Aulæ Mareſchallorum nomine, origine, definitione, &c.

Budiſſæ, ſumptibus Frid. Arnſtii, 1690, in 4. Plag. 92.

N*Otitiam Dignitatum illuſtrium civilium, ſacrarum, equeſtrium*, XVI diſſertationibus academicis ante non paucos annos expoſuit

poſuit vir πολυμαθέςατος *Johannes Chriſtophorus Becmannus*, Doctor Theologus ac in Academia Francofurtana Profeſſor publicus. Hujus veſtigiis inſiſtere merito ſtuduit nobiliſſimus HAUGWITZIUS Dominus hæreditarius *Ubigavia* & *Krinitzii* in Luſatia ſuperiori. Namque non modo ſpicilegium, ſed & meſſem integram relictam ſibi ſentiens, vaſtum opus, *NOTITIA DIGNITATUM OFFICIALIUM* inſcribendum, condere aggreſſus eſt. Deſiderium autem excitaturus eruditorũ, integrum illud videndi atq; in ſuos uſus vertendi, partem hanc ſpeciminis loco edendam eſſe putavit. *Octo* ea *capitibus* abſolvitur, agitque *de Regni & Aulæ Mareſchallorum nomine, origine, definitione, exiſtentia, variis generibus, qualitatibus, meritis, officiis, juribus, reditibus, ſalariis, titulis, privilegiis, dignitatibus, prærogativis, inſignibus, affinibus.* Ex innumeris autoribus, Græcis, Latinis, Germanis, Gallis, Italis, Hiſpanis, Anglis congeſta eſt, ut Viri induſtriam & improbum laborem merito miremur. Licet vero Mareſchallorum dentur genera quamplurima in tot cultioris Europæ aulis, nullum tamen pene erit, de quo non multa memoratu digna in commentaria ſua retulerit Haugvvitzius, adeo ut ex ungue leonem metientes non poſſimus non arbitrari, e re juris publici ſtudioſorum fore, ſi idem reliquos *Notitiæ* ſuæ tomos cum illis communicare voluerit.

ΠΟΛΥΑΙΝΟΥ ΣΤΡΑΤΗΓΗΜΑΤΩΝ *βίβλοι ὀκτώ.*

Poliæni Strategematum libri octo, Juſto Vultejo interprete. Pancratius Maasvicius recenſuit, Iſaaci Caſauboni, nec non ſuas Notas adjecit.

Lugduni Batav. apud Luchtmans & Vivie, 1690. in 8.

Conſtant plagulis 55.

SOlerter & callide a ducibus in bello quæ geruntur, appellatione Romana exprimi apte non poſſe, Græca autem pronunciatione *Stratagemata* dici, Valerius Maximus obſervavit, qui hujusmodi artibus *caput IV libri VII* inſtruxit. Easdem *Sext. Jul. Frontinus* quatuor libris complexus eſt, ipſe rei militaris peritus, qui ſub Ve-

ſpaſiano ac Tito præturam urbanam geſſit, & in Britannia ferociſſimam Silurum gentem ſubegit. Ex Græcis ſcriptoribus iſtas bellorum aſtutias, & ſubdola imperatorum ac ducum Græcorum, Romanorum ac Barbarorum geſta *octo libris* perſecutus eſt *Polyænus Macedo*, orator & patronus cauſarum apud Impp. Antoninum & Verum, ſcriptor antiquus, elegans, acutus, eruditus, & utramque militiam, ſagatam & togatam, ſecutus; ut eum prædicat *Iſaacus Caſaubonus*, qui primus hunc venuſtum æque ac utilem ſcriptorem in publicam lucem *A. 1589. typis Tornæſianis Lugduni* protulit; magno, ut in Præfatione indicat, ære in privatos uſus comparatum, indeque ſumma induſtria ac diligentia & fide maxima evulgatum, multis quæ ſuo loco imperiti librarii moverant in ſuas ſedes revocatis, quæ confuſa erant diſtinctis, quæ vero corrupta erant emendatis; nam diſtorta, luxata & fœdata plurima in eo fuiſſe, neque Polyæno adverſus vim & injuriam librariorum Stratagemata ſua quicquā profuiſſe, ſed ipſum velut ex Allienſi aut Variana clade pluribus vulneribus confoſſum ad ſe perveniſſe, affirmat. Poſt centum præterlapſos annos, ante quos Scriptorem hunc doctiſſimus Caſaubonus primum publicæ luci expoſuerat, cum is ei ſe ſubduxiſſet, nec exempla ejus amplius comparerent, iterum eundem eruditorum uſui reddidit eruditus ſcholæ Delphenſis doctor *Pancratius Maasvicius*: & quando Caſaubonus, plurium quam quem unicum nactus erat codicum ope deſtitutus, multa quæ corrupta eſſent intacta reliquerat; is e Florentina Magni Ducis Hetruriæ, & Cantabrigienſi SS. Trinitatis collegii bibliotheca MSCtos codices Polyæni adeptus, collectis etiam a Gronovio, celeberrimo Criticorum, variantibus in Scriptore hoc lectionibus adjutus, longe emendatiorem, nitidioremq; Polyænum dedit, plurima quæ mendoſa ſupererant emendans, turbata reſtituens, confuſa diſtinguens, & genuinam faciem autori huic reddens: ceu ex Notis conſtat, in quibus præter Caſaubonianas obſervationes, emendatæ lectionis rationes adfert, & cujus codicis autoritate receptam antehac lectionem mutarit indicat. Verſionem *Juſti Vultei*, a qua emendanda, aut nova ſubſtituenda Caſaubonus abſtinuerat, ipſe quoque contentus errores notaſſe, retinuit, quod animadverteret, ſuorum codicum lectionem ea quodammodo firmari: quocirca & affirmat, malle ſe Græcum e codice, quo uſus fuerat, editum fuiſſe a Vultejo Polyænum, quem Latinum is modo Baſileæ A. 1549. dedit.

DISSER-

DISSERTATIONES IN IRENÆUM AUTORE Henrico Dodvvello A. M. Hiſtorices in Academia Oxonienſi Prælectore Cambdeniano. Accedit fragmentum Philippi Sidetæ hactenus ineditum de Catechiſtarum Alexandrinorum ſucceſſione, cum notis.

Oxoniæ, e theatro Sheldoniano, 1689. in 8. Plag. 35.

CYprianicas Dodvvelli diſſertationes alibi recenſuimus. Nunc ejusdem Viri celeberrimi diſſertationes ad Irenæum perluſtrabimus, quas tantum prolegomena quædam eſſe dicit, cum potior harum lucubrationum pars diſſertationibus alio tempore ſecuturis reſervata fuerit.

Prima, quæ hoc volumine continetur, diſſertatio agit de fide Irenæi aliorumque ſecundi ſeculi Scriptorum circa apoſtolicarum traditionum memoriam quoad media cognoſcendi ordinaria. Ac primum quidem pro ſtabilienda Irenæi autoritate obſervat, eum paſſim ab antiquis Apoſtolicum appellari, quod, etſi apoſtolis coævus non fuerit, eorum tamen tempora proxime attigerit, & cum iis converſatus fuerit, qui Apoſtolis ſuperſtites fuerunt; in quorum numerum num Papias quoq; referri debeat, Dodvvellus non obſtante ipſius Irenæi autoritate dubitat. Papiæ enim præceptorem Johannem Presbyterum a Johanne Apoſtolo diſtinguendum eſſe putat, & huic quidem evangelium tantum & primam epiſtolam, illi vero ſecundam & tertiam epiſtolam Johanneam cum apocalypſi tribuit, indeque factum cenſet, quod qui ſub initium ſecundi ſeculi canonem novi Teſtamenti collegerunt, ſecundam & tertiam epiſtolam Johannis & apocalypſin omiſerint, cum tantum Apoſtolorũ ſcripta, & quæ Apoſtolorum fide niterentur, ut Marci & Lucæ evangelium, in canonem referre voluerint. Similiter a Polycrate Philippum diaconum cum Philippo apoſtolo confundi arbitratur. De Philippo autem dum agit, adducit verba Heracleonis apud Clementem Alexandrinum lib. 4. Strom. ubi Philippo Matthæus, Thomas, & Levi adjunguntur, quem locum cum Aſaphenſi corruptũ ſuſpicatur, cum pro Levi, quod alterum Matthæi nomen fuit, Lebbæi potius nomen legendum videatur. Inter eos, qui ipſum Dominum viderunt, ultimum fuiſſe dicit Simeo-

Digitized by Google

nem Cleopæ, ſub Trajani imperio jam ad exitum vergente crucifixum, quo tempore etiam hæreticos hactenus occultos e cavernis ſuis primum erupiſſe, multis argumentis probare contendit. Multa quoque diſſerit de διδαχαῖς ſeu διδασκαλίαις Apoſtolorum & Virorum Apoſtolicorum, inter alia aſſerens, fragmentū poſterioris Clementinæ ad Corinthios epiſtolæ ex Clementis didaſcalia decerptum eſſe, quemadmodum & in Barnabæ epiſtola poſtremam partem ex ejusdem didaſcalia depromptam ſtatuit. His aliisque, quæ brevitatis ſtudio omittimus, prælibatis ad Irenæum redit, quem tanta fide dignum aſſerit, quanta credimus hunc vel illum librum ad canonem novi teſtamenti pertinere. Cum enim Irenæus a Senioribus αὐτοπτῶν diſcipulis, quid docuerint fecerintve Apoſtoli, optime cognoſcere potuerit, concludit, traditionem, qua N. T. Scripturis credimus, quippe unica veterum teſtium fide nitentem non eſſe firmiorem, quam traditiones Irenæi. Confirmat ſuam ſententiam ex eo, quod Lucas aliique Scriptores θεόπνευστοι, quoties autoritatem ſuam lectoribus commendare volunt, non doctrinæ ſuæ infallibilitatem, ſed tantum humana cognitionis media obtendant, qualia etiam aliis in cauſis teſtem veracem & fidelem præſtarent. Ac ne quis objiciat, N. T. ſcripta res geſtas propiori intervallo tangere, quam traditiones Senum, quos vidit audivitque Irenæus, regerit libros illos ſacros usque ad Trajani, & forte Hadriani tempora in privatis ſcriniis latitasſe, nec in eccleſiæ notitiam perveniſſe, aut ſi quando in publicum prodierint, tanta ſcriptorum apocryphorum pſeudepigraphorumq; turba obrutos fuiſſe, ut absque novo examine novoque teſtimonio internoſci non poſſent, a quo novo teſtimonio omnem eorundem, quam hodie obtinent, autoritatem dependere dicit. Quod autem libri illi ſacri aliquandiu delituerint, & certus iſtorum canon ante Trajani ætatem conditus non fuerit, ex eo probat, quod Hermas ne unicum quidem N. T. dictum allegaverit, Ignatius vera & apocrypha evangelia pari honore laudaverit, & ex cæteris quoque primitivæ eccleſiæ ſcriptoribus abunde colligi poſſit, nondum illo tempore certum aliquod diſcrimen inter canonicos & apocryphos libros conſtitutum fuiſſe. Notat inſuper, primum Irenæum quatuor evangeliorum expreſſe meminiſſe, & ex iſtorum collatione ſatis apparere, quod ipſis ſacris Scriptoribus, qui aliis poſteriores fuerunt, priorum

ſcripta

ſcripta incognita fuerint, ſi excipias, quod Johannes reliquorum evangelia, quippe quæ quodammodo ſupplevit, vidiſſe videatur, quemadmodum & Petro Paulinæ epiſtolæ perſpectæ atque cognitæ fuerunt. Cum hæc & plura alia de canone N. T. diſſeruiſſet, etiam quæſtionem de apoſtolico eccleſiæ regimine eadem hiſtorica fide niti probat, ſtatuitque eam, quæ ſub Trajano fuit, regiminis formam ab ipſis Apoſtolis emanaſſe, nec aliam introductam fuiſſe, cum homines novationem in regimine quam in doctrina ægrius admittant, & periclitatura fuiſſet eccleſiarum fides in tradenda apoſtolicā doctrina, ſi regimen ab Apoſtolis relictum in eccleſiis fuiſſet immutatum. Nullam autem idoneam rationem dari poſſe ait, cur traditiones de canone N. T. & regimine apoſtolico majori fide quam Irenæi traditiones amplecti debeamus. Id tamen de propoſitionibus mere hiſtoricis,& nulla ratiocinia continentibus intelligi cupit. Si quis ergo traditiones Irenæi eo nomine veraces eſſe neget, quod de ætate Chriſti minus recte ſenſerit, eamque opinionem ſe a ſuis Senioribus, illos autem a Johanne aliisque Apoſtolis accepiſſe profiteatur, factum a ratiocinio diſtinguendum eſſe reſpondet, ac dicit, id tantum a Senioribus didiciſſe Irenæum, quod Dominus in ætatem ſeniorem declinaverit, in eo autem erraſſe, quod ſic ratiocinatus fuerit: Ergo major fuit quadragenario. Quin & ipſos Seniores hallucinatos fuiſſe tradit, quod forte ex vultu Domini collegerint, eum in ætatem ſenilem declinare. Quantum igitur ad factum attinet, eo redire dicit univerſum illud Apoſtolorum & Seniorum teſtimonium, quod eo vultu Dominus fuerit, qui quadragenario majorem ſed quinquagenario minorem repræſentaret, idq; veriſſimum fuiſſe ex evangelica hiſtoria conſtare, & Dominum, cum auſteræ vitæ fuerit, quæ ſenium maturare ſolet, ſpectatores ſuos in eum errorem haud difficulter impellere potuiſſe, ut eum quadrageſimum ætatis annum exceſſiſſe ſibi perſuaderent; quamvis Seniores illos,quos Irenæus ſequitur, non adeo longe a vero aberraſſe Dodvvellus opinetur, cum veriſimile illi videatur, Chriſtum paſſionis ſuæ tempore ſaltem annum octavum & trigeſimum egiſſe, adeoque quadrageſimum annum propius, quam vulgo creditur, attigiſſe. Si quis ulterius contra fidem Irenæi objiciat,quod millenarium Chriſti in terris regnum ex Seniorū traditione Johanni Apoſtolo tribuat,re-

ſpondet Dodvvellus, quod ad factum attinet, id nulla ratione refelli poſſe, cum etiamnum in apocalypſi verba Johannis occurrant, ſed an recte Seniores illi Johannis ſententiam aſſecuti fuerint, id ad ratiocinium ſpectare. Quo etiam refert, quod Irenæus, quæ Seniores de Johanne tradiderant, uni Johanni Apoſtolo tribuenda cenſuit. Verum hæc de prima diſſertatione dicta ſufficiant.

In ſecunda diſſertatione quæritur, qua fide dignus Irenæus & alii primævæ antiquitatis Patres, quoad media cognoſcendi traditiones extraordinaria. Reſpondet autem Dodvvellus, Irenæo & aliis primitivæ eccleſiæ Patribus fidem in dogmatibus divinam, in aliis traditionibus plusquam humanam competere. Id probat ex divino extraordinariorum chariſmatum teſtimonio, cui nonnullos in levioris momenti negotiis errores non magis obſtare cenſet, quam Apoſtolorum infallibilitati leviora hujusmodi errata obfuerunt. Dum vero de ſingularibus & extraordinariis primitivæ eccleſiæ donis prolixe diſſerit, inter alia ſtatuit, Paulum 1. Cor. XIV, 16. de benedictione & gratiarum actione in ſpiritu agentem de hymno loqui, qui cum euchariſtiæ Sacramento conjungi ſolebat, eumque non a certo quodam eccleſiæ miniſtro decantatum, ſed ab eo, quemcunque in fidelium cœtu impetus propheticus cepiſſet, & forte illis temporibus elementorum conſecrationem non alio modo quam per hymnum euchariſticum peractam fuiſſe. In baptiſmo Spiritum baptizatis ut plurimum ſic collatum fuiſſe tradit, ut externo & ſenſibili quodam ſigno ſe manifeſtarit, & in hoc ſignorum numero imprimis fuiſſe ignem lambentem, qui in baptizatos deſcendit; externam autem Spiritus in baptiſmo φανέρωσιν ad omnes baptizatos referendam maxime in primis eccleſiarum converſionibus ſe exeruiſſe, indeque factum, ut qui primi in aliqua eccleſia baptizarentur, ſanctiores gratiisq; ſpiritualibus cumulatiores haberentur, ut Epænetus & Stephanus ἀπαρχαὶ Achajæ, Rom. XVI, 5. 1. Cor. XVI, 15. His primitiis eccleſiarum accenſet quoque Clementem Romanum, Hermam, Ignatium & Polycarpum, quorum ſcripta ut apoſtolicis inferiora, ita humanis omnibus anteferenda, & divinis quodammodo annumeranda cenſet, cum ut primitiæ ſuarum eccleſiarum non ſolum extraordinariis Spiritus donis, ſed etiam eximiis donorum gradibus inſtructi fuerint. Porro ut etiam extinctis his primitiis, non alii quam hoc munere digni ad

ſacerdo-

Digitized by Google

ſacerdotium eligerentur eccleſiarum rectores, *διακρίσει πνευμάτων* donatos probat, quamvis Deus nonnunquam & alia quædam media adhibuerit, quibus ordinandos deſignarit, e. g. ſortes, aut ſpeciem aliquam ſenſibilem, aut inſomnia, aut vocem in ſenſus incurrentem, aliasque prophetias vel ordinantis, vel quorumcunque eccleſiæ prophetarum, nunc puerorum, nunc adultorum, nunc clericorum, nunc laicorum, prout impetus Spiritus prophetici quemq; tulerit; ſiquidem Deo placuerit nonnunquam Epiſcopos non ſuis ſed alienis revelationibus edocere, ut & unitas corporis myſtici ſpiritusque comprobaretur, & clerici donis ſuis ſe haud nimium efferrent, neque laicorum dona temere contemnerent. Ita ergo ſe Deum per media plusquam humana miniſtrorum electioni interpoſuiſſe ſcribit, ut non potuerit indignus ad ſacerdotium cooptari. Quod ſi in nonnullorum electionibus nulla hujusmodi oracula aperte divinum beneplacitum indicaſſent, nihilominus Chriſtianos conſilia ſua a Deo, modo nihil contrarium ſignificaſſet, probata collegiſſe refert, quod exemplo Socratis illuſtrat, qui ea omnia Genio ſuo grata colligebat, quodcunque ab eodem impeditum non fuiſſet. Et ſi omnino contigiſſet, ut aliquis donorum expers in Clerum adſcriptus fuiſſet, ne ſic quidem Deum eccleſiis defuiſſe dicit, cum per ipſam ordinationem nova illi dona collata fuerint. Quamvis autem ex his principiis ſatis a ſe probatum confidat, quod omnes primorum ſeculorum ſcriptores, qui in officio eccleſiaſtico conſtituti eſſent, ſpiritu plusquam humano gaviſi fuerint, ſingulis tamen ſcriptoribus integras eccleſias anteferendas pronunciat, eosque nullibi magis fidem mereri, quam quoties in cauſis fidei, & regiminis eccleſiaſtici, aliisque eccleſiarum omnium communibus, non tam ſuo quam eccleſiæ nomine aliquid proferunt, cum ſingulos homines, quantacunq; alioquin autoritate polleant, ſæpe Deus humanis conſiliis permiſerit, magisque interfuerit, univerſam eccleſiam per ſpiritum propheticum ab errandi periculo tueri. In poſtrema hujus diſſertationis parte multa de miraculis diſſerit, ut ne hac quidem in parte eccleſias ſecundi ſeculi ab Apoſtolicis degeneres eſſe probet, & traditiones illarum fide plusquam humana recipiendas demonſtret. Recenſet igitur præcipua, quæ in primitiva eccleſia obtigerunt miracula, non ea quidem quæ a Sacris N. T. Scriptoribus, ſed quæ ab

aliis

aliis eccleſiæ doctoribus literarum monumentis conſignata ſunt. Id dum facit, multa velut obiter animadvertit, quale eſt, quod de tempore, quo Polycarpus obiit, obſervat. Antequam enim ad ſingularia, quæ in Polycarpi martyrio facta ſunt, miracula accedat, ſententiam Pearſonii, qui Polycarpum non ſub Marco, ſed ſub Pio paſſum ſtatuit, novo argumento confirmat, quod deſumptum eſt ex epiſtola eccleſiæ Smyrnenſis, in qua aliquoties Cæſaris in ſingulari mentio occurrit. Id vero Marci temporibus haud bene convenire Dodvvellus inde probat, quod Marcus fratrem ſuum Verum parem in Auguſtea dignitate collegam habuerit. Mittimus quæ de pſeudo-Chriſtorum ac Pſeudo-Apoſtolorum miraculis ſeu potius præſtigiis adducit, deque criteriis, quibus Chriſtiani vera miracula a falſis dignoſcere potuerunt. A Marci autem Imperatoris temporibus gratias illas extraordinarias non penitus quidem, ſed tamen paulatim ac gradatim defeciſſe docet, & in his imprimis Spiritus *φανερώσεις* baptizatis dari ſolitas, dona linguarũ, donum patefaciendi cogitationes humanas, aliaque hujusmodi; vivaciores tamen fuiſſe gratias, quæ eccleſiæ uſibus maxime inſervirent, & diuturniora fuiſſe miracula, quæ ad ſtabiliendam ſub ethnico Magiſtratu diſciplinam facerent, & quæ martyribus in ſacro agone conſtitutis animos adderent, aut alia ratione ad Dei gloriam eccleſiæ incrementa promoverent. Huc refert varias viſiones, nec non miraculoſas dæmoniacorum aliorumque ſanationes, aliaque miracula quæ ſub Commodi, Severi & aliorum ſecundi & tertii ſeculi Imperatorum ætatem geſta fuiſſe Tertullianus, Theophilus Antiochenus, Origenes aliique Scriptores memoriæ prodiderunt. Inter plura Tertulliani loca, hanc in rem adducta, primus eſt, qui in libro ad Scapulam legitur, ubi Notarii cujusdam meminit, quem a dæmone præcipitatum Chriſtiani liberarunt. Hæc verba Dodvvellus de morbo caduco ſeu regio intelligit, cum hunc morbum dæmoniis tributũ fuiſſe ex Hippocrate conſtet, qui hanc opinionem tanquam erroneam juſto opere refutavit. Nec alios dæmoniacos fuiſſe dicit, de quibus Matth. 17, & Luc. 9. legitur. Ad Hippocratem autem refellendum ſufficere ait, quod ſolerent ſic affecti ejecto dæmone convaleſcere, etſi etiam per medicinam curari potuerint. Narciſſi miraculum dum enarrat, qui, cum in vigiliis paſchalibus lucernæ oleum deficeret, magnaque inde conſter-

conſternatio exorta fuiſſet, hauſtam ex vicino puteo aquam in oleum convertit, eos refutat, qui exiſtimant, olei defectum leviorem fuiſſe cauſam, quam ut inſignem conſternationem in Chriſtianorum animis excitare, aut Epiſcopo miraculi patrandi occaſionem dare potuiſſet. Quibus reſpondet, eo tempore apud Ethnicos & Judæos publici infortunii omen graviſſimum fuiſſe, ſi quo forte caſu ſacri ignes extinguerentur, & hanc opinionem etiam Chriſtianorum, qui e Judæis & Gentibus converſi fuerant, animis inſediſſe, cum ex receptis illius ævi principiis lucem illam ſenſibilem pro Divinæ præſentiæ ſymbolo habuerint, adeoque extinctis hujusmodi luminibus ipſius Divinæ præſentiæ ſubtractionem ominati fuerint. Miraculis illuſtrem fuiſſe Gregorium Neocæſarienſem haud inficiatur quidem Dodvvellus, cum & ſeculum, in quo vixit, & ipſum Thaumaturgi cognomen id ſatis ſuadere cenſeat; non dubitat tamen, quin maxima ex parte conficta ſint, quæ in ejus vita a Gregorio Nyſſeno recenſentur, cum quarti ſeculi Scriptores fabulis addictiſſimos fuiſſe, ex vita Pauli Hieronymiana, Antonii Athanaſiana, item ex Palladii hiſtoria Lauſiaca, & Sulpicii Severi dialogis ac vita Martini abunde intelligi poſſit: unde iſta Gregorii Thaumaturgi miracula prætermittere, quam incertis traditionibus fidem certiorum teſtimoniorum imminuere maluit. Cum autem primitivæ eccleſiæ miraculis, quæ a quarto ſeculo & Euſebii temporibus defeciſſe, vel ſaltem rariſſime contigiſſe, Chryſoſtomi & Auguſtini autoritate probat, nihil magis apud atheos noceat, quam recentiorum fabulatorum τεράϛισματα, quantum inter vetera primitivæ eccleſiæ miracula & recentiorum Scriptorum figmenta interſit, prolixius exponit.

In tertia diſſertatione, quæ in tempora quibus Irenæus natus mortuusque fuerit, inquirit, primum Autor de penuria monumentorum civilium pariter & eccleſiaſticorum ejus, qua Irenæus floruit, ætatis conqueritur. Ex ipſo autem Irenæo colligit, quod ſub Nervæ imperio circa A. C. 97. natus fuerit. Porro cum Irenæus ſe puerum in Polycarpi admodum ſenis contubernio egiſſe memorat, Dodvvellus obſervat, ex Irenæi mente pueritiam ab anno vigeſimo usque ad trigeſimum cenſeri, ac ne cui hoc mirum videatur, alios etiam Autores adducit, qui pueritiam longius, quam fieri vulgo ſolet, extendunt, & in his Hieronymum, qui ſe puerum fuiſſe dicit, quo tempore Julia-

Digitized by Google

nus Apoſtata cæſus eſt, cum tamen eo tempore jam 35 ætatis annum egerit. Imperatorem tum temporis Smyrnæ in Aſia verſatum, cum Polycarpum Irenæus audivit, Dodvvellus non alium quam Hadrianum fuiſſe, eumque ante A. C. 122 in Aſia verſari non potuiſſe ſtatuit, quo tempore Irenæum 25 annorum fuiſſe ſuſpicatur. Diſſerit quoque de hæreticis eodem tempore exortis, indeque Irenæi ætatem ulterius confirmat, quem Juſtino Martyre, cum ejus natalem ad A. C. 119 referendum exiſtimet, natu majorem & a Johannis Presbyteri temporibus non adeo remotum aſſerit. Ut autem Irenæi initia altius quam vulgo ſolet, deduxit: ita etiam extrema ejus tempora a Severi imperio, ſub quo Irenæum plerique paſſum ac mortuum exiſtimant, ad Commodi imperium retrahit, & Irenæum martyrem fuiſſe negat. Obſervat enim a nemine veterum martyrem appellari, cum tamen tanta apud antiquos martyrum veneratio fuerit, ut nunquam ſine martyrii encomio mentionem eorum fecerint: Tertullianum, cum in tractatu adverſus Valentinum Juſtini pariter ac Irenæi meminit, Juſtinum quidem, uon itē Irenæum martyrem cognominare: ignotum fuiſſe martyrium Irenæi Euſebio: Epiphanium, cum toties Irenæum non ſine inſignibus elogiis allegaverit, honorificum martyris titulum nusquam uſurpaſſe: Theodoretum in dialogo 1. ubi Ignatium Hippolytum & Methodium a martyrio commendat, Irenæum nulla martyrii mentione facta tantum Polycarpi diſcipulum & Gallorum lumen appellare, & ſic alios etiam veteres, cum Juſtino, Cypriano aliisque martyris elogium frequenter tribuant, Irenæum tamen hoc elogio nusquam exornare. Non diſſimulat quidem, autorem quæſtionum ad orthodoxos Irenæum expreſſe martyrem appellare, verum reſpondet, autorem hunc eſſe ab Irenæi temporibus remotiorem, & forte Juſtinum Siculum, qui ſub finem ſeculi quinti ſcripſit, unde ob nominis identitatem fieri potuerit, ut hæ quæſtiones in Juſtini Martyris opera irreperent. Ad locum Hieronymi, qui in commentario ad Eſ. LXIV. Irenæum martyrem appellat, regerit, Hieronymum, ſi Irenæum martyrem credidiſſet, aliis etiam in locis & inprimis in catalogo Scriptorum eccleſiaſticorum vel leviſſimam ejus rei mentionem facturum fuiſſe, ideoque veriſimile videri, ab aliena manu in allegato loco cognomentum martyris profectum. Primum ergo ex certis Autoribus, qui

qui Irenæum pro martyre habuerunt, dicit eſſe Gregorium Turonenſem, quem graviſſime hallucinatum obſervat. Dicit enim ille eodem tempore Irenæum paſſum, quo Pothinus Irenæi in Lugdunenſi epiſcopatu anteceſſor paſſus eſt, quo poſito Irenæus nunquam Lugdunenſis Epiſcopus fuiſſet. Quod autem Gregorius Turonenſis Irenæum inter martyres retulit, inde factum Dodvvellus ſuſpicatur, quod in epiſtola eccleſiæ Lugdunenſis & Viennenſis, in qua perſecutionem ſub Marco obortam referunt, aliqua Irenæi mentio occurrat, quem epiſtolæ illius autores *ἀδελφὸν* ſuum & *κοινωνὸν* appellant, quod a lectoribus parum attentis de *κοινωνίᾳ* paſſionum & martyrii intelligi potuit, cum tamen Irenæum perſecutioni illi, quæ ſub Marco contigit, ſuperſtitem fuiſſe, ex rebus ejus poſtea geſtis manifeſtum ſit, e quibus Dodvvellus colligit, vixiſſe adhuc Irenæum A.C. 177. 180. 182. 189. Veriſimile autem exiſtimat, quod Irenæus ante Victoris obitum mortuus fuerit, nec ultra A. C. 190 vixerit, adeoque Severi perſecutionem non attigerit.

Progreditur ad ſcripta Irenæi, initium faciens ab opere adverſus hæreſes, de quo in diſſertatione quarta prolixe agit. Opus hoc quinque libris conſtans ſcriptorum Irenæi omnium primum, neque tamen a juvene, ſed a ſene, nec ſimul & ſemel uno impetu, ſed ſucceſſive elaboratum fuiſſe ſcribit. Primum tamen & ſecundum librum ſimul editos exiſtimat, quibus imprimis titulum *ἐλέγχου καὶ ἀνατροπῆς ψευδωνύμου γνώσεως* deſtinatum fuiſſe cenſet, etſi hic titulus poſtea etiam ſequentibus libris communis fuerit. Virum, quem in hoc opere Irenæus ſuppreſſo nomine nunc Apoſtolicum Presbyterum, nunc *θεῖον πρεσβύτην* & *κήρυκα ἀληθείας* appellat, nunc aliis elogiis deſignat, Dodvvellus Pothinum Irenæi deceſſorem eſſe ſuſpicatur, cujus nomen e myſteriorum diſciplina reticendum cenſuerit, ſicut Hierophantæ, qui ſe Eleuſiniis initiaverat, nomen Eunapius memorare noluit; ex quo fonte etiam cauſam derivat, cur Clemens Alexandrinus, cum tres agnoverit, quorum inſtitutionibus imbutus fuit, neminem tamen iſtorum nominetenus expreſſerit. Amicum, cui Irenæus opus ſuum dedicavit, tutius ignorari quam a fabulonibus cognoſci pronunciat. Neq; enim Pſeudo-Dextro credendum putat, qui amicum illum Irenæi Turibium appellat, & Toletanum epiſcopum fuiſſe tradit. Obſervat præterea, in Valentinianos,

quibus imprimis hoc Irenæi opus oppoſitum eſt, velut in cloacam quandam aut ſentinam antiquiorum omnium hæreticorum ſordes & ſpurcitias profluxiſſe, & emphaſin verborum Irenæi explicat, dicentis (lib. 1. c. 5) Valentinum antiquas hæreticorum doctrinas εἰς ἴδιον χαρακτῆρα μεθαρμόσαι. In primo operis hujus capite non tam ipſius Valentini quam Ptolemæi dogmata recenſeri, & Irenæum iſta hæreticorum myſteria primum evulgaſſe notat, ac de ſcholis Valentini variisque coloniis ex unica illa metropoli deductis plura diſſerit. Inter alia animadvertit, clarum illum Magiſtrum, cujus Irenæus ſeu potius antiquus Irenæi interpres lib. 1. c. 5. meminit, non alium eſſe quam Epiphanem, ac non minus acute quam veriſſime Pearſonium in codicis ſui margine verba iſta Græce reddidiſſe: ἄλλος δέ τις, ὁ καὶ Ἐπιφανὴς διδάσκαλος αὐτῶν &c. cum dubio procul Irenæus in voce ἐπιφανὴς ad nomen Epiphanis alludere voluerit, quem cum Clemens Alexandrinus poſt mortem divinis honoribus cultum apud Samios referat, cultum illum non tam a civibus Samiis, quam ab Epiphanis diſcipulis præſtitum fuiſſe Dodvvellus ſtatuit, & ſimul miratur Salmaſium in notis ad Lampridium negaſſe, quemquam illis temporibus fuiſſe, qui homines pro Diis habuerit, cum tales hominum apotheoſes ex receptis illorum temporum dogmatibus tam frequentes fuerint, ut a gentilibus morem illum homines divinis honoribus proſequendi etiam Carpocratiani didicerint. Tatianum, etſi ſtatim a Juſtini morte aliena ſapere cœperit, & multis deinde annis non exiguos ad hæreſin progreſſus fecerit, propriam tamen ſcholam & ſuo nomine hæreſin non ante quam proxime ante ſuum obitũ condidiſſe aſſerit, tandemq; ex Tatiani aliorumq; hæreticorum ætate Irenæum poſt A C. 174. & ante A. C. 177 ſcripſiſſe concludit. Bardeſanis propterea ab Irenæo nullam mentionem fieri ſtatuit, quod poſt illa tempora Valentinianorum hæreſi adſtipulatus fuerit. Etſi enim Euſebius Bardeſanem Tatiano proxime adjungat, id tamen non aliam ob cauſam factum opinatur, quam quod per Antoninum, ad quem Bardeſanes volumen de fato ſcripſit, Marcum Antoninum intellexerit, cum opus illud potius Antonino Alagabalo conſecratum fuerit. Julium quoque Caſſianum Tatiani diſcipulum, quem Clemens Alexandrinus δοκήσεως ἄρχοντα appellat, Irenæo incognitum fuiſſe ait, cum Caſſianus Tatiano

paulo

paulo junior fuerit, & Tatiani hæreſis Irenæo ſcribente adhuc recens & nupera fuerit. Chronologiæ ſuæ etiam convenire probat ordinem, quo hæreticorum refutatores Tertullianus recenſuit, neque ſententiæ ſuæ obeſſe, quod Irenæus Theodotionis meminerit, qui A. C. 184. Græcam Scripturarum interpretationem vulgaſſe dicitur. Reſpondet enim, quod etſi conſtet, ſub Commodi imperio interpretationem ſuam emiſiſſe Theodotionem, non æque tamen conſtet, quoto Commodi anno id contigerit. Exiſtimat autem Commodi imperium, ſub quo Græcam veteris Teſtamenti verſionem Theodotion edidit, non ab illius monarchia, ſed potius a communi cum Patre tribunitia poteſtate inchoandũ eſſe, & ſic Theodotionem A. C. 175 interpretationem ſuam edidiſſe, Irenæum autem A. C. 176 vel 177 adverſus hæreſes ſcripſiſſe. Reſpondet etiam ad ea, quæ de Heracleonis mentione objici potuiſſent.

In diſſertatione quinta de Latino, qui hoc Irenæi opus tranſtulit, interprete agitur. Quamvis enim Eraſmus aliquando dubitaverit, Græce an Latine ſcripſerit Irenæus, magisque in poſteriorem ſententiam inclinaverit, Dodvvellus tamen pluribus argumentis Irenæum Græcis Scriptoribus accenſendum probat. Inter alia adducit ipſum Irenæum, qui ſtylum ſuum elegantiis deſtitutum excuſat eo præcipue nomine, quod apud Celtas commoretur, & in barbarum ſermonem plerumq; avocetur. Ex his enim verbis clarum eſſe dicit, aliam fuiſſe, qua ſcripſerit, linguam, aliam autem apud Celtas commorantibus in uſu fuiſſe, nempe Barbaram cui Græca opponi ſolet. Ex iisdem verbis concludit, Irenæum etiam natione Græcũ fuiſſe, nec Romanũ eſſe potuiſſe, cum ipſe ille ſermo, quẽ Irenæus Barbarũ appellat, Romanus fuerit. Idem probat, ut cætera argumenta mittamus, ex frequentibus helleniſmis, cum non dubitandum ſit, vocẽ *perexivimus* ex Græca διεξήλθομεν, item phraſin *qui ſunt circa Ptolemæum* ex Græca οἱ περὶ Πτολεμαῖον deſumtam eſſe. Agnoſcit quidem etiam in Tertulliano, Apulejo, Martiano Capella aliisque id genus Scriptoribus crebros helleniſmos occurrere, & præſertim Afros Græcæ Libyæ vicinos & Romanis tamen coloniis frequentiſſimos hybridum & ex utroq; conflatum ſermonem contraxiſſe; obſervat tamen, eos ſtyli non ſophiſtici, ſed idiotici helleniſmos ad verbum convertere. Ne quis autem cum Feuardentio dicat, eundem eſſe ope-

ris hujus & Autorem & Interpretem, cum Irenæus quæ prius Græco idiomate pereleganter ſcripſerat, poſtea cum pari ſermonis felicitate Latinis impertiverit; reponit Dodvvellus, Tertullianum Irenæi verba longe aliter allegare ſolere, quam in hodierna Irenæi verſione extant, idque indicio eſſe, Tertulliani ævo nondum Latinam aliquam Irenæi verſionem extitiſſe. Primum qui eam uſurpavit, notat eſſe Auguſtinum, qui in libris adverſus Julianum dicta quædam ex Irenæo allegavit, quæ cum vulgata Irenæi verſione ſatis conveniunt, etſi Auguſtinus hanc Irenæi verſionem pro originali ejusdem textu habuerit. Suſpicatur igitur Dodvvellus, poſt annum 385 occaſione Priſcillianiſtarum hanc Latinam Irenæi verſionem elaboratam, ejusque autorem Hiſpanum aliquem aut Gallum eundemque nec Græcæ linguæ nec Latinæ ſatis peritũ fuiſſe, & extinctis jam Priſcillianiſtis hujus etiam operis uſum paulatim exoleviſſe, paucosque emptores & qui tædium exſcribendi ſuſciperent, reperiſſe, indeque tantam Latinorum exemplarium paucitatem enatam, ut nulla ſua ætate Gregorius M. etſi ſtudioſe quæſita reperire potuerit, cum vice verſa Græci Irenæum tam frequenter allegaverint, ut magnam Græci textus partem his fragmentis debeamus. Eoque magis miratur, quod hodie in univerſo orbe ne unicum quidem Græci codicis exemplar ſuperſit, cum tot Latinos codices habeamus, etſi in plerisque Latinis codicibus extrema capita ob aſſertum chiliaſmum truncata fuerint. In fine hujus diſſertationis diſſerit de partitione capitum eorundemque ſummariis, quæ a recentioribus librariis adjecta conjicit.

In ſexta diſſertatione, quæ hujus voluminis ultima eſt, ad reliqua Irenæi ſcripta pergit, & primum de epiſtola ad Blaſtum ac duabus epiſtolis ad Florinum agit, quarum prior de monarchia, poſterior de ogdoade inſcripta fuit. Refutat autem Baronium exiſtimantem, quod Florinus & Blaſtus Irenæo occaſionem dederint opus adverſus hæreſes ſcribendi, & qualis Florini hæreſis fuerit, quantumque Blaſtus vel cum eo convenerit, vel ab eo diſcrepaverit exponit, & quo tempore Irenæus adverſus Florinum & Blaſtum ſcripſerit inquirit. De oratione Irenæi adverſus Græcos obſervat, Chriſtianos Iſocratem, Ariſtidem aliosque gentilium Sophiſtas hujusmodi orationibus æmulari voluiſſe, cum præſertim communitates aliis quam ſcriptis orationibus alloqui non potuerint; Græcis Chriſtia-

nos

nos ejusmodi orationes dicaſſe phraſi e Judæorum ſtylo deprompta, qui omnes non Judæos Græcos appellabant, ad quorum imitationem etiam Chriſtiani tanquam ſpirituales Iſraelitæ omnes non Chriſtianos pro Græcis habuerint; ſermonem iſtum Judæorum ortum ſuum debere temporibus imperii Macedonici, quibus Judæi a plerisque civitatibus Macedonicis in civitatum jura admiſſi, unde factum, ut duplici hominum genere civitates illæ conſtarent, uno Judæorum, & altero non Judæorum qui promiſcue Græci appellati; ſermonem iſtum a Macedonibus cœptum etiam dominantibus in oriente Romanis adhuc duraſſe, quod lingua Macedonum Græca etiam Romanis imperantibus in oriente obtinuerit, idque in rixis ſuis Helleniſticis Salmaſium non vidiſſe, cum Heinſii potius opprimendi, quam veritatis ſtudio laboraverit; ab hac Irenæi oratione non diverſum eſſe tractatum περὶ ἐπιστήμης, ut Hieronymus putavit, ſed Irenæum orationi ſuæ hunc titulum dediſſe, quod Philoſophorum ſcientiam in ea impugnarit, omniaque fidei tribuerit. Circa λόγον Irenæi εἰς ἐπίδειξιν ἀποστολικοῦ κηρύγματος obſervat, occaſionem huic operi dare potuiſſe varia illius temporis ſcripta, quæ ſub Apoſtolorum nomine edita fuerunt, & imprimis Petri evangelium, quod Epiſcopus Antiochenus Serapion apud ſenem ſibi coævum Marcianum reperit. Et hunc ipſum Marcianum ab eo Marciano non diverſum eſſe Dodvvellus ſuſpicatur, cui Irenæus hunc tractatum nuncupavit. Ex eo autem quod Irenæus hunc Marcianũ fratrem ſuum appellat, colligit, quod eo tempore, cum Irenæus iſta ſcriberet, ab eccleſiæ communione nondum alienus fuerit Marcianus, etſi forte jam novitatibus quibusdam ſtudere cœperit. Ad librum Irenæi, qui διαφόρων διαλέξεων titulum geſſit, devolutus de Irenæi ſchola agit, in qua ipſum traditiones præſertim apoſtolicas docuiſſe judicat, quales etiam in Hippolyti didaſcalia extare ſuſpicatur, quam ex bibliotheca Vindobonenſi aliquando in publicam lucem emitti ſemel atque iterum exoptat, eadem occaſione traditionum apoſtolicarum etiam de Caji libro περὶ τῆς τοῦ παντὸς οὐσίας non nulla diſſerens. De Irenæi ad Victorem epiſtola cum agit, rationem explicat, cur in controverſia paſchali Aſiani tam paucos aſtipulatores invenerint, & pleræque provinciæ etiam orientales Victori adhæſerint, cum tamen Romani morem nec ab Apoſtolis acceptum, nec adeo vetuſtum tuerentur, cum vice verſa Aſiani traditionem

ditionem apoſtolicam præ ſe ferrent. Cauſam ejus rei in novis Romanorum coloniis quærit, poſt horrendam Judæorum ſtragem ab Hadriano deductis, cum quibus etiam Romanos ritus propagatos arbitratur. Epiſtolam eccleſiæ Lugdunenſis & Viennenſis, cujus bonam partem hiſtoriæ ſuæ inſeruit Euſebius, ab Irenæo ſcriptam pridem cenſuit Valeſius, cujus conjecturam non improbabilem eſſe Dodvvellus noſter judicat. Singulare opus adverſus Marcionem ab Irenæo quidem promiſſum agnoſcit, verum cum nemo veterum illud opus a ſe viſum memoret, haud immerito dubitandum cenſet, an unquam Irenæus promiſſis illis ſteterit. Poſtremo ad illuſtrandam hiſtoriam ſcriptorum Irenæi duo loca explicat, unum Photii, dicentis Hippolytum Irenæi diſcipulum juxta præceptoris ſui ductum adverſus duas & triginta hæreſes ſcripſiſſe, alterum ipſius Irenæi promittentis ſe omnibus hæreticis ſecundum ipſorum characterem contradicturum.

Dicendum etiam aliquid de appendice, quæ exhibet Philippi Sidetæ fragmentum ex MSC. codice Barociano depromptum, & antea ineditum. Non tamen ipſa Philippi verba hoc fragmentum exhibet, ſed alicujus, qui Philippum excerpſit, quod a Nicephoro Calliſto factum ex antecedentibus & conſequentibus MSC. illius codicis excerptis Dodvvellus colligit. Quod autem Nicephorus in hiſtoria ſua eccleſiaſtica locum illum non attigerit, inde contigiſſe putat, quod ſerius & ſcripta jam hiſtoria in illum inciderit. Complectitur autem illud Sidetis fragmentum ſucceſſionem Catechetarum Alexandrinorum. Primus, qui ſcholæ Alexandrinæ præfuit, juxta Philippum fuit Athenagoras, quem ſub Hadriano & Antonino floruiſſe dicit, & mirabili Dei virtnte Saulis inſtar converſum refert, cum Scripturam Sacram animo Chriſtianos impugnandi perluſtraſſet. Athenagoræ diſcipulus juxta Philippum fuit Clemens Alexandrinus, & Clementis Pantænus, etſi Euſebius Clementē Pantæni diſcipulum faciat. Pantæno ex Philippi mente ſucceſſit Origenes, Origeni Heraclas, Heraclæ Dionyſius, huic Pierius, Theognoſtus, Serapion, Petrus martyrio illuſtris, Didymus & Rhodon, qui Philippi Sidetæ temporibus in ipſam Philippi urbem Siden imperante Seniore Theodoſio ſcholam illam tranſtulit. Hoc fragmentum Dodvvellus brevibus quidem, ſed eruditis obſervationibus illuſtrat. Appendici huic

Digitized by Google

huic ſubjungitur Synopſis Chronologica rerum hiſtoricarum, quæ in his Dodvvelli diſſertationibus occurrunt, cum addendis nonnullis & emendandis, de quibus prolixitatis vitandæ cauſa nihil addimus, optantes, ut reliquæ Viri Clariſſimi ad Irenæum diſſertationes propediem edantur.

ΤΟ ΚΑΤΑ ΤΕΣΣΑΡΑΣ ΕΥΑΓΓΕΛΙΟΝ, *of, Overeenſtemminge der Evangelien.*

id eſt,

Harmonia Evangeliſtarum; autore Florentio de Bruin, Miniſtro J. C. Schelluinenſi.

Dordraci, apud Theod. Goris, 1690, in 8. Plag. 42.

SPecimen hoc eſt majoris operis, quo totam hiſtoriam Chriſti e quatuor evangeliis pertexuit Autor, quodque publico non invidebit, ſi, de quo non dubitamus, gentilibus ſuis Belgis probari hoc ἀποσπασμάτιον animadverterit. Incipit id a præfatione Lucæ, & in primo Chriſti paſchate a Johanne annotato deſinit. Nec tantum in unum contextum Bruinius redegit, quicquid quatuorviri illi θεόπνευστοι, in ſuo quisque libro, memoriæ prodiderunt, ac in breviora capita diſtinxit; ſed & auxit Notis philologicis, quibus tum coagmentationis ſuæ rationes reddidit, tum claram ubivis lucem vocibus periodisve obſcurioribus affudit. Nos, ubi opus totum adſpexerit lucem, anſam plura de eo dicendi arripiemus.

TRAITE' DE LA LUMIERE &c.

id eſt,

Tractatus de Lumine, autore Chriſtiano Hugenio Zeelhemii Toparcha. Acceſſit Diſſertatio de cauſa gravitatis.

Lugduni Bat. apud Petrum vander Aa, 1690, in 4.

PRimam doctiſſimi hujus Operis partem menſe proximo Octobri pag. 481. ſqq. exhibuimus. Ad ſecundam, de qua nunc di-

Digitized by Google

cendum, quod attinet, verſatur illa in vera gravitatis cauſa indaganda. Primum ergo celeberrimus Autor candide fatetur, ea, quæ *Carteſius* de cauſa gravitatis meditatus eſt, licet non omni ex parte cum veritate conſentiant, viam tamen ſibi muniviſſe, ut eo, quo cogitabat, perveniret; licet forſan ſua quoque hypotheſis non plane nulli objectioni ſit obnoxia, quoniam difficillimum ſit, in hiſce rebus ſummam illam certitudinem, quæ Geometrarum demonſtrationibus propria eſt, aſſequi. Non dubitat quoque, multos fore, quibus non adeo nova ſit adparitura ſua de gravitate hypotheſis, quippe cum ante bene multos annos præcipuum experimentum huc faciens, ejusque ad gravitatem adplicationem, cum *Rohaulto* communicaverit, quæ ipſe poſtmodum in Tractatum ſuum Phyſicum retulerit, non diſſimulato Autoris nomine. Sed cum illo in loco ſua pariter atque Carteſii cogitata Hugenianis admiſcuerit, & plura omiſſa fuerint ad legitimam hujus hypotheſeos declarationem ſpectantia, non piguit Autorem, rem totam, prout illam animo conceperat olim, ab ovo, quod ajunt, exponere. Commemorat ergo, ut vaſi rotundo, cujus fundi ſuperficies candidi coloris nullisque aſperitatibus inæqualis erat, aquam infuderit, injectisque fruſtulis quibusdam ceræ Hiſpanicæ, qua literæ obſignantur, operculo vitreo illud muniverit, & rotundæ tabulæ impoſitum circa axem continuo converterit, donec in motum quoque ſatis acta videretur aqua vaſe contenta; tandem vero repente ſuo in motu ſtiterit commemoratum vaſculum. Hic ergo animadverſum fuit, fruſtula ceræ Hiſpanicæ, citius in motum concitata quam aquæ particulas, a centro verſus circumferentiam vaſis fuiſſe abrepta illique adhæſiſſe; ſed cum vaſculo quies reddita fuiſſet, aquam in motu perſeverantem atque vincentem fruſtulorum a centro recedendi conatum, illa denuo a circumferentia ad centrum detruſiſſe. Ab hoc ergo tentamine maximam ſententiæ ſuæ, quam de cauſa gravitatis corporum habet, veriſimilitudinem conciliat Autor doctiſſimus. Statuit enim dari quandam in hac rerum univerſitate materiam, quæ (1) & ſubtilis ita ſit, ut omnium corporum poros poſſit pervadere, & (2) tam rapido feratur motu, ut curſum circa terræ ſuperficiem unius horæ & 24½ minutorum ſpatio poſſit abſolvere, & tandem (3) moveatur ita, ut non deſcribat circulos Æquatori parallelos, ſed quaquaverſum
liberri-

liberrime gyris ſuis excurrat. Ex hiſce vero ſuppoſitis, quæ ratione ſimul atque experientia probare ſatagit, deinde deducit, gravia corpora verſus terræ centrum propelli; actionem gravitatis interpoſitu interjectuque nullius corporis impediri; omnes corporis cujusque partes ad totius gravitatem conſtituendam facere; & gravia tandem deorſum cadentia, ſecundum leges vulgo receptas augere ſuam velocitatem: quæ quidem ſunt præcipuæ gravitatis affectiones. His vero quamvis aliam adhuc nonnulli addiderint, quod nempe gravia, quocunque in terræ loco conſtituta, ſint ejusdem momenti; falſi tamen illorum opinionem convicerunt obſervationes in Inſula Cayenne & Guadaloupe, per horologia oſcillatoria Hugeniana peractæ, quippe cum pendula breviora reddenda fuerint illis in locis, ut exacte tempus metirentur. Quocirca inquirit Autor in hujus ſingularis phænomeni rationem, eamque ex hypotheſi terræ diurno motu circa axem converſæ deducit. Cum enim terra converſione hac nitatur excutere atque projicere a ſe corpora, non poteſt, quin aliquid hoc pacto de corporum gravitate decedat; ſed quia niſus hic inæqualis eſt, eoque major, quo propius ad Æquatorem acceditur; hinc & corpora, pro diverſa ab Æquatore diſtantia, nunc graviora nunc leviora ſunt, leviſſima autem ſub Æquatore, & ſub Polis graviſſima. Porro quantum de longitudine penduli, quod Pariſiis ſub ipſum Æquatorem transfertur, demendum ſit, indagat, regulamque facilem pariter atque univerſalem condit, qua eadem res quoad ſingula loca, a priori poteſt calculo determinari, quæ etiam non multum abludit ab experimento, quod Dn. *Richer* in Cayenne Inſula cepit. Ex hoc autem rationis & experientiæ conſenſu hæc derivantur conſectaria: (1) terram revera circa axem diurno motu circumvolvi, (2) lineam directionis perpendiculorum ſibi relictorum, non, ut vulgo creditum fuit, in terræ centrum cadere, & (3) terram non ſphærica, ſed ſphæroidea gaudere figura. Illa autem ſua in ſententia maxime deinde confirmatus fuit a Diario itineris, quod auſpicio Directorum Societatis Indiæ Orientalis ſuſceptum fuit, & in quo horologiorum ejus a Promontorio usque Bonæ Spei periculum factum fuit; cum deprehenderet, ratiocinia ſua cum experientia ſatis amice conſpirare. Poſtquam vero ei accuratiſſimum Nevvtoni Opus de Principiis Philoſophiæ naturalis

Mechanicis inſpiciendi facta eſt copia, occaſionem hinc arripuit ulterius perſcrutandi ac ſpeculandi figuram terræ undique in ſeſe nutibus ſuis conglobatæ, ut ſcilicet curvæ illius naturam determinaret, ex cujus circumactu figura terræ generaretur. Accedit autem terra, ex ipſius ſententia, ſatis prope ad figuram corporis ſphæroidis, orti ex converſione ellipſeos circa diametrum minorem, ita quidē, ut differentia inter ſemidiametrum ellipſeos minorem & majorem ſit $\frac{1}{578}$ ſemid. majoris, atque adeo terræ corpus paululum aſſurgat circa Æquatorem, circa Polos vero deprimatur. Porro hypotheſin ſuam de corporum gravitate àd totum ſyſtema Planetarum traducit, prout quidem illud a *Newtono* proponitur. Quamvis enim jam olim ſuſpicatus fuerit, Solis rotunditatem ex hypotheſi ſua poſſe derivari, cum facile concipere liceat, a ſimili materia in orbem acta Solis partes omnes ad centrum ejus propelli; fatetur tamen, a Nevvtono alias rationes allatas fuiſſe, quæ ipſum magis magisque in hac ſententia confirmaverint; cum non ſolum motus ellipticus Planetarum, quem *Kepplerus* ſolerti conjectura invenit & obſervationibus probavit, hinc demonſtretur, ſed etiam ſolutiones faciles problematum difficillimorum, cur nempe Planetæ non mutent eccentricitates, Sol ſit Planetarum centrum, &c. petantur, quas a Carteſianis Vorticibus fruſtra requiras. Sed cum Dominus Nevvton paulo aliis principiis uſus fuerit ad easdem concluſiones ſtabiliendas, neque fugerit Autorem, quanto eruditis in pretio, merito ſuo, habeatur opus Nevvtonianum, ideo refellit objectiones quasdam, quæ ex dicto libro contra ſuam hypotheſin de gravitate poſſent depromi. Deinde calculo definit, quam gravitatem ſentiant Saturni & Jovis, ſi qui tamen ſint, incolæ, reſpectu ejus quæ terricolis eſt ſenſibilis; & cum eadem gravitas in ſuperficie corporis Solaris vicies ſexies major ſit hac noſtra, efficit hinc, materiam ſubtilem Solem circumeuntem quadragies novies celerius in orbem rapi, quam illam, quæ terram ambit, atque hanc etiam conjicit eſſe cauſam luminis Solaris tanto fulgore omnium oculos perſtringentis. Tandem hanc diſſertationem concludit iis, quæ Nevvtonus de reſiſtentia medii ratione corporum projectorum attulit, recenſetque, quid ſibi olim de eadem materia meditanti in mentē venerit. Hac itaq; occaſione non ſolum quadraturā hyperbolæ per infinitas ſeries profert in medium, quæ analoga eſt quadraturæ circuli, quam a celeberrimo Viro G. G. *Leibnizio* acce-

ptam

Digitized by Google

ptam ad Acta Eruditorum anni 1682. p. 41. ſqq. retulimus, imo gemina plane & conſentanea illi Arithmeticæ Hyperbolæ Quadraturæ, quæ dicto in loco proponitur; ſed etiam ſingulares quasdam proprietates lineæ Logarithmicæ demonſtrat.

CRITIQUE DES PREJUGEZ DE Mr. JURIEU contre l' Egliſe Romaine, par l' Abbé Richard.

id eſt;

Abbatis Richardi Critica ſive Examen Præjudiciorum a D. Petro Jurio Eccleſiæ Romanæ oppoſitorum, ut & Appendicis Libri ejusdem de Implemento Prophetiarum.

Pariſiis, apud Eliam Joſſet, 1690, in 4. Plag. 80.

SI dictum Auguſtini *Lib. II. de Mor. Man. c. ult.* ab hujus operis Autore *cap. IV. pag. 12.* allegatum, omnes controverſiarum tractatores obſervare voluiſſent, modus hic per Præjudicia diſputandi fortaſſis non invaluiſſet. Monet autem magnus ille Eccleſiæ ſui ſeculi Doctor, *non oportere quæri, quales ſint homines, qui ſectam aliquam profitentur, ſed qualis ſit ipſa profeſſio.* Ex qua vero parte initium factum fuerit odioſiſſimæ de perſonis & moribus concertationis & criminationis, & qui Scriptores primis ab orto ſchiſmate annis hanc potius viam inire amaverint, quam ad dogmatum fundamenta, ſecundum vera principia examinanda, ſeſe ſerio & candide convertere, nemini obſcurum eſſe poteſt. Noſtro tempore *Antonius Arnaldus*, Doctor Sorbonicus, ob pugnacitatem non minus, quam ob eruditionem & eloquentiam, toti literatorum orbi notiſſimus, qui & multas Actorum noſtrorũ paginas ſcriptorum ſuorum relatione occupavit, methodum illam magno cum fervore renovavit, edito *Præjudiciorum contra Calvinianos*, quos vocat, ante annos fere viginti libro acerrimo, cujus, cum recuſus eſſet, compendium *Actis A. 1683. p. 438.* & ſqq. inſeruimus, ſtatimque refutationem a celeberrimo tunc in Gallia Reformatæ doctrinæ Theologo, *Joh. Claudio*, compoſitam ſubjunximus *p. 443. & ſqq.* Cùm vero hic majorem operam

 in de-

Digitized by Google

in defendendis Reformatis, quam in accuſandis adverſariis poſuiſſet, *D. Petrus Jurius*, haud minus probatus inter Reformatos autor, A. 1685 Præjudiciis Præjudicia, edito juſto volumine, (in *Actis 1685. p. 522. & ſqq.* a nobis relato) oppoſuit. Adverſus Jurium igitur *Richardus* Abbas, (de quo, quod lectoribus indicari poſſit, nihil habemus, Arnaldi tamen ſtudia & opiniones in eo facile agnoſcimus) excitari ſe, ut in præloquio ſcribit, ab amicis paſſus eſt; quanquam de Jurii opere judicet, quod ex acerbis ſolum convitiis adverſus Eccleſiam Romanam ſtylo declamatorio conflatum ſit, argumentorum vero pondere & ſoliditate careat, ac ex propriis ſuis principiis deſtrui & præterea de narratorum, quanquam nihil ad ſcopum facientium, falſitate convinci facili negotio poſſit. Promittit tamen modeſtiam ſtyli, a Jurio quidem, ut queritur, non ſervatam; hujus tamen honeſtatem quandam laudat, quod cum opus hoc caſu ſingulari, dum in typographiam deferendum eſſet, in manus ejus perveniſſet, ab ipſo tamen comiter & fideliſſime redditum ſit. Quod contenta Criticæ hujus attinet, propoſitum, quod in præfatione indicavit, adverſarium ex principiis ſuis oppugnandi, *Libro primo* ſecutus eſt Autor, capitibus XIII id agens, ut oſtendat, ex præjudiciis, Romanæ Eccleſiæ a D. Jurio oppoſitis, minime ſequi, quod is demonſtrandum ſumſerit, ſed Opus ejus cauſæ Reformatorum potius nocere; ut adeo parum conſulte ad hoc diſputationis offenſivæ genus tranſierit, rectiusque facturus fuiſſet, ſi intra defenſionis terminos ſeſe continuiſſet. Acceptat Abbas ante omnia confeſſionem Jurii, quod Romana Eccleſia ſit Chriſtiana, & cultum habeat ſpiritualem & rationalem, dum preces, gratiarum actiones, hymnos, cantica, prædicationem verbi divini, & ſacramenta a Chriſto inſtituta retinuerit. Licet igitur Jurius inter Papiſmum & religionem Chriſtianam diſtinguat, & illum in vanitatibus, ſuperſtitionibus & corruptionibus conſiſtere dicat, atque eatenus eum oppugnandum ſumat; nihil tamen efficere eum exiſtimat Autor, quia, ſi maxime abuſus omnes probaverit, ex ejus tamen hypotheſi nihilominus Eccleſiam Romanam veram & Chriſtianam manſuram, & ſeparationem ab ea factam a ſchiſmatis crimine immunem non fore, appareat: multo minus autem ſcopum teneri, cum pleraque falſa ſint, quæ objecerit, aut pro abuſibus haberi non debeant, certe ut præjudicia allegari non

Lib. I. cap. I. 2.

Digitized by Google

ri non poſſint, quæ ut dogmata defendat Eccleſia Romana. Re- cap. 3.
prehendit inde Jurii dictum, quod religionem Romanam non ex Epiſcopi Meldenſis *Expoſitione*, aut ſimilibus Scriptoribus, errores, ut ait, incruſtantibus, ſed ex illis, quos Gallice *outrés* vocat, violentis nempe & præfractis abuſuum defenſoribus æſtimandam eſſe ſcripſerit. Contendit enim Autor, Boſſuetum veram & genuinam religionis Romanæ ideam efformaſſe, a Clero Gallico, & demum ab ipſo Pontifice approbatam. Axiomata inde ſeu principia quædam præſtru-
it, puta, quod res non ſit cenſenda ex abuſu, nec ob eum rejicienda; 4.
quod tolerantia alicujus mali non ſit ejus approbatio; quod defectus alicujus ſocietatis non ſint exagitandi, diſſimulatis ejus bonis & utilitatibus, neque a ſocietate per ſe bona ſolummodo propter abuſus diſcedendum; denique quod de puritate & ſanctitate cœtus non ſit judicandum ex opinionibus aut actionibus ſingulorum, ſed ex profeſſione publica, & fundamento legum quas ſequitur. Hæc non
dubitat ab ipſo Jurio agnoſci, & ex admonitione, quam is *Libro de* 5.
præjudiciis præmiſit, multa excerpit, per quæ iſta principia & ſequelæ eorum ſtabiliri videantur. Jurium enim palam fateri ait, quod in veterem & primitivam Eccleſiam corruptelæ maximæ irrepſerint, & quod hodie corruptiſſimus ſit ſtatus Eccleſiarum Proteſtantium, & quod e contrario Janſeniſtæ aliique ſapientiores methodum Boſſueti probent, & abuſus atque exceſſus Eccleſiæ Romanæ condemnent. Monet etiam, quam vehementer a ſcopo aberret Jurius, cum præjudicia proponi a ſe dicat, omiſſa dogmatum diſcuſſione, poſtea tamen magna ex parte nil aliud pro præjudiciis venditet, quam ea
ipſa, de quibus controvertitur, dogmata. Dum vero hæc non ne- 6.
gat, ſed defendit Eccleſia Romana, manifeſtum eſſe dicit, quod inter præjudicia recenſeri non poſſint; ſi vero revera abuſus quidam demonſtrentur, illi vero, fatente Jurio, ab optimo quoque in Eccleſia Romana improbentur, fruſtra utique illos allegari, cum imputari Eccleſiæ nequeant, neque horum cauſa ſeparatio fieri debeat. Ex principiis enim Jurii certum eſſe putat, quod in Eccleſia, etſi plurimis abuſibus corrupta, nihilominus ob retenta dogmata eſſentialia numerus quidam electorum ſemper inveniatur & ſalvetur: unde neceſſe ſit, Eccleſiam illam veram eſſe & minime deſerendam; multo minus vero (itidem concedente Jurio) id fas eſſe ob morum depravatio-

vationem, cum hanc Eccleſia ne in Pontificibus quidem defendat.
cap. 7. 8. Monſtrat porro, ſi Eccleſia Romana, ut Jurius haud veritus ſit cri-
minari, in ſynagogam Satanæ degeneraverit, manente tamen ſtatu
illo dogmatum, quem Jurius agnoſcit, & ſtantibus principiis, quæ
utrinque probantur, idem dicendum fore de Eccleſia Iſraelitica, imo
de Chriſtiana etiam primorum & puriſſimorum ſeculorum; unde
ſequatur, quod licita & neceſſaria ab utraque fuiſſet ſeparatio; & pro
ea allegari poſſe omnia vitia & defectus, quos Apoſtoli cœtibus, ad
quos ſcribunt, objiciunt; multo magis id locum habiturum fuiſſe in
9. 10. Eccleſia Græca poſteriori, & denique in cœtibus Proteſtantium ipſis,
quorum corruptelas per omnes ordines tam graviter taxaverit Jurius.
Congerit præterea Autor, quicquid ille de dogmatibus orthodoxis,
11. & de pio & ſpirituali cultu in Eccleſia Romana agnovit & prædica-
vit, & inde concludit, librum Jurii magnam utilitatem afferre Ro-
manæ Eccleſiæ, neque eam pro Antichriſtiana haberi poſſe, cum
12. eſſentialia teneat, quæ per abuſus aut additamenta non tollantur. Cum
autem indubitatæ ſit veritatis, quod in vera Eccleſia ſanctitas morum
neceſſario reperiatur, ſi non in omnibus (quod ſperari non poſſit,
nec promiſſum ſit,) ſaltem in quibusdam, neque tamen Jurius auſu-
rus ſit dicere, quod nemo ſanctus in Eccleſia Romana unquam fue-
rit, aut adhuc inveniatur; manifeſtum hinc eſſe, quod vera ſit Ec-
cleſia, utpote quæ ſanctos gignat & alat liberos, triticumque purum
habeat, licet magnus in ea ſit zizaniorum ſive malorum numerus.
Hæc qui negent, & toti Eccleſiæ Romanæ mores malorum in externo
ejus cœtu verſantium imputent, Manichæos imitari dicit, iisque di-
ctum Auguſtini Lib. I. de Mor. Eccl. Cath. c. 34 opponit, quo illos
repreſſit: *Deſinatis Eccleſiæ Catholicæ maledicere vituperando mores*
hominum, quos ipſa condemnat, & quos quotidie tanquam malos filios
corrigere ſtudet. Iſtorum jejunia (ita verba Auguſtini ad Manichæos ap-
plicat Proteſtantibus) *veſtris jejuniis, caſtitati caſtitatem, veſtitum ve-*
ſtitui, epulas epulis, modeſtiam modeſtiæ, charitatem denique charita-
ti, &, quod res maxime poſtulat, præcepta præceptis conferte. Able-
gat eos ad famoſam illam Eraſmi ad *Gerardum Noviomagum*, (quem
Vulturium Neocomum nominavit) epiſtolam (Lib. XXXI. 47.) in qua
mores Evangelicorum acerrime vituperantur. Ea autem tantopere
placuit Autori, ut ejus Gallicam verſionē fini hujus operis ſubjecerit.

Addit

Addit multa ex Scripturis & Patribus,quæ eodem tendunt, nempe ut ob paucitatem ſanctorum, & quod grana inter paleas, licet aliquando occulta, ſuperſint tamen, de Eccleſiæ veritate dubitare aut ſchiſma moliri non liceat. Subjungit etiam Reformatorum Doctorum testimonia, & inprimis Calvini *Lib. I. contra Pighium* ſcribentis: *non adeo moroſos eſſe Proteſtantes, ut ob morum vitia, etiam graviſſima, ſcindendam eſſe duxerint fidei unitatem.* Hoc argumentum, breviter licet tractatum, pro primario habendum eſſe, haud dubium eſt; ideoque paulo prolixius ex libro Autoris primo, qui vix decimam operis partem conſtituit, expoſitum ſiſtimus, cætera, quantum materiæ copia patitur, brevius enarraturi. cap. 13.

Liber ſecundus, per ſexaginta capita diffuſus, in deſtruendis novendecim præjudiciis, a D. Jurio Romanæ Eccleſiæ objectis, operoſe laborat. Incipit a diſputatione de Eccleſia, quæ omnium de religione controverſiarum *alpha* & *omega* eſt. Rejicitur inprimis ſingularis Jurii definitio, quam in principio tractatus de Præjudiciis propoſuit, operoſe vero in ſyſtemate de Eccleſia (cujus compendium in Actis A. 1686. pag. 142. 182. exhibuimus) explicavit, cujus mentionem in hac refutatione omitti miramur. Notari meretur obſervatio *Richardi* de definitione Eccleſiæ a *Bellarmino* tradita, in qua Pontifex dicitur *unus vicarius Jeſu Chriſti.* Ait enim, hanc vocem *unus* non idem ſignificare, quod *unicus*, ſed ita accipiendam, ut non excludantur Epiſcopi, cum & hi dici poſſint vicarii Chriſti. Sed quam controverſum id ſit, Romæ potiſſimum, dudum obſervatum eſt. Succedit diſputatio de *infallibilitate Eccleſiæ*, quam vane jactari a Pontificiis ſtatuerat Jurius, *primum*que *Præjudicium* inde collegerat. Sed Richardus contrarium aſſerit, & multiplicis paralogiſmi & contradictionis reum facere vult adverſarium. Acrior eſt in repellendo *ſecundo* præjudicio, *de conformitate Eccleſiæ Romanæ cum Antichriſto.* Hanc imputationem pro viſione fanatica habet, & alios, inprimis *Hugonem Grotium*, in contrarium adducit. Urget maxime, quod, excepto Anglo quodam, itemque Huſſo & ſocio ejus, nemo unquam de Papa intellexerit, quæ de Antichriſto in Apocalypſi leguntur. Senſum itaque locis illis tribuit, quem tribuere ſolent plerique Romanæ Eccleſiæ Doctores, Antichriſtum, quod homo futurus ſit ſingularis, & tribus annis ac dimidio graſſaturus,

Lib. 2. cap. 1.

2.

3.

Digitized by Google

deſcribentes. Luſum etiam, ut ait, luſibus opponens, ex numero apocalyptico 666, addita litera una, *Lutheri* nomen, vel Gallica hæc verba, *le miniſtre à la reforme* (miniſter ad reformationem) efficit. Quanquam vero ad controverſias ipſas, non ad præjudicia pertinecap, 4. ant, quæ de characteribus Antichriſti diſceptantur, Autor tamen eos examinat, & inter alia negat, invocationem Sanctorum aliam in Eccleſia Romana inveniri, quam quali Paulus uſus ſit, fidelium viventium interceſſionem ſive preces petens. Quis ſit *homo peccati & filius perditionis* II. Theſ. II. 3. prædictus, cum Auguſtino vult ignorare, & acerbe inſectatur Jurii applicationem ad Pontifices.
5. 6. 7. 8. Idem facit in explicatione reliquorum capitum Apocalypſeos & prophetiæ Danielis. De tribunali *Inquiſitionis Romanæ*, quod ut
d. c. 6. Antichriſtianum culpat Jurius, reſpondet, illud non eſſe Eccleſiæ,
pag. 107. ſed Curiæ Romanæ tribunal, & a Gallis nullatenus agnoſci. Addit octo obſervationes, quibus evincere conatur, nova eſſe illa tribunalia, & in medio demum ſeculo XIII. contra hæreſes erecta; negat etiam infallibilia eſſe, ſeu quoad fidem, ſeu quoad facta aut mores. Decreta eorum admitti poſſe concedit, ſi conformia ſint doctrinæ Patrum & Sacræ Scripturæ, nequaquam vero his præferenda. Sæpe ait falli in judiciis de facto & de libris, & neminem obligari, ut iis cœca fide obſequatur; imo ſi Inquiſitores non ſint, ut ex Eymerici inquiſitoris libro loquitur, *ſacra doctrina fidei eminenter eruditi & virtutibus circumfulti*, decreta eorum ut abuſiva & ſubreptitia rejici debere. Semper ergo diſtinguenda eſſe hæc tribunalia ab Eccleſia Romana. Hæc ſi cenſoris Mechlinienſis Cuyperi, cujus approbatio libro huic præfixa eſt, oculos effugerunt, vix latebunt Romanos librorum judices, multoque minus illis placebunt. Quoniam autem Jurius *tertium præjudicium* ex teſtimoniis autorum collegit, qui vaticinia de Antichriſto Pontificatui Romano applicarunt, ad ſingula
9. reſpondet Richardus, nominatim ad duo loca Hieronymi, & plura
10. Gregorii Papæ, quem Sanctum vocant; dein ad alia ad ſeculum us-
11. que XIV; denique etiam ad reliqua ad XVI. usq; ſeculum. Subjungit obſervationes quatuor: (1) quod neque ex prioribus tribus, neque ex omnibus, quæ ſecuta ſunt, ſeculis teſtes produci poſſint cum interpretatione Jurii conſentientes. (2) Quod Hieronymus & alii, qui de Pontificibus queſti quandoque ſunt, de Antichriſto longe aliter,

ter, quam Jurius, ſenſerint. (3) Quod ſcriptores ex ſeculo IX. X. & XI. citati, fuerint adverſarii Pontificum manifeſti. (4) Quod, etſi quidam Babylonis nomen Romæ & Eccleſiæ ſive Curiæ Romanæ tribuerint, id tamen non intellexerint ſenſu Apocalyptico literali, ſed tantum de vitiis Paparum aut Cleri temporalibus & tranſitoriis, non vero Sedis Apoſtolicæ & Eccleſiæ. Jam *quartum præjudicium*, quod regimen Pontificum pure ſit temporale, duobus capitibus refutatur. cap.12.13.
Dicta Chriſti Luc. XXII, 26. Joh. XVIII, 36. de modo imperii, mitiori nempe, non de ipſo imperio explicantur. Negatur etiam illicitum eſſe, ut poteſtati ſpirituali, tanquam præcipuæ, per accidens accedat temporalis, & aſſeritur, quod multa eadem, qua in imperiis ſecularibus, ratione in hierarchia adminiſtrari poſſint & debeant. Notatur deinde, juramento, quod Epiſcopi quidam Papæ præſtant, Eccleſiam non obligari, & *Arnaldum* hoc nomine perperam a *Jurio* taxatum eſſe. 13.
Defenditur etiam diſtinctio inter *Eccleſiam Romanam*, quæ dicitur eſſe ſocietas omnium fidelium, qui cum Papa uniuntur, & inter *Sedem Romanam*, quæ eſt dignitas & munus ejus, qui Eccleſiam regit, & denique inter *Curiam Romanam*, quæ eſt perſona Papæ & officialium ejus. Hæc non minus Romæ, quam in Gallia valere dicuntur. Affine eſt *quintum præjudicium* de artibus politicis Pontificii regiminis. Has ita inter alia excuſat Autor, ut ſervata illa diſtinctione, culpam perſonis Pontificum, v. g. Gregorio VII, non Sedi Romanæ aſſignet. 14.
Regulas a Pallavicino (quem contemtim Jeſuitam quendam vocat) traditas negat eſſe Eccleſiæ Romanæ, ſed horrorem incutere omnibus, qui ejus veri ſint filii, omnibusq; Epiſcopis & Theologis zelum pro Eccleſia habentibus. pag. 149.
Objectionem, quod Eccleſiæ Romanæ leges blandiantur carni, Simoniæ aliisque vitiis, & relaxent diſciplinam moralem & confesſionem diluens, de *Jeſuitarum Societate* ſic loquitur; quod, etſi ex illa magni quidam viri prodierint, eruditione clari, nihilominus regulæ ejusdem adeo non placuerint Eccleſiæ, ut potius magnum numerum autorum ex ea, qui nimis laxe de moribus & caſibus conſcientiæ ſcripſerint, publice condemnaverit. 153. 156.
Catalogum inde ſat longum ſubjungit Jeſuitarum vel Romæ, vel in Gallia damnatorum; addit pauca quædam pro defenſione Concilii Tridentini. A *ſexto præjudicio*, quod ex malis Pontificum moribus formavit Jurius, ſtabilita diſtinctione, &, quam cap. 16. 17. 18.

Digitized by Google

in præloquio fecerat, admonitione, haud difficulter ſe expedit Autor. Divinæ enim, quam ſtatuit, Sedis Romanæ inſtitutioni nihil nocere hominis, qui in ea ſedet, malitiam, apertum eſſe putat. Deinde negat, probaſſe Jurium, quod jactat, nempe quod mille pene annis non niſi mali Pontifices ſedem occupaverint; malam etiam fi-
cap. 19. dem ei imputat, quod bonos in enarratione ſua omiſerit. Adverſus objectum *ſeptimi præjudicii* loco Romanæ religioni *ſpiritum ſuperbiæ*, plurima regerit Richardus. Negat Semipelagianiſmum, quem *Jurius*, *Dieckmannus* in libro de Naturaliſmo, & *Leydeckerus* in theſibus de Janſenianismo Romanæ Eccleſiæ exprobrant, & quem ſuperbiæ ſpiritualis fontem eſſe ipſe agnoſcit, ullius Concilii aut Pontificis decreto receptum, ſed ſemper potius condemnatum eſſe ſtatuit. Si itaque vel quidam ex imperitia, vel impia plebs, vel doctores quidam particulares, a doctrina Auguſtini receſſerint, (hanc enim una cum Jurio probat & confitetur) id Eccleſiæ injuſte dicit imputari; neque tamen probat, licet excuſare conetur, quod, qui errores iſtos manifeſte docent, ex Eccleſia non ejiciantur. Notat enim id non ſemper tempeſtivum eſſe, & in veteri Eccleſia etiam toleratos fuiſſe falſos prophetas. Majorem tamen numerum Orthodoxorum eſſe contendit, qui gratiam efficacem per ſe doceant, allegans *Thomiſtas*, *Auguſtinianos* & *Academiam Lovanienſem*. Poſito vero quod plures errent, Eccleſiam nihilominus abſolvit. Laudat autores, quorum libri populi manibus terantur, veram ſententiã continentes, *Granatenſem*, *Taulerum*, *Bellarmini opuſcula*, *Bonam*, *Mangotum Jeſuitam*
20. & alios. Reſpondet ad Bullas *Pii V.* & *Gregorii XIII*, quibus *Michaelis Baji* theſes improbatæ ſunt, negatque directe in illis doctrinam Auguſtini damnari, ſed tantum id actum cautumque fuiſſe, ne, quæ Bajus ſuo ſenſu vera docuiſſet, in abuſum verterentur: concedit tamen ſcandalum ex *Bullis* ortum, & errorem auctum eſſe. Eodem modo excuſat Bullas *Innocentii X* & *Alexandri VII*, contra quinque propoſitiones; & hinc manifeſtum fit, quod Autor hic Janſenio omnino addictus, & *Arnaldi* genuinus diſcipulus ſit. Negat enim, Romæ lectum & examinatum fuiſſe in Congregatione Canonica librum *Janſenii*, cum tamen, ut ait, Eccleſia non ex ſpeciali aſſiſtentia Spiritus Sancti, neque ex particulari revelatione, ſed ex diligenti &
189. ſincera lectione, de libro aliquo cenſuram ferre debeat. Deceptum

itaque

itaque *Alexandrum VII* eſſe, minime dubitat: laudat tamen reſcriptum ejus ad *Lovanienſes* d. 7. *April. A.* 1660, quo declaravit, ſe Janſenii propoſitiones non condemnaſſe in ſenſu Auguſtini. Præterimus, quæ de Pontificum veteribus & recentioribus decretis contra Pelagium affert. Hæret tamen in defendenda cunctatione *Clementis VIII & Pauli V*, neque omnia Pontificum acta probare vult. *Auguſtinianorum Generalis* decretum citat, A. 1677. d. 19 Sept. publicatum, quo doctrina de gratia efficaci per ſe omnibus Ordinis ejus Theologis docenda præcipitur. Theſin etiam Jeſuitarum Romæ A. 1674. editam laudat, aliaque ejusmodi addit, quæ ex *Arnaldi* & *Germani* a nobis recenſitis ſcriptis nota ſunt. Refellit deinde reliqua, quæ ex vanitate indulgentiarum & cultus externi, item ex Cleri & Pontificum titulis & prærogativis argumentatus erat Jurius, & ſi quid ex illis probatum eſſet, ad Eccleſiam pertinere negat; & hic iterum Pallavicini libros acerrime culpat, & publicam omnium deteſtationem incurriſſe denuo aſſeverat. Eadem fere ratione *octavo præjudicio*, de avaritia Eccleſiæ ex dogmatibus ejus, inprimis de purgatorio, a Jurio elicita, occurrit. Quæ vero is de morum corruptione generali, *præjudicio nono* Eccleſiæ Romanæ oppoſuit, ea vel in facto negat Autor, & exempla ex hiſtoria ſeculorum allata refutat, vel in cœtus Proteſtantium retorquet, vel ab iis ad dogmatum pravitatem argumentandum non eſſe denuo monet. Prolixe diſſerit de libro *Petri Damiani* Cardinalis, qui *Gomorrheus* inſcribitur, ſeculo XI editus, quem periiſſe putans Jurius, ex Baronio citaverat, Autor vero A. 1606. Romæ typis vulgatum & Lutetiæ A. 1663. recuſum eſſe indicat. Summa eſt, vitium illud nefandum a Damiano non imputari Eccleſiæ aut Clero in univerſum, ſed quibusdam monachis circa Apenninum, & quod multos Prælatos & Sacerdotes a pietate & ſanctitate laudaverit. Ad Bernardi etiam querelas contra abuſus Pontificios, item Honorii & aliorum ſeculi XII. ſcriptorum, & quos ex ſeculis ſequentibus allegavit Jurius, multa reponit. Alicubi erraſſe eum in allegationibus notat, aut maligne & perperam intellexiſſe autores; quod maxime facit in reſponſione ad locum *Durandi* de fornicatione in *IV. Sent. diſt.* 32. & ad *can. Maximianus diſt.* 81. aliosque canones quibus concubinatus permitti videtur. Interpretatur autem illos de uxoribus minus ſolenni-

pag. 171. c. 22. 23. pag. 210. cap. 24. c. 26. 27. 28. 29. 30. 31.

lennibus. In *can. ſi Papa. diſt. 40.* privatam Bonifacii Moguntini Archiepiſcopi opinionem contineri dicit, a cordatioribus, Gallis præſertim, non probatam. *Taxas* denique curiæ Romanæ, in quibus pro criminum abolitione certæ nummorum ſummæ definitæ olim ſunt, curialium culpa compoſitas, & dudum ſuppreſſas eſſe docet.
cap. 32. 33. Exceptiones Jurii poſt hæc in examen vocat; & licet generalem corruptionem Eccleſiæ Romanæ probari poſſe minime concedat, poſita tamen ea, & ſtante, quam præſupponit, doctrinæ puritate, ſchiſma illicitum eſſe ſtatuit, multoque minus probandum, ſi correctio aliqua, quam Jurius fatetur, occaſione ejus ſecuta eſt. Adducuntur particularia quædam adverſus ea, quæ Jurius contra Epiſcopos in aulis Regum verſantes, & de monachorum quorundam moribus tra-
c. 3. 440. didit. Septem poſtea capitibus examinat *decimum præjudicium* de ſpiritu reprobationis, quem in Eccleſia Romana regnare affirmat Jurius. Objicit ei iterum, ut in omnibus præcedentibus, & ſatis prolixe paralogiſmum; dein ad allatas probationes reſpondet. *Scholaſticorum*, *Canoniſtarum*, *Magiſtri ſententiarum* & in primis *Gratiani* errores & abuſus non inficiatur; multos excuſat, multos cenſuris notatos eſſe indicat, & eo ipſo Eccleſiam a culpa liberat. Conde-
pag. 303. mnatorum *Caſuiſtarum* exempla recentia allegat, *Poza*, *Baunii*, *Garaſſi*, *Eſcobar*, *Moya*, *Fabri*, ex Societate Jeſuitarum. Negat libros a Janſeniſtis contra Jeſuitas publicatos, v. g. *Practicam Moralem*, Lutetiæ combuſtos eſſe, aut ſi factum fuerit, Eccleſiæ tribui non vult,
305. quod a ſecularis poteſtatis rigore proficiſcitur. Probari interim libros iſtos, quibus relaxationes diſciplinæ a Jeſuitis exercitæ vituperantur, piis Paſtoribus & Theologis omnibus ſtatuit. Decretum 5. Maji 1667. de tolerantia opinionum circa attritionem & contritionem ab Inquiſitione publicatũ, infallibile eſſe negat, & pacis cauſa a Cardinalibus compoſitum eſſe indicat, non negans infirmitati humanæ nimium illud pacis ſtudiũ tribuendum & gemitu piorum di-
306. gnum eſſe. Addit, licet in decreto agnoſcatur, opinionẽ, quæ amorem Dei ex Sacramento pœnitentiæ excludit, ſeu quæ ſtatuit, poſſe hominem in Sacramento illo Deo reconciliari per ſolum dolorẽ ob peccata commiſſa cum firmo propoſito ab iis abſtinendi, etiamſi nullus actus amoris Dei acceſſerit, hodie communiorẽ eſſe; nihilo magis tamen veram eſſe, & allegat dictum, quod ſtultorũ infinitus ſit numerus.

Eadem

Digitized by Google

Eadem ingenuitate Jeſuitarum apologiam omittit, faſſus, quod multi pag. 307.
ex illis gloriam a majoribus acquiſitā contaminaverint; negat autem apertiſſime, quod *Jurius* præſupponit, Jeſuitarum ſpiritum eſſe ſpiritū Eccleſiæ Romanæ. Non magis patrocinatur *Legendariis*, quos vocant; eorum enim fabulas omnibus Catholicis purgatioris religionis (ut cum Auguſtino loquitur) diſplicere contendit. Fraternitates autem 310.
Roſarii, & *ſcapularis*, *cinguli Auguſtini* & *Franciſci*, improbare non audet, nihilque mali in illis agnoſcit, cum tendant ad honorem Dei in ſanctis ſuis. Excuſat quoque elogia, quæ nimia tribui videntur 313. 322.
B. Virgini, & ad tolerabiliorem ſenſum reducit, v. g. cum Damianus eam *Deificatam* dixit; craſſiora alia ex autoribus quibusdam obſcuris eruta Eccleſiæ imputari debere negat. Multus eſt in examinandis, quæ cap. 40.
Jurius de libro, qui titulum habet *Æterni Evangelii*, commentatus eſt, neque ſolum vim objectionis enervat, quia librum a Pontifice condemnatum & igni addictum fuiſſe, ipſe fateatur Jurius; ſed hiſtoriam libri longe aliam narrat, quam ab adverſario propoſita eſt, tum *Johannem de Parma* aut alios Franciſcanos autores ejus fuiſſe negat; Jurium vero multorum errorum & falſitatum in tradenda ejus libri notitia & excerptis ex illo accuſat. Hæc ad partem primam Præjudiciorum Jurii pertinent; reliqua ſecundæ opponuntur, de quibus ſequenti menſe dicemus.

GERHARDI JOHANNIS VOSSII ET CLARORUM Virorum ad eum Epiſtolæ, collectore Paulo Colomeſio Eccleſiæ Anglicanæ Presbytero.

Londini, apud Sam. Smith, 1690, in fol. Plagul. 194.

CUm nemo non commercio eorum delectetur, qui de literis rebusque ad earum ſtudia pertinentibus ſermones inſtituunt, aut cum aliis eos miſcent; fieri non poteſt, quin epiſtolarum quoque, quas viri docti mutuas dare ſolent, conſpiciendarum copiam maximi æſtiment literarum amantes: quod in iis de negotiis publicis privatisque, veteribus noviſque, ſacra & profana hiſtoria, humaniori etiam literatura, ejusque autoribus, candide diſſeritur: quarum rerum cognoſcendarum cupiditate omnes tenemur. Extant autem complurium hujus & ſuperioris ævi eruditorum epiſtolæ in volumina collectæ,

lectæ, quæ ab eruditis ſummis in deliciis habentur, præſertim ſi ſtili elegantia ubertati doctrinæ conjuncta eas commendat. Summis inde laudibus proſequendum *Pauli Colomeſii* ſtudium, qui ſparſas hinc inde & in variis eruditorum bibliothecis deliteſcentes *Gerardi Joannis Voſſii* epiſtolas uno volumine jam evulgavit; ſiquidem vaſta incomparabilis viri eruditio, & in omni genere literaturæ adhibita induſtria, toto orbe decantata, præclara omnia & utilia ab iis promittunt. Dolendum modo, non omnes quæ ad amicos aut illuſtres viros ab eo ſcriptæ fuerunt, amplius ſupereſſe inque publicum proferri potuiſſe: nam deſiderari plurimas, vel unicum quod cum Hugone Grotio coluerat epiſtolare commercium oſtendit; ſiquidem e Grotianis colligere licet, multas deeſſe a Voſſio ad ipſum datas; e Voſſianis his quoque intelligimus, bonam partem earum abeſſe, quæ in *volumine Grotii epiſtolarum A. 1687 edito* extare debebant, ſed quoniam intercidere, haud comparent. Quandoquidem autem in confabulationibus non unum modo loquentem, ſed alterum etiam vel reſpondentem, vel de alio argumento ſermones exordientem audire juvat; epiſtolas quoque mutuas eruditorum conſpicere geſtiunt, qui deliciis his capiuntur. Quapropter recte omnino fecit Editor clariſſimus, quod epiſtolis Voſſianis, veluti peculiare in volumen coactas ſubjecit clarorum virorū ſcriptas ad ipſum epiſtolas; quæ ſi eo ordine quo ad Voſſium ſcriptæ fuerunt, datis ad eas ipſius reſponſoriis intexantur, & vel e Grotii, Salmaſii, aliiſque evulgatis antehac epiſtolis (quas utpote publici jam juris factas denuo exhibere prætermiſit Editor) quæ deſunt ſuppleantur, temporumque ratio accuratior (modo inveſtigari ea in omnibus poſſit, cum non omnes annum & menſem quibus ſcriptæ ſunt adjectos habeant) in earum ordine obſervetur, jucundior multo & utilior lectu futura eſt hæc congeries: in qua præter typorum ſollicitam magis curam, exactiorem ordinis rationem habitam fuiſſe mallemus: cum plurimas nitido Voſſii ſtilo & rerum præſtantiſſimarum argumento inſignes, operarum typographicarum negligentia haud leviter contaminatas, nec ſuo quasvis loco recte collocatas deprehenderimus. Patebit id ex elencho ſeriem reciprocati cum *Guilielmo Laudo*, primum Bathonienſi & Wellenſi, inde Londinenſi Epiſcopo, ac tandem Cantuarienſi Archiepiſcopo, *Hugone Grotio*, *Claudio Salmaſio* & *Johanne Meurſio*

(ad hos

(ad hos enim frequentiſſimæ comparent in volumine hoc epiſtolæ Voſsii) litterarum commercii exhibente: quem ſpeciminis loco apponimus, ut pateat quo ordine legendæ ſint eæ, ſi temporum ratione habita hiſtorias vel rerum publice geſtarum, vel eruditionem & ſtudia attingentium, cognoſcere aliquis cupiat. Voſſii autem epiſtolas majoribus, cæterorum clarorum virorum literas minoribus, quos barbaros vocant, numeris ſignabimus. *Guilielmus* Ep. Vol. II. *ep. 82. 90. Voſſius* Vol. I. *ep. LXXXI. Guil. 92. Voſ. LXXXIV. LXXXIIX. XCIV. Guil. 98. Voſ. XCVII. Guil. 99. 103. Voſ. CIII. CXX. CXV. CXXXV. Guil. 106. 115. Voſ. CXL. CL. Guil. 133. 137. Voſ. CLIIX. Guil. 140. Voſ. CLXXIII. Guil. 149. Voſ. CLXXXVI. Guil. 161. Voſ. CXCI. CC. CCVII. Guil. 198. Voſ. CCXXXIX. CCLII. CCLXVI. CCLXIIX. Guil. 227. Voſ. CCLXXXIIX. Guil. 232. Voſ. CCLXXXVII. CCLXXXIX. Guil. 242. Voſ. CXXIIX. Guil. 276. Voſ. CCCXLIX. CCCIII. Guil. 300. Voſ. CCCXCV. CCCCVII. CCCCXXIV.* Grotianarum cum Voſſio reciprocatarum epiſtolarum hæc eſt juſta ſeries quam ſubjungimus, e volumine Grotianarum ſupra memorato depromtis maximi viri literis, quarum nullæ in collectione Voſſianarum comparent. *Grotius ep. 20. Voſ. ep. XIV. Gr. 25. Voſ. XV. Gr. 26. 30. 31. 32. 34. Voſ. XVI. Gr. 36. 37. 38. 40. 41. 42. 43. 44. 45. 46. Voſ. XVII. Gr. 48. 49. Voſ. XVIII. Gr. 50. 51. 52. 53. Voſ. XXI. Gr. 55. 56. 60. 64. 65. 66. 67. Voſ. XXII. Gr. 70. Voſ. XXIII. Gr. 72. 73. 74. Voſ. LIV. Gr. 75. 76. 77. Voſ. LII. Gr. 78. 80. 81. 82. 83. 84. 85. 87. 88. 89. 90. Voſ. XC. Gr. 91. 92. 93 94. 95. 96. 97. 98. 99. 100. 101. 102. 103. 104. 105. 106. 107. 108. Voſ. LXXX. Gr. 109. 112. 113. 114. 115. 116. 117. 118. 119. 120. 121. 122. 123. 124. 125. 126. 127. 128. 129. 130. 131. 132. 138 154. Voſ. XXIV. Gr. 158. 161. 162. 163. Voſ. XXXII. XXXIII. Gr. 179. Voſ. XXXIV. Gr. 187. 188. 212. 218. 221. 222. 223. Voſ. LXXIX. Gr. 224. Voſ. LXXXIX. Gr. 237. 247. 250. Voſ. CV. Gr. 259. 267. 268. Voſ. XXVIII. CXLI. Gr. 274. Voſ. CXLII. Gr. 279. 283. 286. Voſ. CXLIII. Gr. 295. 296. Voſ. CLXXXIII. Gr. 298. Voſ. CLXXXII. CLXXXIV. Gr. 307. 311. 315. 324. 328. 330. 334 335. 337. 338. Voſ. CXCVII. CXCIX. CCVI. CCVIII. CCXI. Gr. 341. Voſ. CCXVII. CCXIX. Gr. 344. Voſ. CXXVII. CXXVIIII. CCXXIX. Gr. 339. 348. Voſ. CCXXXIV. Gr. 352. 378. Voſ. CCLIIX. Gr. 407. Voſ. CCLXIII. Gr. 430. 446. 451. 453 Voſ. CCLXIV. Gr. 527. Voſ. CCLXXII. Gr. 536. Voſ. CCLXXIIX. Gr.*

573. 612. 642. Voſ. CCCV. Gr. 793. Voſ. CCCVIII. CCCXII. Gr. 859. 907. 946. 952. Voſ. CCCXX. CCCXXXII. Gr. 964. 997. Voſ. CCCXXXIV. Gr. 1004. 1040. Voſ. CCCXLIV. Gr. 1056 Voſ. CCCXLV. Gr. 883. 1096. Voſ. CCCLIII. CCCLVI. CCCLXVII. Gr. 1256. 1185. Voſ. CCCLXXI. CCCLXXII. Gr. 1315 Voſ. CCC*LXXXVIII. Gr. 1365. 1396. 1404. Voſ.* CCC*XCIV. Gr. 1441. Voſ.* CCCCI. CCCC*XVI. Gr. 1520. Voſ. CCCCXIX. Gr. 1538. 1564. 1573. Voſ. CCCCLVII. CCCCLIIX. CCCCLIX. CCCCLXII. Gr. 1578. 1586 Voſ. CCCLXIII. Gr. 1605. Voſ. CCCLXIV. CCCCLXXIX. CCCCLXXXIII. CCCCXCI. Gr. 1676. Voſ. CCCCXCVIII. CCCCXCIX. DVII. Gr. 1722* Salmaſii cum Voſſio literarii commercii, quantum ejus e collectis a Clementio Salmaſii epiſtolis nobis innotuit, hic ordo: *Voſ. LXXXIII. Salm. 14. Voſ. CVII. Salm. 19. Voſ. CXXV. CCXII. Salm. 24. Voſ. CCXL. Salm. 34. 37. Voſ. CXCIV. CCI. Salm 39. 41. 42. Voſ. CCXIV. Salm. 47. Voſ. CCXX. CCXXXV. Salm. 61. Voſ. CCXLI. CCXLIII. Salm. 62. 66. Voſ. CCXLV. Salm. 70. Voſ. CCXLIX. CCLX. Salm. 74. 81. Voſ. CCXCIX. Salm. 98. 121. 123. Voſ. CCCXXVI. CCCXXVII. CCCXLIII. CCCLXIIX. CCCLXIX. CCCLXX. CCCLXXV. CCCLXXVI. CCCLXXIIX. CCCXCI. CCCCLXVII. CCCCLXIIX. CCCCLXXX. CCCCLXXXI. CCCCLXXXII. CCCCLXXXVI. CCCCLXXXVII. CCCCXXXVIII. CCCCXCVII. DXII. DXIII. DXX. DXXIV. DXXXI. Salm. in Vol. II. Voſſianarum ep. CCCCXXX.* Meurſius cum Voſſio epiſtolas, quæ in geminis his a Colomeſio evulgatis voluminibus extant, alternavit hoc ordine: *Meurs. 67. Voſ. LI. Meurs. 68. 70. Voſ. LVII. Meurs. 95. Voſ. LXXXV. Meurs. 102. Voſ. CIX. Meurs. 109 111. Voſ. CXIV. CXLVII. Meurs. 114. 120. 124. 125. Voſ. CXIX. CXLV. Meurs. 130. Voſ. CXLIIX. Meurs. 145. 150. 151. Voſ. CCXXXIIX. Meurs. 155. Voſ. CLXXXIX. Meurs. 166. Voſ. CCIII. Meurs. 175. Voſ. CCIX. Meurs. 181. Voſ. CCXXII. Meurs. 200. Voſ. CCXXXVI. Meurs. 208. 212. 213. Voſ. CCLXI. Meurs. 244. 221. 228. 220. 233. 234. Voſ. CCLXXXVI. Meurs. 240. Voſ. CCL. Meurs. 243. Voſ. CCCIX. Meurs. 257. Voſ. CCCXIX. Meurs. 259. Voſ. CCCXXXVIII. CCCXL. CCCL. Meurs. 260. 282. Voſ. CCCLXV. Meurs. Fil. 287. 290. Voſ. CCCLXXIX. Meurs. Fil. 294. 296. 311. Voſ. CCCCXIII.* E contextu harum epiſtolarum patet, plurimas a Voſſio ad claros hos viros ſcriptas deeſſe; æque ac multas deſiderari, quas ab iſtis datas ad ipſum fuiſſe, ex his quæ ſuperſunt colligere

ligere licet. Sed earum quæ interciderunt jacturam ſolari oportet iſtis quæ reſtant, beneficio doctiſſimi Editoris aſſervatæ. Nonnullæ quidem earum typis vulgatæ antea erant, ut priores *tredecim* dedicatoriæ operum a Voſſio olim in publicam lucem emiſſorum; (inter quas *tertium* quæ locum occupat, *Iſaacum Voſſium* autorem habet) quædam etiam in volumine Epiſtolarum Arminianorum (quæ ſub titulo: *Præſtantium ac eruditorum virorum Epiſtolæ eccleſiaſticæ & theologicæ*, anno 1684 prodierunt) jam comparent, ut pleræque ad Grotium datæ, & nonnullæ aliæ, v. g. *14. 15. 16. 17. 18. 21. 22. 23.* (quæ etiam Blauianis typis anno 1669 forma folii in quaterna complicati excuſa prodiit) *24. 28.* (quæ eadem per errorem *n. 141. fol. 173. 174.* repetita eſt) *32. 33. 34. 52. 54. 61. 79. 80. 88. 89. 90. 97. 103. 105. 120. 141. 142. 143. 158. 207. 228. 252. 345. 367. 394. 395. 407. 457. 458. 462. 463. 479. 548*; Sed plane ex commodo eruditorum egit Editor, dum omnes Voſſii epiſtolas collecturus, etiam alibi extantes volumine iſthoc excſſe noluit. Ac jungendæ adhuc fuiſſent quædam, libris a Voſſio editis præmiſſæ, iſtisq; tredecim dedicatoriis addendæ; ut ea quam A. 1623 ſcriptam primæ editioni *librorum de Hiſtoricis Græcis*, & quas A. 1606 & 1609 *primæ & ſecundæ Inſtitutionū oratoriarum* editioni, quam itē A. 1621 *Partitionibus oratoriis*, ſeu *Rhetoricæ contractæ libris quinque* præfixit, & nonnullæ forte aliæ. Rogandi etiā ſunt hi, ad quos fortuna plures epiſtolas Voſſianas in volumine hoc non extantes derivavit, ut publico invidere eas nolint: ex cunctis enim ſingularis viri humanitas, infucata amicitia, ingenuus candor remotus a calumnia, ſinceri judicii perpetuus comes, inſignis doctrina, & in ſarcienda eccleſiæ concordia, quæ in Belgio maximis animorum motibus diſtrahebatur eo tempore & graviter affligebatur, indefeſſum ſtudium elucet. Hoc ipſum ſane in religionis diſſidio conciliandi adverſas partes ſtudium magno ſibi, cum Lugduni theologiam profiteretur, damno fuiſſe, ac proin opulentiorem ſe in iſtam academiam veniſſe quam poſtea Amſtelodamum receſſerit, *ep. 140.* innuit; & majori pretio, quam ſex florenorum millibus, iſtum pacis amorem ſibi conſtitiſſe, *ep. 97.* alibique indicat; a quo tamen ne vivicomburii quidem metu ſe abſterritum iri, *ep. 113.* cordate profitetur. Digna profecto intrepido, & in adverſis ſemper erecto pacisque ſtudioſo animo ipſius verba ſunt, quæ ibi leguntur: *Nos* [illegible]

D [illegible] [illegible]mus,

mus, quam vivere in Chriſti præcepto. Facile, qui abunde ſenſa mea noſti, perſpicis, quam hæc coquant & macerent animum meum. Neque enim vivicomburium deprecarer, ſi ſcirem me poſſe eo redimere concordiam Eccleſiarum noſtrarum, majoremque primævæ Eccleſiæ amorem; præ qua etiam hominibus nec malis nec ineruditis nimis nunc novellitas ſapit. Legantur ſequentia. item *ep. 103.* ad Epiſcop. Londinenſem Guilielmum Laudum, quando ſcribit: *Si non aliud quam humanas vires ſpectemus, arduam ſuſcipiunt provinciam, qui in religionis diſſidio ſequeſtri eſſe ſtudent: imo plurimum, quod quodammodo etiam edoctus ſum malo etiam meo, prædæ eſſe victoris ſolent. Sed tamen, ut ſpero, nondum ſic iratus eſt Deus* &c. Plura adferri poſſent loca, inſigne ejus deſiderium in promovenda pace eccleſiaſtica & tollendis diſſidiis, quæ Remonſtrantes inter & Contraremonſtrantes, ſive Arminianos & Calvinianos, eo tempore fervebant, teſtantia; ſed ſufficiant iſthæc. Nec alia quæ res theologicas aut literarias ſpectant, ex epiſtolis his afferre atque excerpere vacat; cum non dubitemus, Lectores varietate argumenti, quod quævis ferme earum aliud habet, nobis nec monentibus, ad eas evolvendas incitatum iri.

HERESIE IMPIE CONTRE LE COMMANDEment d' aimer Dieu, &c.

id eſt,

Hæreſis impia adverſus præceptum de Deo amando; reſuſcitata, poſt ſolennes ab Eccleſia factas condemnationes, per theſin apud Jeſuitas publice defenſam.

Coloniæ, apud Nicolaum Schouten, 1690. in 12. Plag. 1.

Qui triplici *peccati philoſophici denunciatione*, (de qua A. 1689. p. 620. itemque hoc anno p. 329. & 502. egimus,) ægre facere ſtuduit Jeſuitis, *Antonius Arnaldus*, obiter jamjam in *denunciatione ſecunda* perſtrinxerat theſin a *Jeſuita* quodam *Pontamuſſano* die 14. Jan. 1689. publice ventilatam ac aſſertam, prout vel ex *Actorum* horum *pagina 335. lin. 3 & ſeqq.* menſe Julio patuit. *Die* autem *octava*

Martii

Martii eandem ex profeſſo aggreſſus fuerat, ac univerſæ eccleſiæ Chriſtianæ examinandam atque condemnandam ſtiterat, celeberrimus Janſeniſtarum promachus.

En ipſa theſeos verba: *Bonitas objectiva conſiſtit in convenientia objecti cum natura rationali. Formalis vero in conformitate actus cum regula morum. Ad hoc ſufficit, ut actus moralis tendat in finem ultimum interpretative. HUNC HOMO NON TENETUR AMARE, NEQUE IN PRINCIPIO, NEQUE IN DECURSU VITÆ SUÆ MORALIS.* Cum igitur *finis* hominis *ultimus* non alius eſſe queat, quam ipſe *Deus*, non poteſt non hac theſi affirmare Jeſuita, *hominem non teneri amare DEUM.* pag. 5.

6. Obſervat heic Arnaldus in anteceſſum, quod, (niſi laxior Jeſuitarum theologia moralis tot pridem Pontificum ſaniorumque Pontificiorum anathematiſmis perculſa fuiſſet, ut ejusdem magiſtros *ictos ſapuiſſe* credi potuerit,) nemini magnopere mirum videri deberet, φοϱικὸν id genus ἄκυσμα a Patre ejusdem Societatis propalari ac defendi, cum integra hanc in rem diſſertatio adverſus Jeſuitas apud Wendrockium extet, *nota IV.* in Montaltii *epiſtolam provincialem decimam*, idemque illic exprobretur dogma *Antonio Sirmondo* & (qui *Azorium* ſequi ſe aſſerit,) *Tamburino*, quale ab orco *Pontamusſanus* revocaſſe dicitur.

8. Maluit hunc Arnaldus *Jacobi Benigni Boſſueti*, quam ſuis verbis refellere. Similis nempe doctrinæ *Epiſcopum* hunc *Meldenſem* poſtulaverat *Petrus Jurius*. Catecheſin ergo ſuam vindicaturus & calumniam ſibi impactam confutaturus *Boſſuetus*, apologiam ſatis prolixam antagoniſtæ oppoſuit, quam Arnaldus primum exſcribit, tandemque in compendium ac quatuor omnino, quæ ſequuntur, capita redigit:

1) Deum amare negligens, negligit rem, ad quam *Primario* nos *Obligat* tum lex Chriſti, quæ eſt lex amoris, tum dictamen rationis, quod Deum homini, tanquam principium ſuum primum finemque ultimum proponit. 2) *Impium, exitioſum, abſurdum, intolerabile* eſt, obligationem tollere amandi Deum *actu ſpeciali*, aut eandem reſtringere ad *actus quatuor vel quinque* toto vitæ tractu eliciendos, aut etiam *dubitare, an peccet mortaliter, qui actum dilectionis ſemel tantum in vita eliceret*, aut denique docere,

quod *præceptum charitatis erga Deum tunc ſolum obliget, quando tenemur juſtificari, & non habemus aliam viam, qua juſtificari poſſumus*, quodve, generalius loquendo, *homo non teneatur amare Deum tanquam finem ſuum ultimum, neque in principio, neque in decurſu vitæ ſuæ moralis*. 3) Per calumniam imputatur eccleſiæ Romano-catholicæ, quod errorum adductorum aliquem foveat; utut enim in ea fuerint, qui theſibus Jeſuiticis, num. 2. verbotenus excerptis ac damnatis, patrocinati ſunt, Pontifices tamen ſummi (ac nominatim *Alexander VII* & *Innocentius XI*) nec non Epiſcopi ac Facultates Theologicæ tantum non omnes, ſeveris expreſsiſſimisque cenſuris in eas animadverterunt. 4) Cenſuris itaque illis evincitur, per calumniam a *Jurio* accuſari eccleſiam Romanam, *quod peſſima dogmata, ipſamque negationem neceſſitatis amandi Deum, toleret*.

pag. 15. His ex *Boſſueto* recenſitis ſubnectitur ab *Arnaldo* parænesis ad Jeſuitas, ut ſincere ac publice theſin Pontamuſſanam ceu impiam atque execrandam condemnent, quemadmodum Pariſienſes Societatis iſtius Patres Divionenſem theſin de peccato philoſophico a ſe damnari publico ſcripto profeſſi ſunt.

8. 9. 11. *Ἔγκλημα Epiſcopi Meldenſis* ac *Antonii Arnaldi*, quod & Lutherani ſententiæ illi faveant, quam Jeſuita Pontamuſſanus amplexus eſt, Theologis vindicandum relinquimus. Utut enim propoſitionem: *Bona opera* (ac ſigillatim, amor Dei,) *neceſſaria ſunt ad ſalutem*, pernicioſam judicari a noſtratibus, utrique facile concedamus, tantum nihilominus abeſt, ut *propoſitioni Pontamuſſanæ* calculum adjiciamus, ut potius toto corde eam abominemur. Nimirum dicimus, bona opera NECESSARIA eſſe, non *neceſſitate medii ſive meriti*, (quam verba *ad ſalutem* haud obſcure innuunt,) bene tamen ac omnino *neceſſitate præcepti*. Neque ab *articulo renovationis* excludimus amorem noſtrum erga Deum, licet de eo in *articulo juſtificationis* gratuitæ, a qua dependet æterna ſalus, ſileamus.

OPUSCULA POSTHUMA HACTENUS INEDITA & edita autore F. Chriſtiano Lupo Iprenſi S. Theol. D. & Regio primario Lovanii Profeſſore Provinciæ Belgicæ

Digitized by Google

gica Ord. F F. Erem. S. Auguſt. Priore Provinciali; cura & opera F. Guilielmi Wynants ejuſdem ordinis & voti per Flandro-Belgicam provinciam Diffinitoris S.T.B. Tomus I.

Bruxellis, typis Eugenii Henrici Frick Typographi Regii A. C. 1690. in 4. Plag. 121.

QUi *Chriſtiano Lupo*, Ordinem Eremitarum S. Auguſtini in provincia Flandro-Belgica regenti, a ſecretis & in itinere Romano comes fuit *Guilielmus Wynants*, ut de mortuo etiam bene mereri non deſiſtat, libris parente ſuo orbatis obſtetricantes manus ſupponere, & partim pridem editos typis denuo committere, partim tenebris hactenus immerſos in publicam lucem primum emittere non gravatus eſt. Ac primo quidem hoc volumine continetur I. Diſſertatio de antiquitate, autoritate ac legitimo uſu ſententiæ probabilis. II. Diſſertatio de Simonia monaſteriorum. III. Diſſertatio de antiqua diſciplina Chriſtianæ militiæ. IV. Antiqua eccleſiæ & reipublicæ in Pelagianorum hæreſin decreta, ſcholiis chronologicis breviter elucidata. V. Diſſertatio dogmatica de germano ac avito ſenſu ſanctorum Patrum, univerſæ eccleſiæ, & præſertim Tridentinæ Synodi, circa Chriſtianam contritionem & attritionem. VI. Epiſtola familiaris ad Henricum Noriſium, qua Lupus quibusdam, ad nonnulla ſuæ de Chriſtiana contritione diſſertationis capita hæſitantibus, reſpondet. VII. Exhibitio ſacrorum canonum circa jus regularium eccleſiarum quoad prædicationem divini verbi. VIII. Eadem exhibitio ſacrorum canonum circa jus regularium eccleſiarum adverſus larvati Chriſtophori Philalethis reſponſionem ſtabilita ſeu confirmata. IX. Diſſertatio de ſanctiſſimi Sacramenti publica expoſitione, & de ſacris proceſſionibus, in quibus circumfertur cum Sanctorum reliquiis & imaginibus venerabile altaris Sacramentum. X. Oratio panegyrica in laudem ſacræ Hoſtiæ Middelburgi Zelandorum A. 1374 miraculoſe in carnem converſæ, quæ Lovanii in eccleſia Eremitarum Auguſtini religioſe aſſervatur & colitur, dicta in ſolenni triſeculari Jubileo d. 16. Sept. A. C. 1674. Judicium de his Lupi opuſculis huic volumini præmiſit *F. Bernhardus Deſirant* ejusdem cum Lupo & Wynantio ordinis, S. Theol. in Lovanienſi Acade-

Academia D. Hiſtoriographus Regius & Prof. P. cui etiam adjectum in fine indicem debemus. Idem in epiſtola ad Wynantium indicat, propediem *alterum* opuſculorum Lupi tomum proditurum, & deinde *ſchölia* in ſacros Conciliorum canones, auguſtiorem quam antea foliorum formam habitura, & locupletanda iis, quæ Lupus morti proximus de apparatu ad concilium Nicenum, de Symbolo, appellationibus Germanicis & Anglicanis ad Sedem Romanam, aliisque nonnullis addi voluit. Plura de Lupo variisque ejusque ſcriptis B. L. in Actis noſtris menſe Julio, Auguſto & Septembri A. 1683 invenire poterit, quæ hic repetere nihil attinet.

LIBRI NOVI.

Repræſentatio Majeſtatis Imperatoriæ per ſingula ejus jura, continens junctim Explicationem eorum quæ Electoribus, Principibus & Statibus Imperii competunt: autore Jacobo Bernhardo Multz. Oetingæ literis Stephani Rolck. 1690. fol.

Il Tiranno conſiderato privo delle qualità neceſſarie all' Excellenza del Principato, da F. Franceſco da Seſtri, Minore Capuccino. In Genova 1690. fol.

Aquarum fluentium menſura nova methodo inquiſita, autore Dominico Gulielmino. Bononiæ ex typographia Piſariana. 1690. in 4.

Miſcellanea Italica Erudita. Collegit Gaudentius Robertus Carm. Cong. Parmæ typis Joſ. ab Oleo, 1690. in 4.

Ragionamenti del Signor Lionardo di Capoa intorno alla incertezza de' Medicamenti. In Napoli per Giacomo Raillard. 1689. in 4.

Les memoires de Meſſire Jacques de Chaſtenet Seigneur de Puyſegur. Suivant la copie imprimé a Paris, 1690. in 12.

Hiſtoire de Dom Jean de Palafox Evéque d' Angelopolis & depuis d' Oſme, & des Differens, qu' il a eus avec les Peres Jeſuites, 1690. in 12.

Myſtica Anatomia Sacratiſſimi Nominis Deiparæ Virginis Mariæ ſub omnium ſcientiarum & creaturarum Angelicarum & humanarum, cœleſtium & ſublunarium operoſo compendio, ad repræſentandas prærogativas & perfectiones, maximasque virtutes ac dignitates Almæ Dei Genitricis expoſita: autore P. F. Joachimo a S. Maria Carmelita Excalceato, Sacrarum Interprete Scripturarum. Venetiis, typis P. A. Brigoncii, 1690. fol.

Balthaſaris Bebelii SS. Th. quondam D. & P. P. in Acad. Argentorat. & VVitteb. Synopſis Hiſtoriæ & Doctrinæ Symbolorum antiquisſimorum, ut & recentioris ſeu Auguſtanæ Confesſionis. Nunc primum in lucem edita a Filio M. Joh. Balth. Bebelio. Lipſiæ apud Maur. Georg. VVeidmannum, 1690. in 12.

Diſſertatio Academica de Phariſaiſmis in libris profanorum Scriptorum occurrentibus: autore Ioh. Heinrico Erneſti. Lipſiæ, literis Joh. Georgii, 1690. in 12.

Henrici Boceri Tractatus de Diſſidationibus & crimine prædationis. Tubingæ, apud J. G. Cottam, 1690. in 4.

ERRATUM.

Pag. 412, lin. 18. pro *ratione triplicata* lege *ratione duplicata.*

Digitized by Google

ACTA ERUDITORUM

publicata Lipſiæ

Calendis Decembr. Anno M DC LXXXX.

MISCELLANEA ITALICA ERUDITA. Collegit Gaudentius Robertus, Carmel. Cong.

Parmæ typis Joſephi ab Oleo & Hippolyti Roſati. 1690. in 4.
Conſtant plagulis 92.

QUi hanc *Criticorum Italorum* editionem boni publici cauſſa feliciter accuravit, *Gaudentius Robertus*, profundam ſuam eruditionem ſingulari humanitati junctam doctiori orbi dudum approbavit, præſertim tamen eo abhinc tempore, quo una cum clariſſimo Benedicto Baccino *Diarium Literatorum* Parmæ ſummo ſtudio condit. Perpenderat is ſecum, quam facile contingat, ut libri, utut optimi commatis, at mole exigui, injuria temporis pereant, niſi in unum volumen redigantur, ac ubi vetera exemplaria rariora evaſerunt, recudantur. Quale quid a *Goldaſto*, *Grutero*, *Frebero*, *Caniſio*, *Piſtorio*, *Lonicero*, *Lindenbrogio*, *Acherio*, *Baluzio*, *Mabillonio*, *Meibomiis*, aliisque factitatum eſt. Horum veſtigia legit celeberrimus *Robertus*, & opuſcula ſevirorum ſuperioris ſeculi doctiſſimorum in hunc tomum compegit, ac cum hactenus ſingula paucorum in manibus verſarentur, univerſa ſimul publici juris fecit. Inſtitutum noſtrum non niſi ſolos titulos id genus librorum enotare permittit. Hic ergo eorum ſyllabus eſt: JOSEPHI CASTALIONIS Anconitani, 1) *Variæ Lectiones*; 2) *De antiquis puerorum prænominibus*; 3) *De recta ſcribendi Vergili nominis ratione commentarius*; 4) *Adverſus fœminarum prænominum aſſertores diſputatio*; 5) *Ad l. 1. C. quæ res pignori obligari poſſit*. PAULI MANUCCII Veneti *Antiquitatum Romanarum liber*

Digitized by Google

de civitate Romana. ONUPHRII PANVINII Veronenſis, 1) *De ludis ſæcularibus*; 2) *De carminibus Sibyllinis.* CONSTANTII LANDI Placentini 1) *In veterum numiſmatum Romanorum miſcellanea explicationes.* 2) *In M. Caſſii Cacurii & Atiliæ Manduillæ tumulum explicatio.* ANDREÆ ALCIATI Mediolanenſis *de magiſtratibus, civilibusque & militaribus officiis.* FRANCISCI ROBERTELLI Utinenſis 1.) *De Provinciis Romanorum*; 2.) *De judiciis, omni conſuetudine cauſſas agendi apud Romanos*; 3.) *De legionibus Romanorum*; 4.) *De magiſtratibus Imperatorum*; 5.) *De familiis Romanorum*; 6.) *De cognominibus & appellationibus Imperatorum*; 7.) *De commodis, præmiis & donis militaribus*; 8.) *De pœnis militum & ignominiis*; 9.) *De gradibus honorum & magiſtratuum Romanorum*; 10.) *Menſium appellatio ex nominibus Imperatorum.* Ac iſthæc quidem hac vice *Gaudentius Robertus* in publicam lucem poſtliminio reduxit. Adjiciet tomos alios, ſi præfationis extrema recte intelleximus. Quod uti fiat, bonarum literarum cauſſa otium & vires animi corporisque ulteriores animitus ei apprecamur.

CATECHISMUS JUDÆORUM IN diſputatione & dialogo magiſtri ac diſcipuli, ſcriptus a R. Abrahamo Jagel, *Monte Silicis oriundo, & Latinus ex Hebræo factus a Ludovico de Compiegne de Veil, A. M.*

Secundum exemplar Londinenſe, Franequeræ apud Johannem Gyſelaar, 1690. in 8.

Conſtat plagulis dimidiatis 17.

HUnc ipſum libellum prolixe ſatis menſe Novembri anno 1687. p. 637. memoravimus, cum ad Acta Eruditorum referremus *Pugionem fidei* Raymundi Martini. Huic enim *Introductionem* multiplici eruditione refertam præfixerat *Johannes Benedictus Carpzovius*, Theologus noſtras longe celeberrimus, *capiti*que nono Catechiſmum *Abrahami Jagelis*, quantus quantus eſt, cum verſione ſua, anno pridem 1658 accurate concinnata, inſeruerat. *Ludovicus* autem *de Veil* idem opuſculum Londini recenſuerat anno 1679, & *Henrico* Com-

Comptono Epiſcopo Londinenſi inſcriptum, Hebræo Latine in publicum emiſerat, cum paulo ante e Galliis in Angliam transfretaſſet, ac religioni pontificiæ repudium remiſiſſet. Recudit opuſculum illud anno præſenti bibliopola Franequeranus. Licebit itaq; nunc erudito Lectori binas iſtas verſiones inter ſe contendere, ac uter clariſſimorum virorum mentem Autoris felicius aſſecutus ſit, *magisve perſpicue ac terſe* expreſſerit, judicium ferre. Nolumus enim id facere ipſimet, tum quod id ab inſtituto noſtro alienum ſit, tum ne forſan affectui, quo Carpzovii virtutes amplectimur, aliquid dediſſe, Veilio credamur. Fatendum tamen, in Lipſienſi editione Jagelis epiſtolam brevem dedicatoriam ad R. *Joſephum de Fano* deſiderari. Itemque non ingratum eſſe poterit Rabbinicæ literaturæ ſtudioſis, patriæ Autoris noſtri ſitum penitius noſſe, quem Veilius his verbis deſcripſit: *Mons Silicis erat ei patria, quod Venetiæ oppidum inter Patavium & Ateſte ſitum eſt, ad minorem fluvium Medoacum.* Nam nomen illud מונצילוצי Italice *Monſelice* legendum eſſe, Julius *Bartoloccius* de Celleno T. I. Biblioth. Rabbin. f. 26. pridem monuit. Viciſſim opus fuiſſet, ut (quem merito ſecutus eſt Carpzovius,) *Bartoloccium* inſpexiſſet Veilius, ac ita, quæ Duumviri illi in Rabbinorum ſcriptis verſatiſſimi de Jagelis ætate & tranſitu ad Chriſtianorum ſacra referunt, in *proœmio* ſuo commemorare potuiſſet.

Cæterum idem *Ludovicus de Veil* tractatus aliquot Maimonidæos Latina civitate donavit, de quibus videſis Acta Eruditorum anno 1684, p. 10. ſeq. Gente Judæus eſt, æque ac *Carolus Maria de Veil*, cujus in Acta SS. Apoſtolorum commentarium Actis noſtris anno 1686. p. 504. inſeruimus. De utroque hoc compertum habemus ex *Julii Bartoloccii* T. III. n. 847. f. 843. verbis ſequentibus: *Ex hac familia* De Veil *nonnulli Chriſtianam fidem ſuſceperunt, inter quos* Ludovicus de Compiegne de Veil *&* F. Carolus Maria de Veil. *Ille Francorum Regis linguarum orientalium ordinarius interpres fuit, qui librum octavum* יד חזקה *R. Bar Maymonis* de Cultu divino *Latinum fecit & Pariſiis A. D. 1678. edidit. Alter* F. Carolus Maria de Veil *Canonicus regularis Congregationis Gallicanæ profeſſus, Doctor Theologus, & inſignis literatura evaſit. Prior S. Ambroſii Melodunenſis ſuæ congregationis dum eſſet, commentarium in Joëlem prophetam Pariſiis evulgavit anno 1676, cum antea edidiſſet commentarium*

tarium in evangelia Matthæi & Marci, & alterum in Canticum Canticorum Salomonis. At, proh dolor! ſuperioribus annis uterque in Anglia ſide Catholica ejurata, hæreticorum ſectam ſuſceperunt. Carolus Maria *in alios prophetas commentarios Londini edidit*; & Ludovicus *bibliotheca Regis Anglorum præfectus conſtitutus. Ambos hodie in hæreſi pertinaciter perſeverare, cum illorum perpetua infamia, mihi relatum eſt.* Hactenus *Bartoloccius*, cui Romæ non aliter licuit perorare de his, quos ob eruditionem ſub initium paragraphi laudaverat.

JOH. JACOBI VVALDSCHMIEDT, Med. D. Archiatri Haſſiaci, & in Academ. Marpurg. Med. Prof. primarii Praxis Medicinæ rationalis ſuccincta per caſus tradita.

Francofurti ſumptibus Friderici Knochii anno 1690. in 8.
Conſtat plagulis 73.

POſtquam anno ſuperiori clariſſimus Autor ad caſtra prope Moguntiam evocatus eſſet, illi, cui Mars pepercerat, mors inſidiata eſt. Namque ægritudine ibidem prehenſus, mox ad ſuos redux fato præpropero conceſſit. Non dubitavit itaque ipſius filius hanc paternæ gloriæ hæreditatem cernere, & hunc fœtum poſthumum in lucem protrahere, eruditam ſimul operam ſic publico communicaturus. Traduntur autem I. 84 caſus morborum, in quibus poſt declarationem affectus ſingulorum ſymptomatum ætiologia exponitur, & quidem ad amuſſim Carteſianam. Nam huic Inſtitiſſe clariſſimum Autorem, ex ejus Inſtitutionibus medicinæ rationalis, ad Acta noſtra M. Februario anni ſuperioris pag. 104. & ſeq. relatis, annotatum eſt. Poſt cauſarum explanationem, prognoſin brevem nec non indicationem ſubjicit, addito mox medicamentorum apparatu & formulis. Titulos ſingulorum caſuum hic transſcribere longum nimis foret & ſupervacaneum. Nil enim quicquam ſingularis exhibent, niſi quod caſ. 31. pag. 81. catarrhus inteſtinalis, & caſ. 70. pag. 198. febris continua cum tuſſi, quam Bruſt-Schwachheit vocat, ſiſtantur.

II. Offeruntur in hoc libro peculiaria de quibusdam affectibus monita Medica, ita ut quemlibet titulum excipiant quædam breves ſententiæ aut regulæ, neglecta tamen ordinis ratione, quam alias

Digitized by Google

multi Practici juxta tres corporis humani regiones & artus obſervare hactenus conſueverunt. Sic e. g. poſt palpitationem cordis de anorexia, hinc de ſiti, mox de morbis dentium, poſtea de vomitu, cardialgia, alvi conſtipatione &c. agitur. Iſta vero monita tantæ veritatis, tanti ponderis pronunciat clariſſimus *Doleus* in præfatione huic libro præfixa, ut ea inſtar aphoriſmorum Hippocratis obſervanda arbitretur. Interim talia paſſim occurrunt, quæ Practicorum experientiæ forſan dubia videbuntur. Sic pag. 251. in ipſo aſthmatis paroxyſmo, ubi præſentiſſimo opus eſt auxilio, fonticulos jubet excitare. Sic pag. 258. venæ ſectionem eſſe magnæ efficaciæ in tuſſi fere quacunque aſſerit. Pag. 264. contra ſitim in ore detinere jubet butyrum recens, vel eine Schwarte von Speck. Pag. 282. ſudoriferorum in febribus intermittentibus effectum ſalutarem ſe non obſervaſſe ait: pag. ſequ. 283. tamen eum, qui febricitantibus morigeris bene conſulere velit, jubet exhibere vinum calidum & cereviſiam calidam; ſic enim ſudores largius profluere. Imo pag 284. felicem prædicat Medicum, qui aliquot ante paroxyſmum horis & catharſin leviorem, & ſudationem mediocrem citra turbas excitare poſſit. De reliquo autem pro ſpecifico antifebrili pag. 283. omnibus commendat antihecticum Poterii cum ſale Ammoniaco vel arcano duplicato. Pag. 292. verum variolarum antidotum celebrat tincturam roſarum, vel bellidis, vel violarum. Atque hic repeti poſſet prognoſticon ſuperius pag. 227. expoſitum, nimirum variolas, quæ ſex poſtremis anni menſibus invadant, nullas poſt ſe relinquere foveas. Pag. 311. in apoplexia cauterium actuale vertici capitis & nuchæ adhibendum ſuadet. Pag. 317. arthriticos tandem fieri hydropicos, & fonticulos quo plures numero, eo hic efficaciores pronuntiat &c. &c. quæ ſingula an ex Dodona profluxerint, noſtrum non eſt judicare, ſed arte peritorum.

III. Notæ annectuntur in praxin & chirurgiam Barbetti, utpote quarum utraq; ex nimia brevitate obſcuritatem præ ſe ferre ipſi fuit viſa. Et quidem fatetur clariſſimus Autor, laudem meruiſſe Deckerum, qui huic malo obviam iturus notas elegantes in praxin illam ediderit: eas tamen nondum ait rem omnem exhauſiſſe, & adhuc operæ pretium eſſe, ut novæ ſuperaddantur. Supplevit itaque hunc ipſe defectum, mox cauſas morborum magis dilucidando, mox medendi

methodum corrigendo, additis hinc inde aliis medicamentorum formulis, quorum ſubinde infallibilem vim deprædicat. Sic e, g. in anorexia ſive appetitu proſtrato pag. 451. ſequenti non dari præſtantius aſſerit remedium: ℞ cortic. arantior. ℨij. tartari vitriolati, ſalis abſynthii a. ℥j. M. F. P. Doſis quantum cultri cuſpide poteſt contineri. Sic pag. 477. in dyſenteria omnibus medicamentis præfert flores roſarum rubrarum, earumque tincturam. Pag. 502. elixir uterinum Mœbii tanquam arcanum commendat in paſſione hyſterica, &c.

Tandem IV loco invenitur Collegium Medicum practicum ad Caſus Medicinales Timæi von Güldenklee/ ubi affectuum hiſtorias verbotenus repetit, ſubjungens ſtatim reſolutionem juxta ſua principia. De reliquo, quod fieri omnino in ſimili labore oportet, mox a Timæi mente recedit, jam eidem adſtipulatur, nunc de novo quædam addit, ceu paſſim videre eſt, & exemplorum loco caſ. 17. & 25 libri I. nec non caſus 1. & 34. libri IV. inſervire poſſunt. Breviter: id voluit hiſce annotationibus efficere, ut majus emolumentum poſthac ex relectione iſtorum caſuum exurgeret praxin Medicam aggreſſuris. Finem libri rerum verborumque index excipit.

SELECTIORES DISSERTATIONES quatuor de Scriptura Sacra, novæ Hiſtoriæ Criticæ V.T. auctori P. Richardo Simoni, ejusque Adverſariis Theologis Batavis inprimis oppoſitæ, Autore JO. HENRICO MAJO S. Theol. D. ejusdemque, ut & Ling. Oriental. Profeſſore & Eccleſiaſte Gieſſenſi.

Francofurti & Wetzlariæ impenſis Chriſtophori Olſen, 1690.

Conſtant plagulis 10.

CUm ſacrarum literarum monumentis noſtra contineatur ſalus, advigilandum ſedulo eſt fidelibus eccleſiæ doctoribus, ne divina ipſorum auctoritas evileſcat aut labefactetur. Quod penſi vel maxime habens plurimum reverendus *Auctor*, cum videret a celeberrimo temporis hujus Critico *Richardo Simonio*, ejusque adverſariis *Theologis Batavis* id agi, ut variis cuniculis vel aperto etiam Marte ſanctiſ-

ſanctiſſimi codicis dignitas ſubvertatur; temperare ſibi non potuit, quin inſtituto tam periculoſo ſe opponeret pro viribus, ſacrisq; Scripturis auctoritatem ſuam a viris iſtis doctiſſimis in dubium vocatam aut plane impugnatam aſſertum iret. Hinc ipſi enatæ ſunt diſſertationes iſtæ quatuor, variæ omnino eruditionis genere refertæ, prout ex ſumma earum, quam ſubjiciemus nunc, lectoribus clarius patebit.

In *prima* itaque *diſſertatione* de *Inſpiratione Sacrorum librorum* agit: ubi cum obſervaſſet ab initio, homines ſemper extitiſſe perverſos, qui ſacrorum voluminum dignitatem convellere ſategerint, quos inter agmen quaſi ducat *Spinoſa*, a Batelerio, Mansveldio, Cupero, Blyenburgio, Huetio, Muſæo etiam noſtro refutatus; quem excipiat *Richardus Simon*, conficta de Scribis publicis in populo Judaico ſententia obviam ſe ire poſſe Spinoſæ arbitratus; quum tamen, obſervantibus *Theologis Batavis*, id genus diſputandi faveat magis Spinoſæ, quam obſit; illos ipſos autem Theologos pejus adhuc ſentire de *Sacrarum literarum inſpiratione*, in publicum evulgatis *de hiſtoria critica V.T. Simonis judiciis*, quæ & a nobis *Anno 1686. Menſe Septembr. p. 432.* his Actis noſtris inſerta ſunt: eos ſe nunc refutaturum, & Simonii inſuper reſponſis ſatisfacturum eſſe promittit. Quod ut eo commodius & expeditius fiat, veram eccleſiarum noſtratum de θεοπνευςίᾳ ſacrorum Auctorum præmittit ſententiam: ideo nimirum *S. Scripturam verbum DEI* appellari, quod Deum Triunum habeat auctorem, qui interiori afflatu impulſuque amanuenſes ſuos non tantum inſtigaverit ad ſcribendum, ſed eisdem etiam ſuggeſſerit, *quid quomodoque ſcriberent ac loquerentur*, imo in eis & per eos locutus ſit, & in calamum dictaverit tum ſententias ſive ſenſum, tum etiam verba ſingula & literas, quæ proinde ἱερὰ γράμματα, & omnis & tota Scriptura θεόπνευςος dicantur: ac proinde ſacros ſcriptores peculiari privilegio gaviſos, nec memoria lapſos eſſe, nec dolum erroremve commiſiſſe, ſed optime cuncta percepiſſe, tum in ſe, tum ratione modi, quo præciſe Deus his ipſis vocibus, ſyllabis, literis, apicibus conſignari verbum ſuum voluerit; qui tamen miranda συγκαταβάσει ſic ſe demiſerit, ut afflatus ſuos ad ſcriptorum ingenium temperaverit, ſuoq; conſueto dicendi genere uti iisdem permiſerit. Huic igitur in Scriptura fundatiſſimæ ſententiæ contradicere Theologos illos Batavos, quos *Richardus Simon* eſſe putavit *Natalem Albertum de Ver-*

de Verſé, & *Jo. Clericum*; quorum poſterior *Judicia* illa univerſa ſibi tribui, haud invitus, ni fallimur, patietur. Theologos itaq; iſtos perſonatos,quicunq; ſint, ſtatuere, *triplicis generis reperiri res*, quæ ſingulari revelationi adſcribi nequeant, *prophetias* nempe, *hiſtorias* & *doctrinas*. Ac in prophetiis quidem,ſive per viſionem,ſive per voces,ſive per inſpirationem datæ ſint, (ad has enim claſſes reduci poſſe exiſtimant omnia vaticiniorum genera) non requiri neceſſario, ut ſingula verba ſint divinitus inſpirata, ſed ſufficere, ſi de rebus hoc concedatur, cum negari non poſſit, quemlibet Vatem proprium ſequi ſtylum, ab omnibus aliis diverſum. At plurimum reverendus Majus non tantum clariſſimis Scripturæ teſtimoniis, ex *Jer. I. 9. XXX. 2. XXXVI. 2. Num. XXIV. 4. Deut. XIIX. 18. II. Cor. XII. 8. II. Pet. I. 20. 21.* evincit,ipſa etiam verba divinis amanuenſibus fuiſſe ſuppeditata, ſed neque indignum fuiſſe Deo, quod ipſorum ingenio & uſitato loquendi ſcribendique generi ſeſe accommodaverit. Non enim ita ſe demiſiſſe ſupremum Numen, ut ſuæ auctoritatis majeſtatiſque non habuerit rationem, quas ſubinde per formulam נאם יהוה indicaverit,quæque ex ipſa ſtyli diverſitate effulgeant.Equidem negare Anonymum, per formulam illam, *ſic dixit Dominus*, probari poſſe, Prophetas ipſa verba Deo referre accepta; cum moris ſit apud Hebræos & Græcos, tanquam directe loquentes introducere eos, quorum ſenſus tantum referant, non ipſa verba, quibus uſi ſunt; quod duplici conſtet exemplo, uno ex Decalogi præceptis ex Exodo & Deuteronomio diverſis verbis repetitis deſumpto, ubi tamen utrobique Deus ſiſtatur loquens. Verum id ſententiæ orthodoxæ nequaquam officere, quia Deus æque ac Moſes unam eandemque rem lubens prudenſque diverſis nominibus exprimere potuerit, quod multoties fieri per univerſam Scripturam videamus, ſicut & ea libertas profanis ſcriptoribus unam eandemque rem iterantibus concedatur; quanquam & cauſa ſubſit, cur Moſes in Deuteronomio Dei juſſu aliter loquatur ac in Exodo. Sic cum ex N. T. (quod alterius loco exempli ſit) evangeliſtas dicunt Chriſtum directe loquentem introducere, qui tamen ipſa ejus verba non enarrent, cum conſtet Servatorem Syriace & Chaldaice locutum eſſe,qui & ſæpe immane quantum inter ſe differant; Autor in contrarium ait.Evangeliſtas verba Chriſti Græco referre idiomate a Spiritu S. edoctos; differentiamque

Sacro-

Digitized by Google

ſacrorum Scriptorum ex libera Spiritus S. dependere voluntate, neque quicquam derogare veritati. Majori ſpecie urgeri poſſe,quod dicunt, accidiſſe interdum, ut DEUS,licet nec verba, nec ſenſum inſpiraverit, de quorundam ore traxerit prophetias, quas qui emiſerint, nec intellexerint, neque vaticinia eſſe crediderint; cujusmodi ſint prædictiones multæ ex V.T. in Pſalmis præcipue Davidis,& Caiphæ in N.T. Sed negat Autor ex II. Pet. I. 20, 21, dari prophetiam, ubi DEUS neque verba, neque ſenſum inſpiraverit, aut ſi dentur forſan paucæ, ad prophetias generatim id trahi poſſe, cum longe aliud de Prophetis tradatur I. Pet.I, 10. id quod egregie Patrum dictis illuſtrat. Denique cum ſtatuant Theologi Batavi, dari *prophetiæ genus*, quod ſolum in explicatione Scripturæ verſetur, & in compoſitione extemporali canticorum, veluti Mirjam,& Deboræ, quodque nihil niſi pietatem & zelum requirat; pſalmos etiam ſecundum ſeriem alphabeti Hebraici compoſitos videri plus otii & laboris,quam afflatus divini requiſiviſſe, neque legi in ejusmodi operibus ſacros Scriptores nomine DEI loqui: Autor noſter aſſeverat, illud quoque Prophetiæ genus, quod in explicatione Scripturæ verſatur, non eſſe ἰδίας ἐπιλύσεως; pietatis vero illum Spiritum ad ſacros hymnos Deo decantandos excitantem homines ſacros, non vulgarem, ſed omnino propheticum Prophetisque proprium fuiſſe; eoque & Mirjam & Deboram נביאות, Exod. XV, 20. Jud. IV, 4. & Davidem Prophetam vocari Act. II, 30; qua occaſione de voce נביא quædam eleganter diſputat. Inveſtigationem vero, meditationem & laborem ideo non poſſe denegari Prophetis, quod Petrus, I.Ep.I, 10. de iis dicat, ὅτι ἐξεζήτησαν καὶ ἐξερεύνησαν περὶ τῆς εἰς ἡμᾶς χάριτος προφητεύσαντες. Quod vero ultimo dicatur loco, refutari aperte ex II.Sam.XXIII, 2. Pſ. XLV, 2.

A libris propheticis cum *Theologis Batavis* ad *hiſtoricos* progreditur Autor, quos non meliori loco memorat haberi ab ipſis, cum nihil amplius in iſtorum autoribus requirant, quam probitatem, cognitionemque earum rerum, quas tradunt, quibus proinde merito fides habeatur, quamvis non credatur, facta, ſeu res, & verba eis fuiſſe inſpirata; nam illud ſupponi tantum, nulla idonea ratione probari; miracula fingi ſine neceſſitate, quaſi inſpiratione indiguerint, qui factum aliquod vel audiverunt, vel viderunt; Scriptores

ſacros ipſos diverſum ſtatuere, ut Lucam ab initio evangelii ſui; idq; patere ulterius ex contradictionibus hiſtoricorum in circumſtantiis quibusdam, tum ex deſignatione temporis & numeri, quæ definire exacte neſcientes voce *circiter* uſi fuerint. Sed inania hæc terriculamenta eſſe probat Autor; neq; enim ſupponere ſolum orthodoxos Theologos inſpirationem, ſed ſolidis rationibus iisque bene multis adſtruere; & ideo præter neceſſitatem non fingi aliquod miraculum, cauſas enim fuiſſe ſane, cur licet antea multa aliunde cognita habuerint, tamē ea ipſis *in actu ſcribendi* a Spiritu S. ſuggererentur, quas ipſas verbis *Voetii* & *Bellarmini* fuſius eloquitur. Lucam vero, quem in partes advocent, quum cap. I,3. dicat: *viſum eſt mibi* παρηκολουθηκότι ἄνωθεν πᾶσιν ἀκριβῶς, καθεξῆς σοι γράψαι, ipſis adverſari; cum aperte ad Spiritus S. inſpirationem provocet, ut ex propria vocis ἄνωθεν ſignificatione conſtet, quam recte *Eraſmus*, *Cloppenburgius*, *Gomarus*, *Lightfootus* per *deſuper* vel *ſuperne* reddant, hoc ſenſu: *aſſecuto omnia cælitus*. Non magis conſiſtere, quæ de contradictionibus ex quibusdam circumſtantiis diſcrepantibus oriundis afferant; neque enim & olim & noſtris defuiſſe temporibus, qui contradictiones iſtas non vere tales, ſed apparenter tantum, vaſtis voluminibus demonſtraverint. Leve demum eſſe, quod ex voce *circiter* elicere velint, ex Epiſcopio ſuo & Grotio deſumptum, quum vox illa non arguat incertitudinem vel ignorantiam ſcribentis, ſed pertineat ad ampliandam rationem vel numeri, vel menſuræ, vel diſtantiæ.

Tandem cum *doctrinas* eſſe ſtatuant *in ſacra Scriptura comprehenſas*, quæ peculiari divinæ revelationi directe tribui haud debeant, & eam in rem Orthodoxorum ſententiam deſtruere ſatagant, ad earundem vindicationem Autor progreditur; & imprimis oſtendit ad Jo. XVI,13. confundere ipſos *Spiritum miraculorum* cum *Spiritu veritatis*, & inepte huc trahere Jo. XIV,26. ex quo ſtatuant non niſi ἐν ὑπομνήσει conſtitiſſe Spiritum, quem perſonam fuiſſe tacite inſuper negent. Hinc tamen nihilominus ipſos *infallibilitatem* aliquam tribuere Apoſtolis, quæ in hoc conſtiterit, quod principia Judaicæ religionis ab infantia edocti, & a Chriſto iis, quæ Evangelium Judaiſmo adjicit, probe imbuti, facile & *infallibiliter* reddere viſa & audita potuerint: fieri quidem etiam potuiſſe, ut Spiritus,

quem

quom Chriſtus miſerit, eorum memoriam roboraverit, & incognita quadam ratione ſpiritum (*mentem*) aperuerit; tamen certum eſſe, dictum illum *Spiritum* eosdem non ita miraculoſe direxiſſe, ut quæcunque dixerint, vel ſcripſerint, pari fide pietatisque affectu ſuſcipienda ſint, ac quæ Chriſtus ipſe unicus *infallibilis* & *ſupremus* magiſter atque doctor locutus fuerit. Hæc vero futilia eſſe omnia, & unica Chriſti ſententia, *qui vos audit, me audit*, refutari Autor monet. Reſpondet inde ad magnorum virorum, quæ afferunt, teſtimonia, & objectiones duas adverſus noſtros refellit, negatque ſuis rationibus innixus, Apoſtolos, non per inſpirationem, ſed per conſuetudinem tantum linguam Græcam didiciſſe, eoque impure locutos eſſe & ſcripſiſſe. Hinc *Proverbiis Salomonis*, *Eccleſiaſtæ*, *Cantico Canticorum* & *Jobo* adverſus argumenta Autorum iſtorum autoritatem adſtruit. Denique ſolvit objectiones contra canonem Scripturæ allatas, non poſſe claram efficacemque rationem dari, quod ii, qui canonem Judæorum concinnarunt, ad diſtinguendos libros θεοπνεύςους ab aliis, fuerint infallibiles: tribui id quidem Synedrio magno illius temporis, in quo Zacharias aliique Prophetæ fuerint, ſed doctos hac de hiſtoria dubitare: Judæorum canonem & diſtinctionem in *Legem*, *Prophetas* & *Cethubim* ſibi potius favere, cum fateantur Judæi *hagiographos* non ita, ut Moſen & Prophetas inſpiratos fuiſſe: neque locum in Evangelio eſſe, quo tradiderit Chriſtus, V.T. libros ſecundum res & verba divinitus eſſe inſpiratos. Regerit enim Autor doctiſſimus, non a Judæis, ſed a DEO conſtitutum inque publicum uſum eccleſiæ deſtinatum eſſe canonem; & Eccleſiam ſaltem declarare & teſtari, quinam ſint libri illi canonici, eosque ad poſteros transmittere, quod & diſertis verbis fateatur Simon: conſignationem canonis tum fuiſſe factam, cum per ultimum Prophetam Malachiam ultimam lineam appoſuiſſet Spiritus S. & a gente Judaica ſe retraxiſſet, fatentibus id Judæis: doctiſſimos vero Judæorum ultro largiri, *Cethubim* eſſe quoque libros Propheticos, quod contra *Maimonidem Abarbanel* probaverit: Chriſtum denique canonem pro inſpirato divinitus habuiſſe, ex Luc. XXIV, 44. haud abs re colligi; qui & ſpeciatim Matth. XXII, 31. 43. aliquos libros biblicos a DEO profectos eſſe pronunciet.

In *Diſſertatione Secunda* agit de *libris Canonicis in arca fœderis reconditis*,

conditis. Ubi ante omnia docet, hanc rationem diſtinguendi libros Canonicos ab Apocryphis in V.T. in uſu fuiſſe, quod illi in vel juxta arcam, hi extra eandem fuerint repoſiti; quem morem jam olim *Epiphanius* indicaverit, quando in libro *de ponderibus & menſuris* cap. IV *Sapientiam*, inquiat, & *Siracidem utiles quidem, ſed e Canonicorum numero excluſos*; (in cujus verbis quidem: ἀλλ᾽ εἰς ἀριθμὸν ῥητῶν οὐκ ἀναφέρονται· διὸ δὲ ἐν τῷ Ἀαρὼν ἀνετέθησαν, appareat mendum, cui tamen addita infitiali particula ſtatim medela afferri poſſit, ut ſenſus ſit: quamobrem & in *Aron* (ארון) h.e. in arca fœderis, repoſiti *non* ſunt,) ac Jo. Damaſcenus ex Epiphanio repetat, unde & libri canonici a veteribus ἐνδιάθετοι denominentur. Poſtmodum verba ex Moſe producit Deut. XXXI, 24. 25. 26. quæ hujus rei fundamentum ſint. Nam in iſtis deſignari *tempus* repoſitionis in arcam, tum nimirum, cum *Moſes abſolviſſet omnia*; unde fluat, Moſen totius Pentateuchi autorem eſſe, nec ullam reliquiſſe legem oralem, neque tantum ſenſum legis ex DEO hauſiſſe, ſed ipſa quoque verba. Pateſcere porro exinde, *quibus injunctum* id fuerit officii, *Levitis* ſcilicet, ſub quorum nomine comprehendantur & Sacerdotes, id quod ex Deut. XXXI, 9. evidenter conſtare poſſit. De *loco* difficiliorem eſſe quæſtionem, quæ ex genuina vocis מצד explicatione ſolvatur. Quum itaque variorum hac de re ſententias allegaſſet, quorum aliqui duas fingant arcas, quod una ſacris libris capiendis non videatur ſuffeciſſe; alii una contenti ſint; alii ad latus exterius libros poſitos fuiſſe autument, quod ex I. Sam. VI, 8. evincere conentur, quibusque ſubſcribat Buxtorfius, ac ante hunc Jonathan paraphraſtes, Talmud utrumque, Aben Eſra, David Kimchi; alii denique in lateribus arcam putent receptacula habuiſſe, in quibus reconditi fuerint: ipſi ſimpliciſſimus hæc componendi modus videtur, diſtinguere tempora, ut dicamus ſeculo Moſaico, quorſum Apoſtolus in epiſt. ad Hebræos reſpiciat, omnia ab eodem commemorata in arca fuiſſe; Salomonis autem ævo, ſolam legem manſiſſe intra arcam, ac reliqua juxta eandem commodis locis diſpoſita & aſſervata eſſe: quanquam judicium hac de re *Sebaſtiani Schmidii* ex *Comment. in I. Sam. IV.* in capſula juxta arcam librum legis reponentis, inſimul adjungat. Si *de libris* ipſis quæratur, non Deuteronomium tantum, ſed totum Pentateuchum ad latus arcæ re-

poſitum

Digitized by Google

poſitum fuiſſe ait, imo & poſtea librum Joſuæ, librosq; Samuelis; id quod ex Joſ. XXIV, 26. I. Sam. X, 25. colligi poſſit. Sed quo repoſiti ſacri libri fuerint ſub templo ſecundo, ubi arca defecit, quoque indicio pro Canonicis habiti fuerint? ulterius diſquirit. Equidem rem expeditam fore ait, ſi modo validis rationibus probatum fuerit, nec templo ſecundo arcam defuiſſe; ſed mavult tamen concedere in ſententiam celeberrimi *Carpzovii* noſtri, qui in *diſſertatione* de *arca fœderis* juvenilibus annis habita, non arcam tantum hanc cum propitiatorio, inque ea contentis, virga Aaronis, legis tabulis, & urna mannæ, ſed *libros* quoque *canonicos* incendio conflagraſſe ſtatuit. Non tamen putat Autor aliquem temere negaturum, gentem Judaicam majorum inſtitutis tenaciter inhærentem, antiqua deperdita, novam fabricaſſe arcam, unde notiſſima, γραφαὶ ἐνδιάθετοι, exiſtat formula. Ultimo demum loco de *fine* librorum in arca repoſitorum diſſerit, per Moſis verba והית שם בך לעד ſubindicato. Debuiſſe nempe eſſe *in teſtimonium* toti cœtui Iſraelitico, unde & arca ipſa העדות *teſtimonium* dicta ſit, divinæ nimirum voluntatis erga homines. Ubi prolixius docet, tum quomodo lex teſtis teſtimoniique locum habere debuerit apud Sacerdotes, quod quaſi *depoſitarii* eloquiorum *ſcientiam* cuſtodire debuiſſent; quorſum Paulus reſpexerit non ſemel adhortatus Timotheum, *ut cuſtodiret depoſitum*, e. c. I. Tim. VI, 20: tum & qua in re univerſo populo teſtis eſſe debuerit, de gratia videlicet & ira Dei, de voluntate ejus legali & evangelica teſtimonium ferendo. Ex quibus conficit, autoritatem Scripturæ nos ſequi, dum illos tantum Veteris Inſtrumenti libros, qui traditi a ſacris Scriptoribus Eccleſiæ fuerunt, pro canonicis habemus, recipimusque; quorſum ſpectet inprimis illud Pauli Rom. III, 2. ex quo colligatur, DEUM non tantum oracula ſua crediſſe Judæis, quia eos πιςοὺς invenerit, ſed & quia tales fecerit, & eccleſias *fidele quidem & infallibile* teſtimonium reddere poſſe de Scriptura, ut non tamen ſequatur illico, eccleſiam in omnibus aliis capitibus eſſe infallibilem, quoniam peculiaris providentia circa verbum occupata fuerit. Quod poſtquam ulterius deduxiſſet, & conſectaria adverſus Pontificios inde elicuiſſet, ad quæſtionem reſpondet: *Si Canon perfectus fuerit in ſcriptis Moſis, quorſum reliqua ſcripta adjecta fuerint?* Perfectionem nempe canonis non definien-

dam eſſe numero librorum, ſed voluntate DEI, qui pro ſuo arbitrio canonem certum conſtituerit, jam paucioribus, jam pluribus conſtantem libris, ita tamen ut canon ſemper perfectus extiterit. Sic Moſis ævo quinque volumina abſolviſſe integrum canonem: qui poſtea adjecti fuerunt libri, non tam ſupplementorum, quam explicationum & commentariorum loco habendos eſſe. Denique contra *Spencerum* ex ſacris gentium ciſtis arcæ hujus originẽ pro more arceſſentem, & eam non alii rei quam conſervandis, quæ in ea abſcondebantur rebus inſerviiſſe opinantem, refutatis ejus in contrarium argumentis, & pro ſe allegatis Rom. III, 25. Ebr. IV, 16. IX, 4. diſputat.

In *Diſſertatione Tertia*, quæ de conſignato Scripturæ canone inſcripta eſt, poſtquam monuiſſet Autor, magni utique momenti controverſiam eſſe, *quando*, *a quibus*, & *quomodo* collectum, digeſtumque ſyſtema Veteris Inſtrumenti fuerit, quum omnes diſputationes, quibus librorum ſacrorum γνησιότης probatur, unica de eorundem canone diſputatione contineantur; poſtquam & docuiſſet, per Canonem *collectionem* & *catalogum ſacrorum librorum* intelligi, refutato obiter *Simone*, *duplicem Canonem*, Eccleſiæ unum, alterum Synagogæ ſtatuente; diſquirere inſtituit, *quando* illa ſacrorum librorum collectio facta ſit. Communiter id *tempore Eſræ* factum eſſe ſtatui ait, quam ſententiam maxima Rabbinorum pars, Huetio & Simone teſtibus, amplectatur, quam tamen repudient *Batavi Theologi*, ut & diſſertatione prima jam dixerat. Clariſſimus vero Majus, licet patrocinari cæteroquin Talmudicis doctoribus nolit, non tamen omnem prorſus fidem eisdem denegatam cupit, Pauli elogio Rom. III, 2. adductus, & quod veriſimillimum ſit, Eſræ tempore totum id negotium confectum, quoniam LXX interpretes eundem canonem in ſua translatione retulerint, adeoq; jam ante collectos eſſe libros, conflatumq; eorum canonem oportuerit; quod Huetius etiam ex Sirac. XXXXIX & loco ex Joſephi Lib. I. contra Apionem confirmaverit. Quo facto, argumento contra Patrum autoritatem reſpondet, & ex Eſr. VII, 10. ipſum libros ſacros collegiſſe demonſtrat, non obſtantibus, quæ ex II. Mac. II, 13. afferantur. Eſſe vero non minus ancipitem quæſtionem, *quomodo* in canonem ſacri collecti ſint libri? Narrat itaque Autor, Syn-

agogæ

agogæ magnæ, cujus pars Eſdras, Nehemias, Aggæus, Zacharias, & Malachias fuerint, id vulgo opus attribui. Eam librorum ſacrorum conquirendorum, excutiendorum & dijudicandorum provinciam Eſdræ, patriæ antiquitatis Ebraicorumque rituum peritiſſimo viro, dediſſe, ſed ita tamen, ut ipſe de rebus a ſe mature expenſis ad illam referret, quæ eas demum ſupremo arbitrio determinaverit: quæ utut recepta inter eruditos ſit opinio, novos tamen illos Criticos *Simonem* & *Theologos Batavos* ſpecioſam Synagogæ magnæ fabricam ſubvertiſſe, cum neque in Eſra, neque in Nehemia, neque in Joſepho ulla ejusdem reperiatur mentio; & *illum* ad ſcribas ſuos publicos confugere, jam dudum a Batavis ipſis exploſos; *hos* vero a privatis colligi potuiſſe canonem putare, quemadmodum libri N.T. collecti ſint, quæ tamen ipſa ſententia, eadem facilitate, qua affertur, rejiciatur. Nempe ut liber aliquis canonicus ſit, non ſufficere, eum eſſe divinitus inſpiratum, ſed requiri, ut inſuper divinitus ordinatus & traditus ſit eccleſiæ, ut regula fidei & norma. *Lightfooto* igitur Autor adſtipulatur, qui Prophetas ſanctos & divino Spiritu afflatos, a nefariis hominibus licet pro ludibrio habitos, a piis tamen honoratos ſemper fuiſſe affirmat. Quæcunque ergo illi ex dictamine Spiritus S. ſcripſerint, in piorum manus ab ipſis tradita, pro divino verbo ab illis recepta, æſtimata & ſervata eſſe, uſque dum Malachias ſuam conſcripſiſſet prophetiam: tunc enim perfectum & completum V. T. canonem ipſum obſignaſſe, illos recepiſſe.

In *Diſſertatione* denique *quarta*, *vindicias* adornat Autor *verſionis B. noſtri Lutheri*, poſt multos & olim & hodie hoſtes recentiſſime a *Richardo Simone* infeſtatæ, contendente primis Eccleſiæ ſeculis incognitam fuiſſe illam variarum verſionum diverſitatem; temere ergo Lutherum primum inter Proteſtantes auſum fuiſſe, juxta Ebræos fontes vulgari lingua verſionem edere. Quod falſiſſimum eſſe, ex ipſius Simonis confeſſione, & ex hiſtoria eccleſiaſtica evincit Autor, non tantum paraphraſes in Chaldaica, ſed & in aliis multis linguis enatas eſſe oſtendens, ut *Hieronymus* & *Auguſtinus* ſuo jam ævo dixerint, Græcas ſacri codicis interpretationes numerari adhuc poſſe, ſed Latinas eſſe infinitas. Si vero culpandus ſit Lutherus, quod plebi ſacra myſteria expoſuerit, reprehendi debere omnes

illos,

illos, qui vel idem præceperint, vel tenuerint inſtitutum. Nec crimen eſſe, quod ex Ebræis fontibus ſacrum codicem tranſtulerit, cum & Hieronymus, laudante Simone ipſo, & Santes Pagninus, probantibus Pontificibus & permittentibus, idem fecerint. Injuriam autem fieri Luthero a Simone, quod ipſum arguat Hieronymum ignorantiæ Ebraicarum literarum accuſare, cum exiguam Ebrææ linguæ notitiam habuerit ipſe. Nam *in epiſtola ad Linckium* defendi Hieronymum & laudari a Luthero, nec ejusmodi verſionē qualē Lutherus adornavit, ab homine mediocriter admodum in Ebraicis verſato proficiſci potuiſſe; potius conſtare, quo ardore ſacram hanc linguam hauſerit, quam peritiſſimos conſuluerit, adhibitis inſuper in labore ſociis, & inſtituto quodam ſynedrio, quod prolixius deſcribit. Nec dici poſſe, quod tantum opus præcipitaverit nimis, cum Lutherus de labore difficili & diuturno operi impenſo ſæpius conqueſtus fuerit. Sed nec Lutherum ipſum, nec quenquam ex ipſi addictis verſionem hanc pro infallibili habere; itaque fruſtra objici, cordatiores inter Proteſtantes multos errores in illa notaſſe, cum extra controverſiam ſit, rivulos non ita pure fluere ut fontes; & Lutherum ipſum non detrectaſſe cenſuram, quanquam verſiones Germanicæ ab aliis adornatæ vel deteriores ſint Lutheri verſione, vel in paucis ab ea recedant. Denique quid de ſtudiis Rabbinicis ſenſerit Lutherus, ex ipſius verbis monſtrat Autor, quo ipſo & methodum ſacras interpretandi literas Luthero uſurpatam vindicat, non diſſimulans interim, ejus verſionem, ſicubi vacillet, emendari poſſe. Conſcripſit idem Majus diſſertationes alias ſacras de dictis quibusdam claſſicis, de quibus proximo anno aliquid dicere haud negligemus.

MATTHIÆ HONCAMP SACRÆ SCRIPTURÆ & ſanctorum Patrum Apologia.

Moguntiæ, ſumptibus autoris, 1690. in 8. plagul. 15.

QUemadmodum Richardum Simonem & Johannem Clericum clariſſimus *Majus* noſtras in diſſertationibus modò laudatis refellere ſtuduit: ita e Pontificiis in eosdem Duumviros ſtylum ſtrinxit *Matthias Honcamp, ad gradus B. M. V. Moguntiæ Canonicus Capitularis, ejusdemque eccleſiæ collegiatæ Prædicator ordinarius.* Edidit

autem

autem anno 1688 hanc Apologiam, cui novum nuper demum frontiſpicium, una cum *cenſura Ordinarii*, Quirini Kunckelii, d. 8. Martii A. 1690 Moguntiæ data, præfixit. Pauciſſimis, dixiſſemus pene nullis, Scripturæ ſententiis rationibusque criticis utitur, ſolamque autoritatem ac illuminationem Patrum eccleſiæ divinam elogiis copioſiſſimis effert, ac perpetuis ſchematibus affectuoſis verbisque acerbiſſimis utrique adverſariorum effrenem de Scriptura Sacra judicandi libidinem exprobrat. Nos prolixi non erimus, cum tota fere operis moles in generalibus ſubſtiterit, & ipſe antagoniſta *Johannes Clericus*, non mala fide, ejus ſummam Tomo X *Bibliothecæ* ſuæ *univerſalis hiſtoricæ* inſeruerit, adjectis eis, quæ reponenda e re ſua fore autumavit.

VITA DEL P. M. F. DOMENICO DI S. TOMASO, &c. i. e.

Vita Patris Magiſtri, *F. Dominici de S. Thoma* ordinis Prædicatorum, olim dicti *Sultan Oſman*, Ottomani, Ibraimo Turcarum Imperatore nati; libris decem expoſita a Patre Baccalaureo F. *Octaviano Bulgarino*, Vicario Generali Congregationis S. Mariæ Sanitatis de Neapoli, ordinis ejusdem.

Neapoli apud Joſephum Roſellium 1689. 4. Conſtat plagulis 51. & imagine *P. Ottomani* æri inciſa.

I*BRAIMUS Solimanni* hodie regnantis pater, mortuo fratre *Amurathe*, hæreditatem imperii Turcici anno 1640 crevit, ac initio quidem puellarum in Seralio degentium gregibus rei Venereæ minus cupidus aut capax viſus eſt, adeo ut ſuorum precibus adactus, ſolenne votum Muhammedi pſeudoprophetæ nuncuparit, miſſurum ſe primogenitum, ſi quis ſibi naſceretur, filium Meccam, ut illic religioni Turcicæ circumciſione initiaretur. Primam autem conſuetudinem habuit cum *Emina*, quæ tamen die demum 22. Martii anno C. 1642. *Muhammedis IV.* (e throno in carcerem nuper detruſi) patrem ipſum fecit. Longe felicior fuit *Zafira* quædam, rariſſimæ formæ puella, a domino ſuo, *Aga Zumbul* eunucho & cuſto- L. I.

 dum

dum Seralii præfecto, Sultani libidini oblata moxque gravida facta. Eodem enim anno, ſed die 2. Januarii, maſculum enixa eſt, quem *Oſmani* nomine appellari voluit Ibraimus. Interea Ibraimus crudelitate, faſtu ac ingratitudine ſua odium incurrit matris *Kioſem* Sultanæ, itemque *Mufti* atque virorum aliorum magnæ dignationis ac autoritatis. Utut vero horum plerique clandeſtina conjuratione decreviſſent, Tyrannum ſceptro, quin & vita privandum; noluere tamen impetum in eum facere, antequam filium ejus majorem natu in ſuam poteſtatem redegiſſent, ne in ipſum pater deſævire poſſet, ſpe forſan fretus, neminem ſecum de imperio decertaturum, ſi liberos ſuos e medio ſuſtuliſſet, ac nullus ſtirpis Ottomannicæ ſurculus, præter ſe ſolum, ſuperaret. Summus igitur ſacrorum Muhammedicorum antiſtes, callido conſilio magnaque cum pietatis ſpecie, etiam atque etiam ſuaſit ac perſuaſit tandem Sultano, ut votum, quo Muhammedi tenebatur, exſolveret, filiumque *Oſmanum* Meccam mitteret circumcidendum. Sperabat nempe cum complicibus, regium gnatum in itinere intercipi ac tamdiu Alexandriæ aſſervari poſſe, donec patrem ſolio deturbarent, iſtumque hujus in locum ſufficerent.

Equidem admonitionibus Mufti Ibraimus annuebat invitus, ut qui maxime, eo quod Zafiram ſuam ſummo amoris affectu complecteretur, nec abſque illa aut vivere ſe poſſe, aut filium dimittere debere crederet. Conſenſit nihilominus in utriusque iter, ea potiſſimum fini, ut Zafiram æmulæ furori ſubduceret. *Emina* quippe ægerrime ferebat, ſeſe primam Sultanam matremque primogeniti Principis Turcici non evaſiſſe, cum tamen prima amicarum Ibraimi fuiſſet. Hinc venenum Zafiræ propinari curaverat, ſed antidotis præmunitæ. Suſpicio ſtatim ſubnaſcebatur Ibraimo, ſcelus iſthoc Eminæ facinus eſſe. Juſſit igitur eā coram ſe comparere, quod & lubens fecit, vultu ad lætitiæ innocentiæque ſpeciem compoſito, filiolum Muhammedem brachio impoſitum ſimul adferens. Impudenter negabat, quicquid objectabatur, ac hoc ipſo tantum olei Imperatoris iræ affundebat, ut evaginata ſica, transfodiſſet mulieris audaciſſimæ pectus, niſi *Muhammede* puero loco clypei uſa, fugaque elapſa fuiſſet. Infantis tamen fronti vulnus aliquod inflixit pater, conjugis cor ferro petens, & cicatrix illinc enata adhucdum

in

Digitized by Google

in Muhammedis vultu conſpicua eſſe dicitur. Eminæ ergo fraudes veritus Ibraim, (qui cum illa, forſan poſt Zafiræ obitum, in gratiam iterum rediit,) navem præſidiariam majorem, *Magna Sultana* nomine inſignem, centum & viginti tormentis æneis, ſexcentis Janizzariis, quamplurimis utriusque ſexus ſervitiis, omnibusque ad victum & oblectationem neceſſariis onerare præcepit, quam *Zafira* aliquot diebus poſt una cum *Oſmano* filio, *Gele Aga Zumbul* & *Aga Muhammede* ſummo claſſis præfecto, conſcendit, vela verſus Meccam factura. Nec periculi aliquid timendum videbatur, cum eo tempore pacem cum Turcis Veneti, Galli, Angli, Belgæ colerent, novemque naves prægrandem illam *Magnam Sultanam* comitarentur, imo & ſupremo militiæ maritimæ capiti, (*Capitan Baſſa* vulgo dicunt,) prænuntiatum injunctumque eſſet, ut Zafiram apud Rhodum inſulam cum claſſe præſtolaretur eamque Alexandriam deduceret.

Medio Septembris A. 1644. Rhodum pervenit Sultana; ſed *Capitanei Baſſæ* adventum expectare nolens *Geles Aga Zumbul*, autor fuit *Aga Muhammedi*, ut mari iterum committeret claſſem, quæ ſeptem triremibus Melitenſibus obviam facta, cruentiſſimo prælio, cum his confligere ac poſt pugnam quinque horarum deditionem facere cogitur, d. 28. menſis modo dicti. *Zumbul* tormento ictus, captivitatem mortis beneficio evaſerat. Capitaneus Baſſa, ſero nimis illa in æquora adveniens, tarditatem ſuam toxico epoto ipſemet punivit. Revertuntur interim Melitenſes cum ſpoliis opimis ac fidem pene ſuperantibus in patriam, ubi *Zafira* cum *Oſmano* captiva magnam gaudii materiem præbet Chriſtianis. Navarchus *Aga Muhammed* ex vulneribus animique ægritudine moribundus, inter ultimos regii pupi amplexus, quos multis precibus ab equitibus Melitenſibus impetraverat, fatetur, infantem iſtum Ibraimi genus eſſe, nec diu poſt exſpirat. Quamvis ergo Zafira, quænam eſſet, victores ſuos clam habere ſtuderet, omnibusve ſuis, ne proderetur, ſerio inculcaſſet, ex confeſſione tamen Muhammedis, apparatu navis regio, & inſigni gynæceo nomen illius ac fortunam colligebant Melitenſes. Hinc e balneis, ubi vulgus mancipiorum commorabatur, in domum *Ignatii Riberæ* mercatoris opulentiſſimi deducebatur, ſumptibusque immenſis ac regium plane in morem alebatur. Interea pediſſequarum alicui indignabundæ ac adverſus L. III.

Digitized by Google

Riberam ſtomachanti excidit verbum, contra jus & fas Imperatoris Turcici conjugem inſtar mancipii haberi; quod tamen a ſe dictum extemplo negavit ac pernegavit. Idem Ribera per feneſtram aliquam occultam, una cum multis equitibus, nec ſimplici vice, in gynæceum proſpectans, Zafiræ ac Oſmano (remotis arbitris Chriſtianis) regium cultum & verbis, & ſilentio, & geſtibus humillimis præſtari ab univerſo mulierum cœtu, animadvertit. Sub initium anni 1645. graviter decumbebat Zafira, cumque tum primum Melitenſes inexpectato ei dicerent, probe ſe compertum habere ex ipſis Sultanæ ſervis, quæ eſſet, inſtar Furiæ excanduit, horrendum in modum in infidelitatem ſuorum detonavit, ac tandem tanto dolori ferundo impar d. 6. Jan. repentina morte extincta eſt. E familia deinceps ſuperſtite vario modo confeſſio elicitur, captivam illam defunctam Zafiram fuiſſe uxorem Ibraimi. Hæc *authentico* (quem vocant) *proceſſu* (ſive inſtrumento publico) conſignantur, ac ea ratione omnis de ortu regio P. Ottomani dubitandi prætextus tollitur ac præſcinditur.

Magnus Turcarum Imperator, accepto nuntio de conjugis obitu & filii captivitate, bellum univerſo orbi Chriſtiano, præſertim Melitenſibus minatur, ſtatimque militem conſcribit, ſingulari diplomate ſingularum provinciarum præfectis transmiſſo, cujus exempla aliquot adhucdum ſervant Magnates nonnulli Veneti, quodque, (ſi genuinum eſt,) *Evelyno* (de quo mox) refutando vel ſolum ſufficeret. Etiamſi enim *Oſmanni* nulla ibi mentio fit, Zafiram tamen Sultanam illic memorari videas, quæ Dominicum Ottomanum
L.IV. conſtanter pro filio agnovit & habuit. Dum vero Melitenſes magno animo hoſtem expectant, pacem ille cum Venetis initam perfide frangit, Caneamq; occupat, hoc prætextu uſus, quod Veneti Cretenſes Sultanæ raptoribus Meliten cũ præda revertentibus portum & hoſpitium præbuiſſent, revera portum & hyberna ſibi comparaturus, ſi forte una æſtate bellum adverſus equites Religionis Hieroſolymitanæ ſuſcipiendum abſolvi non poſſet. Hæc occaſio fuit belli illius funeſtiſſimi & diuturni Cretenſis, quod Turcis cũ Venetis interceſſit, ac anno demum 1669 in pacem bello haud meliorem abiit.
L.V. Ibraimus interea magnam opum vim pro libertate filii offert Melitenſibus, qui Rhodum contra ſibi tradi poſtulant, non tam ex animi ſenten-

ſententia, quam quod conditione hac (ob legem Alcorani, ſevere prohibentis, ne quis terram, cui Moſchea inædificata eſt, ſponte Chriſtianis cedat,) penitus impoſſibili, docere vellent, puerum illum, Chriſto deſtinatum, pretioſiſſimum victricium armorum ſuorum decus ac præmium, nullo pretio venalem ſibi eſſe. Paulo etiam poſt Ibraimus a conjuratis e medio tollitur, Muhammede filio minorenni in ejus locum ſuccedente. Hic vertente tempore pleraſque novercæ ſuæ comites, perſoluto Melitenſibus lytro, libertati priſtinæ reſtituit. Cæteræ prius aut mortuæ, aut baptizatæ & in gynæceum Reginæ Hiſpanicæ tralatæ fuerant.

Antequam pergamus, obiter paucis monemus, ante vicennium prodiiſſe Anglico idiomate *Hiſtoriam de tribus hujus ſeculi famoſis impoſtoribus, PATRE OTTOMANNO, MAHOMED BEI ſive JOHANNE MICHAELE CIGALA, & SABATAI SEVI*; autore *I.E.* quod eſt, *Joanne Evelyn*, equite, ac Regiæ Societatis Anglicanæ collega. Hæc anno 1669 Germanice in hac noſtra urbe recuſa, & ipſi Cigalæ tunc apud nos in diverſorio publico degenti, ſed ad talia objecta non erubeſcenti, a Studioſis quibusdam oblata, etiamnum nulli non nota eſt. Si itaque Anglum illum audias, *Zafira*, aut, ut ipſe vocat, *Sciabas* mancipium ac concubina fuit Zumbulis Agæ eunuchi, non autem Sultani. Cum vero, incertum cujus culpa, uterum geſtare cœpiſſet, ab eunucho domo expulſa eſt; mox ubi *P. Ottomannum*, puerum formoſiſſimum & aſpectu ſuo Zumbulem quaſi faſcinantem peperiſſet, nutricem agere in Seralio ei licuit: hinc indignationem & zelotypiam Imperatricis, jure an injuria, experta ac dein a Zumbule recepta, eum comitata eſt, ad ſepulchrum Muhammedis Meccanum indultu Imperatoris inviſurum. Nos de hac controverſia liberum judicium relinquimus lectori cordato.

Quæ reſtant nunc recenſenda, facile apud omnes fidem invenient, quoniam ea a Patre Ottomano, toto paſſim orbe notiſſimo, acta eſſe neminem fugit; cum e contrario ſubobſcurum fuerit Europæis, annon forſan Melitenſes erraſint, dum pro hærede Turcici Imperii habuerunt, quem *ſpurium* incertove patre natum magna cum animi confidentia appellavit *Evelynus*.

Nimirum puer ille, cui nomen *Sultan Oſman* olim fuiſſe creditur, L. VI.

 a Pa-

a Patribus Dominicanis in fide Chriſtiana inſtitutus, poſt multas remoras atque tentationes diabolicas, Chriſtianorum ſacris acceſſit, *baptizatus* ſolenniſſime d.23. Februarii A.1656, nomine Dominici de S. Thoma inſignitus, ſtatimque ad ſynaxin panis *eucharistici* admiſſus, *confirmationis* autem, quod dicitur, ſacramentum 4. Aug. 1658 adeptus. Eodem anno d. 29. Octobris *Ordini* Prædicatorum ſive Dominicano ſeſe mancipat ac veſte ſacra induitur. Anno vertente ſolennem votorum profeſſionem præſtat. Sequente A.

L.VII. 1660 *Neapolin* in conventum S. Mariæ de Sanitate *ſtudiorum* gratia ablegatur. Ægrotat illic ob aeris gravitatem. Accerſitur itaque *Romam* a Patre Generali ſui ordinis. Ibi *Alexandri* VII. R. P. pedibus oſculum figit, eumque faventiſſimum ſibi experitur; quemadmodum etiam idem aliquando aſſeveravit, ſe tam certo perſuaſum eſſe de P. Ottomani imperatorio ſtemmate, quam certo ſciret, ſe

L.IIX. Romæ præſentem eſſe. Antonii *Barberini* Cardinalis, Franciæ Protectoris, ſuaſu, d.30. Aug. A.1664. *Lutetiam* Pariſiorum profectus eſt, una cum *Thoma Ignozzio* & *Henrico Chamos*, Patribus Dominicanis, quorum prior, ab eo tempore uſque ad Ottomani obitum, individuus ejus comes omniumque ejus actionum teſtis oculatus fideque dignus, de pleriſque hiſtoriæ hujus momentis Bulgarinum certiorem reddidit, mortuus non niſi ante biennium, anno ætatis ſuæ nonageſimo. Honoribus Imperatoris filio debitis invitum obruerunt *Mutinenſes*, *Mediolanenſes*, *Parmenſes*, *Sabaudi*, per quos in Galliam perrexit; pompa tamen, liberalitate & munificentia longiſſime hos omnes ſuperavit Galliarum Rex, cum Ottomanus Pariſios veniſſet, quod factum 15. Jan. 1665. *Britanniæ* etiam Rex magnum favoris ſpecimen edidit, dum ad Dominici de S. Thoma preces, Armenorum quorundam opes a piratis Anglis prope Smyrnam direptas reſtitui juſſit. Lutetiæ *Legati Turcici* proſtrato in terram corpore eum venerati, ac cum lachrymis dolere ſe teſtati ſunt, quod maximi Imperatoris gnatum miſere adeo veſtitum conſpicarentur; hocque reſponſi tulere ab Ottomano, dolere ſe potiori jure de ipſorum cœcitate, vilemque, quam putarent, veſtem ſibi quavis purpura cariorem eſſe. Dum Lutetiæ commoratur, omnes Græcorum *Patriarchæ*, & *Valachiæ* Principis filius, per nuntium Armenum & epiſtolas non unas hortantur, ut arma arripiat adverſus fratrem Muhamme-

hammedem, eoque caſu auxilia Moſchorum, Iberorum, Æthiopum, Valachorum, Moldavorum, (etſi, ut eventus docuit, ſpe nimis vana ipſique rei minime reſpondente,) pollicentur. Conſiliis igitur collatis cum legato *Veneto*, Pariſiis d. 27. Jul. 1667. valedicit, *Venetias* excurſurus. Urbem ingreſſus honorifice excipitur a Sereniſſimo Senatu, qui deſiderium Viri, Candiam a Turcis obſeſſam Reipublicæ commodo ſeſe conferendi, cum gaudio & prolixa gratiarum actione percipit. Hinc Romam adit Noſter d. 10. Jan. A. 1668, novi Pontificis *Clementis IX.* de conatibus ſuis ſententiam ac conſilium expetiturus. Approbatione Papali obtenta, cum triremibus Venetis *Sudam* devenit, ut & dein *Candiam*, urbem Cretæ primariam. Utrobique fruſtraneo niſu tentat fidem Magni Vezirii, contra quam ſperaverat. *Zacynthum* mox abit, ne præſentia ſua Turcas exaſperaret magis, illicque tum Baſſam *Patrenſem*, tum Chriſtianos *ritus Græci*, ſub Turcarum jugo gementes, in partes ſuas pertrahere annititur. Sed omnia in caſſum iverunt; ideoque nolumus illis immorari. Candia Turcis dedita menſe Sept. 1669. paceque inter Venetos & Sultanum Muhammedem conſtituta, Ottomanus Zacyntho *Venetias* rediit. Varia dein contra Turcas, ope *Moſcorum* exequenda, nõ ſemel meditatus eſt. Sed cum & hæc irrita eſſent univerſa, vitæ id genus inquietæ pertæſus, Romæ ordinem *ſacerdotii* ambiit & obtinuit, ac hominum conſortio ſeſe ſubducere, Deoque ſoli inter miſſarum decantationem, preces, bonaque opera vivere, ex religionis ſuæ præſcripto ſtuduit. *Miſſionarium* agere *in partibus infidelium* cupiit, ſed *Alterio* Cardinali, nepote Pontificis, diſſuadente, in Italia ſubſtitit ad annum usque 1675, quo *Magiſtri* lauream adeptus ſimulque *Prior* ac *Vicarius Generalis* monaſteriorum Melitenſium ſui ordinis conſtitutus eſt. Appulit *Meliten* 28. Mart. 1676, ibique per aliquot menſes ſumma cum laude executus eſt, quicquid ſuarum partium eſſe credidit.

L. IX.

L. X.

Tandem vero febri tertiana correptus, d. 25 Octobris mortalitatem exuit, ſplendidiſſimisque ac ſolenniſſimis exequiis elatus eſt. Corpore erat nec puſillo, nec immani, ſed juſtæ proportionis; vultu candidi coloris, oblongo, ac majeſtatem ſpirante cum gravitate religioſa conjunctam; fronte alta, ampla ac ad imperandum quaſi a natura adornata; coma nigra & rigidiori; oculis cæſiis, grandibus, vivacibus.

Digitized by Google

vacibusque, naſo aquilino, ore parvo ac rotundo, labro inferiori aliquantulum propendente; Vir multæ lectionis ac experientiæ, & tantopere affabilis, ac diſertus, ut nemini non placere poſſet, cui aliquid negotii cum eo intercederet. Tacemus, brevitatis ſtudio, obedientiam ejus erga ſuperiores, caſtimoniam, liberalitatem inexhauſtam cum patientia propriæ paupertatis connexam, humilitatem, aliasque animi dotes, quæ pluribus paſſim exemplis Bulgarinus illuſtrat, idque arguta adeo & ſibi ſemper conſtante dictione, ut ſtyli elegantiam merito ſuſpiciamus & laude dignam arbitremur. Cæterum hic Autor inſperſit plurimas epiſtolas ab Ottomano, aut de eo, aut ad eundem ſcriptas, itemque digreſſiones de ſerie omnium Sultanorum Turcicorum, de bello Cretenſi, de morte *Ibraimi, Kioſem,* & *Muhammedis Kiuperli* magni Vezirii, de conventu *S. Mariæ Sanitatis* Neapolitano, aliisque id genus rebus, quæ nec ab argumento alienæ, nec lectu injucundæ ſunt.

CRITIQUE DES PREJUGEZ DE Mr. JURIEU, &c. i.e.

Abbatis Richardi Critica ſive Examen Præjudiciorum a Petro Jurio Eccleſiæ Romanæ oppoſitorum, &c.

Pariſiis apud Eliam Joſſet, 1690. in 4.

DE hoc Opere, proximo menſe Novembri pag. 565. ſqq. actum a nobis jam fuit: ſed poſtquam memorata eſſent, quæ ad priora decem Præjudicia Romanæ Eccleſiæ a Petro Jurio antehac objecta Richardus regeſſit, abrumpenda nobis, ne in nimiam molem excreſceret, viſa eſt relatio. Nunc reliqua perſequemur.

Undecimum præjudicium Jurius in eo conſiſtere ſtatuerat, quod cultus Dei in Eccleſia Romana nec ſpiritualis, nec rationalis ſit, adeoque præcepto Chriſti, quo Deum in ſpiritu & veritate adorare jubemur, non conveniat. Hic ante omnia oſtendit Richardus, diſputationem de ceremoniis, ex quarum exceſſu Jurius contra Romanam Eccleſiam argumentatus erat, ad dogmatum diſcuſſionem

per-

pertinere; deinde eſſentiales ceremonias ab accidentalibus diſtinguit, & ſi maxime verum eſſet, quod hæ non ſint optimæ, per eas tamen verum cultum & eſſentiam religionis deſtrui negat. c.41. Tranſit inde ad præjudicium *duodecimum*, de conformitate Papiſmi & Paganiſmi, & licet totam hanc materiam ad controverſiarum tractationem rejiciendam eſſe haud dubitet, pleraque tamen Jurii dicta examinat, eumque imperitiæ & malæ fidei inſimulat, quod conformitatem illam tam audacter Romanæ Eccleſiæ imputet. c.42.43. 44. Speciatim unitatem Dei in Eccleſia Romana etiam plebi proponi notat, cum eam in Paganiſmo ſolum Philoſophi aliquatenus agnoverint, nec profiteri facile auſi ſint. Titulos ſanctorum templis tribui ait, diſtinctionis, non cultus cauſa. Negat illis altaria erigi, aut ſacrificia fieri: genuflexiones, preces, ſuffitus, aliaque Sanctis & Angelis exhiberi ſolita, cultus divinos non eſſe, contendit: reliquiarum venerationem prolixe defendit, & ab omni ſuperſtitione & idololatria vindicatum it, probans tamen oſcula, circumgeſtationes, & quod ſub altaribus reponantur. Iſta & alia cum ipſa Eccleſia Chriſtiana orta eſſe, ex Patribus probare nititur, adſcriptis Hieronymi, Auguſtini & Theodoreti locis. Idem de imaginum cultu aſſerit, & Concilii Tridentini decretum adverſario objicit, in quo negetur, ullam divinitatem imaginibus ineſſe. Fatetur interim exhiberi quædam in Eccleſia Romana imaginibus, quæ pagani idolis exhibuerint; verum p. 375. id non fieri imaginibus aut ſtatuis, ſed Sanctis, quos illæ repræſentent, aut potius Deo, cujus dona in Sanctis colantur. *Decimi tertii* præjudicii loco Jurius objecerat Romanæ Eccleſiæ, quod legi & regulæ Chriſtianiſmi unicæ, ſacræ ſcilicet Scripturæ, parum ſit c.45. conformis. Hoc ut repellat Autor, principium a Jurio poſitum non admittit, negatque ſpeciatim, quod ad religionis regulam præciſe libri vel ſcripta requirantur, & ad vexatam de traditione quæſtionem tranſiens, nota & vulgata ex dicto II. Theſſ. II. 15. affert: omnes tamen articulos Romanæ religionis, quos Proteſtantes impugnant, non ſolum ex traditione, ſed & Scriptura probari poſſe, confidenter aſſerit, accedente ſcilicet interpretatione ex ſenſu Eccleſiæ. Acceptat, quod Jurio teſte, in Romana Eccleſia articuli fidei primarii & Symbolo Apoſtolico comprehenſi credantur, indeque concludit, eam fundamento vero inniti, & ab eo nunquam defeciſſe, neque hoc fundamentum convulſum eſſe, etſi addita ſint quædam præter arti-

646. culos illos fundamentales. Præjudicium *quartum decimum*, quod Romana Eccleſia Scripturam ſacram, communem Chriſtianiſmi regulam, veterum hæreticorum imitatione irreverenter tractet, ſedulo & acriter amolitur. Retorquet in Proteſtantes imputationes has, & illis objicit, quod multos libros ſacros non recipiant, & Scripturam plurimis locis corruperint, quod a *Walenburchiis* fratribus probatum eſſe dicit *Tract. 4. Gen. Controv. pag. 713.* Pro deteſtanda calumnia habet, quod Eccleſia Romana pro damno inſigni non reputet, ſi Scriptura plane non extet. Negat id ex Catechiſmo quodam Burdigalenſis Epiſcopi juſſu edito, aut ex *Coſtero, Lindano, Joh. Fabro*, aut *Alberto Pighio* (præterquam quod hi melius explicari poſſint) Eccleſiæ tribuendum eſſe; multo minus pro principio agnoſcit, quod traditio omnia complectatur, quæ Scriptura continet, niſi ita hoc capiatur, quod ex traditione ſciamus libros illos eſſe ſacros. Malæ fidei, aut magnæ incuriæ Jurii attribuit, quod Cardinali *Hoſio* imputentur verba *Schvvenckfeldii*, quæ Hoſius retulit. Laudat venerationem, quam in publico cultu, poſt hoſtiam, Evangeliorum libro exhibet Eccleſia Romana, & prædicat commentariorum ultimis his temporibus editorum, ut & verſionum Biblicarum numerum. Citat Godelli Epiſcopi verba, quibus lectionem N.T. fidelibus commendavit. Obſcuritatem S. Literis a *Pigbio* & *Coſtero* nimis inverecunde objectam eſſe non diffitetur, ſed ut ſupra fecerat, eorum opiniones Eccleſiæ tribui non vult. Opponit iis iterum *Godelli* dicta, quibus in Scriptura clare & diſtincte omnia officia hominum erga Deum & proximum tradi docuit; item Epiſcopi *Caſtorienſis* eadem affirmantis, & *Walenburchiorum* cum Reformatis eatenus plane conſentientium, niſi quod illi explicationem Eccleſiæ aſſignant. *Bellarminum* durius locutum eſſe non negat; emollit tamen quæ ſcripſit, & ex opinionibus ejuſmodi particularibus judicari de Eccleſia debere negat, non magis ac de Reformatis, inter quos *Pœlenburgii* Arminiani teſtimonio eſſe probat, qui *Catechiſmum Heidelbergenſem* Scripturæ ipſi præferant. Idem fere urget contra objectionem, quod Scriptura pro perfecta non habeatur in Eccleſia Romana, aut quod humanæ traditiones ad ejus perfectionem requirantur; cum tamen, ut ait, Romani Doctores traditionem non recipiant, niſi quatenus eſt verbum Dei non ſcriptum. Regulas inde de verbi divini auto-

titate

Digitized by Google

ritate ponit, & magnifice deprædicat, ſed ita, ut ad verbum non ſcriptum eas non minus atque ad ſcriptum applicet. In traditionum vero rejectione, exacte convenire docet Proteſtantes cum antiquis hæreticis. Exempla & verba *Maximini* Ariani allegat, ab Auguſtino refutati; & *Conſtantii* Imperatoris, notati ab *Hilario*; *Manichæorum*, teſte iterum Auguſtino, aliorumque hæreticorum, quos *Irenæus*; *Macedonianorum* & *Eunomianorum*, quos *Baſilius* redarguit. Subjungit contraria Patrum teſtimonia traditiones ſtabilientium; *Ignatii* ex Euſebio; *Irenæi*, *Origenis*, quem magnum vocat, *Tertulliani*, *Athanaſii* & aliorum. Si autem Patrum horum de traditionibus ſententia pro falſa habeatur, ſequi dicit, quod Eccleſia etiam puriſſimis ſeculis falſo innixa fuerit principio, & a Deo derelicta. Denique expreſſe negat, verum eſſe, quod Eccleſia Romana ſupra Scripturam autoritatem ſibi arroget. Contemnit aut explicat dicta autorum Romanæ Eccleſiæ, qui talia quædam effutiiſſe dicuntur, *Pighii*, *Petri Simonis*, *Wolffg. Hermanni*, *Baylii* & Jeſuitæ cujusdam. Sequenti capite aliis accuſationibus occurrit. Negat a Pontificiis ſtatui, quod libri ſacri ſolum per occaſionem, non vero ideo ſcripti ſint, ut regulam fidei conſtituant. Prolixe poſtea aſſumtionem librorum apocryphorum in Canonem defendit, eamque objectionem in Proteſtantes retorquet, qui hodie recipiant librum *Eſther*, *Epiſtolam ad Hebræos*, *Epiſtolam Jacobi*, item *Apocalypſin*, quos libros olim pro apocryphis habitos eſſe, negari non poſſit. Criticam controverſiam, non vero de fide eſſe dicit, num aliqui libri canonici perditi fuerint. Culpat *Malleti* & Cardinalis *Perronii* duriora dicta, tum Italiæ atq; Hiſpaniæ morem, quo lectio Scripturæ S. populo nimis generaliter inhibetur. Eccleſiæ vero Romanæ id non tribuit, ſed ignorantiæ, inertiæ & negligentiæ quorundam Epiſcoporum, aut Paſtorum, aut deſidiæ populi ipſius. Provocat iterum ad Janſenianæ factionis viros, *Godellum*, *Caſtorienſem*, *Arnaldum*, tum *Veronium*, aliosque maxime induſtrios, ut ait, Theologos contrarium aſſerentes. Excuſat indicem librorum prohibitorum, quo verſiones Bibliorum legi vetantur, niſi obtenta permiſſione; remedium enim contra pravas verſiones quæſitum eſſe, & indicum præcepta pauciſſimis locis, minime omnium in Gallia & Germania obſervari. Pro ſumma denique injuria reputat, qua Jurius Romanam Eccleſiam accuſet, quaſi

c. 47.

præcipiat quæ Scriptura prohibuerit, & prohibeat quæ juſſerit. Hic ventilat quæſtionem de diſpenſationibus contra legem divinam & deciſiones Scripturæ, & plane negat, quod Eccleſia Romana id jus diſpenſandi ſibi arroget. Allegat Thomam, & ex recentioribus *Marbeſium*, nullumque ſibi notum, aut bona fide allegatum a Jurio
c. 48. eſſe dicit Theologum, qui contrarium aſſerere audeat. Rejicit ſatis acriter, quæ in *decimo quinto* præjudicio, de abuſu Scripturæ & falſis ineptisque interpretationibus ac allegationibus Romanorum Doctorum queſtus erat Jurius. Tametſi vero quorundam ineptas locorum Scripturæ explicationes non probat; quasdam tamen, quas Jurius exagitaverat, tuetur ut bonas & a Patribus uſurpatas. Ad ea quæ vulgatæ Bibliorum verſioni objici ſolent, prolixe reſpondet: viciſſim vero Proteſtantibus variationes & errores in verſione & interpretatione Scripturæ admiſſos opponit. Denique Jurium objurgat, quod particularium quorundam Doctorum errores in explicanda Scriptura, nihilominus toti Eccleſiæ imputare non erubeſcat.
c. 49. *Decimo ſexto* præjudicio Jurius Papiſmo oppoſuerat, quod non niſi fabulis doctrinam ſuam, inprimis de poteſtate Pontificis, ad exemplum Paganiſmi ſuperſtruxerit. Fatetur quidem Richardus, quod pro fidei articulis in Eccleſia Romana habeantur autoritas Papæ, invocatio Sanctorum, cultus reliquiarum, Purgatorium, præſentia realis in Euchariſtia & ſacrificium Miſſæ; ſed negat iſta fabulis niti, verum in traditione fundari aſſerit, id eſt, verbo
c. 50. divino non ſcripto. Speciatim tractat de quæſtione, num Petrus Romæ fuerit & Pontificatum geſſerit, eamque intrepide affirmat, quanquam de tempore dubitationem ſupereſſe concedat. *Juſtini Martyris* relationem, quod Simoni Mago ſtatua Romæ erecta fuerit, prolixe multoque cum philologiæ apparatu defendit. *Iſidorum Mercatorem* pro impoſtore agnoſcit, qui epiſtolas Pontificum ſuppoſuerit. Conſtantini donationem aperte pro fabula declarat.
c. 51. Sed talia injuſte imputari ſtatuit Eccleſiæ. In hiſtoriis de B. Virgine multa ut fabuloſa rejicit Autor; tuetur autem tradita ab Epiphanio & aliis antiquis. Sententiam de conceptione B. Mariæ immaculata, pro particulari habet, & Bullas Pontificum ita interpretatur, ut tantum vehementiam diſputationum inhibeant, nihil autem de lite illa definiant. Ab omnibus enim Theologis Patrum doctrinam diligenter

ligenter ſectantibus agnoſci ſtatuit, quod deficiente Scripturæ teſtimonio, conceptionis illius puritas pro articulo fidei haberi non debeat. Rejicit aliter ſentientes, & inter hos etiam Jeſuitam *Craſſetum*. Pro dogmate quoque non accipit veterem licet traditionem, quod Maria caſtitatis votum fecerit; narratiunculam vero, quod ſacrario templi incluſa fuerit, plane explodit. Haud magis pro articulo fidei venditat aſſumtionem corporis Mariæ in cœlum, absque peccato tamen credi poſſe exiſtimat. Putat denique, etſi falſa eſſent, quæ de miraculis Lauretanis aliisque vulgo creduntur, fictaque eſſent ad excitandam devotionem, ipſum tamen cultum Virginis erronea illa perſuaſione non vitiari. Idem reſpondet de iis, quæ de S. Jacobi adventu in Hiſpaniam, Dionyſii Areopagitæ in Galliam, vulgo objiciuntur; impugnat tamen iterum Launoii nimis rigidam cenſuram. Eadem fere ratione de reliquiis diſputat. Veretur c. 52.
ipſe multas eſſe ſuppoſititias, ſed ab Eccleſia venerationem tantum veris deferri: neque enim dubitari poſſe de miraculis per eas editis, multo minus cum Jurio pro præſtigiis Dæmonis ea debere haberi. De imaginibus paria fere ſtatuit, & Craſſetum atque Maimburgium, quos Jurius allegat, pro Theologis non habet, negatque ex eorum teſtimonio ſententiam Eccleſiæ demonſtrari poſſe. Jam ad defen- c. 53.
ſionem præſentiæ realis in S. Cœna accedit, eamque ex verbis Evangeliſtarum & Pauli, & ex traditione omnium ſeculorum conſtanter aſſerit: miracula veluti in ſubſidium advocat, eaque etiam poſt Apoſtolorum ætatem duraſſe affirmat, ad probandam & illuſtrandam dogmatum veritatem. Contradicit itaque Jurio, quod hunc miraculorum uſum prorſus & in genere neget, deinde Romanæ Eccleſiæ imputet, ac ſi præſentiæ dogma ex apparitionibus humanæ figuræ in hoſtiis conſtabiliverit: monet etiam, tam frequentes non eſſe, ut Jurius dictitet, apparitionum illarum allegationes, & quod tres ſolum hoſtiæ miraculoſæ in tota Gallia oſtendantur. Adorationem Jeſu Chriſti in S. Cœna ex conſuetis adſtruit argumentis; hiſtorias repudiat. Idem facit in Purgatorii aſſertione, item de neceſſitate abſolutionis, porro de Miſſa, & de Ordinibus monaſticis, ita ut dicat, ſi Carmelitarum traditio, ordinis ſui originem ad Eliam referentium, & apparitio *Simoni Stock* facta, non niſi ficta & falſa ſit, dein applicatio dicti de Chriſto Hebr. I, 2. ad Ignatium Loyolam, quam

Digitized by Google

ex Deza & Valderamo citat, pro blaſphemia haberi debeat, iniquiſſimum tamen & abſurdum eſſe, quod inde colligit Jurius, quod Ordinum religioſorum fundatio fabulis & mendaciis innitatur. Ad
c. 54. objectam corruptionem ſcriptorum Eccleſiæ veterum, & ſuppoſitionem falſorum reſpondet: ſi monachi, qui ante inventam typographiam libros deſcripſerunt, in genere pro falſariis habendi ſint, quod Jurius facere videatur, tunc omnium librorum fidem periclitari, Laudat itaque non veterum ſolum monachorum, *Bedæ, Alcuini, Anſelmi, Ruperti, Bernardi* & aliorum diligentiam, ſed & recentiorum Benedictinorum in Gallia, quorum induſtria autores veteres in lucem reſtituantur; nominatim commendat *Anſelmi* editionem a *Gerberonio* pro curatam. Fatetur deinde ſuppoſitionem vetus malum fuiſſe, ſed ab Eccleſia detectum; itaque rejectas ab hac eſſe epiſtolas Abgari ad Chriſtum & hujus ad illum, item B. Mariæ ad Ignatium & pſeudoevangelia multa. Agnoſcit præterea cum doctis, ut ait, omnibus, veterum ſcripta valde corrupta fuiſſe, & magna quidem ex parte per hæreticos, aliquando etiam per inſcitiam & incuriam monachorum, raro per dolum; ſed hæc nihil facere ad probationem objectionis Jurianæ, & Eccleſiam ab hoc crimine abſolvi debere, neque ab hac ullius dogmatis probationem ex libro corrupto peti. Negat porro, quod Eccleſia Romana canones, qui dicuntur Apoſtolici, pro Apoſtolorum opere habeat, aut indifferenter recipiat, Idem dicit de *conſtitutionibus*, quæ ita vocantur, *Apoſtolicis*, & fatetur, non ſolum bona ſed & mala in utriſque contineri. Non magis recipit Liturgias, quæ Apoſtolis attribuuntur. Citat Cardinalem *Bonam* Lib. I. de Liturg. c. 8. idem agnoſcentem, licet ea, quæ D. Jacobo adſcribitur, defenſores habeat. Horum argumenta proponit, & ad objectiones reſpondet, inter quas præcipua eſt, quod vocabula recentiora ὁμοούσιος & θεοτόκος in ea reperiantur; ſed Autor oſtendit, ea antiqua eſſe, licet in Scripturis non legantur. Vehementer etiam pugnat pro authentia epiſtolarum S. Ignatii, item operum, quæ Dionyſio Areopagitæ tribuuntur, licet non taceat, quod *Launoius*, *Morinus* & *Sirmondus* cum Reformatis ea pro ſuppoſititiis habeant. Opponit illis Baronium, Menardum, Natalem Alexandrum & alios, & multa teſtimonia Patrum veterumque ſcriptorum adducit. Defendit etiam Cyrilli catecheſes, tanto quidem facilius, quia eas pro veris

Digitized by Google

veris habuerint ex Reformatis *Withakerus* & *Voſſius*. Quoad libros alios, v.g. *de quæſtionibus ad orthodoxos* Juſtino Martyri, *de conſummatione mundi* S. Hippolyto, *de annunciatione & de matre Domini* Athanaſio, *de Sacramento* Ambroſio, *de vitis Patrum* Hieronymo tribui ſolitos, nonnulloſque ſimiles, calumniæ accuſat Jurium, quod ſcribat illos pro authenticis ab Eccleſia Romana haberi, aut dolo ſuppoſitos eſſe ad probandam præſentiam realem. Quod vero ad c. 55.
corruptiones operum quorundam attinet, quorum exempla attulit Jurius, ea plane negat, vel incuriæ typographorum, aut diverſæ codicum lectioni imputat, vel quod ex gloſſa in textum irrepſerint, aliisque rationibus Eccleſiam a culpa doloſæ corruptionis purgat, idque adductis locis ex *Cypriano, Damaſo, Gregorio, Auguſtino, Iſidoro* demonſtratum it. Ad ea dein, quibus exceptiones quasdam Ro- c. 56
mano-Catholicorum contra objectum fabularum ſtudium elidere voluit Jurius, reſpondet ita inter alia (neque enim omnia recenſeri poſſunt) ut Bullas Pontificum, quibus quæ de fabuloſo religionis Romanæ fundamento ſtatuerat, confirmare allaboravit, eorundemque privilegia ſodalitiis quibusdam ſive *fraternitatibus*, quas vocant, data, erroris in facto inſimulare non vereatur, ex principio ſcilicet ſuo, quod Eccleſia & Pontifices infallibilitatem in factis ſibi non poſſint arrogare. Addit: licet omnes illæ hiſtoriæ & legendæ, quas vocant, falſæ ſint, nihilominus cultum Virginis, quia mater eſt Domini, & Sanctorum, quia amici Dei, imo reliquiarum, quia domicilia ſanctificatarum animarum & templa Spiritus S. fuerunt, ſubſiſtere, nec Jurii contradictionibus & convitiis ſubrui poſſe. *Deci-* c. 57.
mum ſeptimum præjudicium, quo ſpiritum calumniæ in Eccleſia Romana regnare dixit Jurius, in Reformatos retorquet, eorumque confeſſionem Gallicam art. 28. allegat, in qua cœtus Romanæ Eccleſiæ condemnentur, quia verbum Dei ex iis exulet, & ſacramenta ſint corrupta aut annihilata, omnesque ſuperſtitiones & idololatriæ in iis locum inveniant. Ad exempla vero a Jurio allata, e. g. de Valdenſibus & Albigenſibus falſi criminis imputatione oppreſſis, reſpondet, hanc ipſam allegationem falſam & calumnioſam eſſe, & præſumi debere pro Pontificibus & Principibus, qui hæreticos iſtos condemnaverint & extirpaverint. Contrarium negat probari poſſe ex confeſſione Ladislao Regi Bohemiæ, poſt duo ſecula a condemna-

tione

tione ab Eccleſia facta, Valdenſium nomine exhibita: neque ex Ludovici XI edicto, quo parci eis juſſit; ſubreptum enim ei eſſe aſſeveratione, quod Catholici eſſent: multo minus ex teſtimonio Veſenbecii, de Ludovico XII, qui Valdenſes, intellecta *Adami Fumei* relatione, pro bonis, imo melioribus Chriſtianis, quam ſe & omnes Catholicos habuerit. Notat, Valdenſes poſt annum 1250, quo *Reynerus*, qui contra eos ſcripſit, floruit, in ſeptuaginta ſectas diviſos fuiſſe, ut adeo Eccleſia calumniæ & injuſtitiæ accuſari non poſſit, ſi non eandem de
c. 58. omnibus notitiam habuit, aut ſententiam tulit. Ad alteram probationem calumnioſi ſpiritus, quod nempe Romana Eccleſia Reformatos accuſet, quaſi doceant Deum eſſe autorem peccati, reſpondet, Concilio Tridentino Seſſ. VI. c. 6. damnatos eſſe, qui dixerint, Deum mala opera non minus quam bona operari, non ſolum permiſſive, ſed etiam proprie & per ſe, v. g. proditionem Judæ æque ac vocationem Pauli. Agnoſcit Calvinum pro blaſphemia habere propoſitionem ſupra dictam, & Walenburchios faſſos eſſe, Reformatos hodie nequaquā eam aſſerere. Si qui igitur ex Romano-Catholicis Doctoribus non ſatis accurate inter actiones malas & peccatum diſtinxerint, & juſto durius de ſententia Proteſtantium judicaverint, neque eos de calumnia convinci poſſe, neq; eorum, ſi quæ ſit, culpam in Eccleſiam transferri debere. Pro *Arnaldo* quædam ſubjunguntur adverſus vehementes Jurii in eum invectivas, & librum Jurii, quo doctrinam moralem Reformatorum, ſive de inamiſſibilitate gratiæ contra illum defendit, ut & ſcripta *Brugierii* & *Merlatii*, quæ ſufficienter ab Arnaldo refutata, itemque contradictiones manifeſtas in traditis a Jurio demonſtratas eſſe ait. Denique *Bellarminum* tuetur, quem immanis calumniæ reum fecerit Jurius, quod in præfatione librorum de Chriſto imputare haud veritus ſit Eraſmo, Luthero, Melanchthoni & Calvino, quod Arianis, aliiſque hæreticis, quos verbis deteſtantur, in animo non æque contradicant; & loca adducit, quibus Bellarmini judicium probare nititur, dein verba ejus emollit. Reſponſum eſt dudum ad ea, quæ Luthero objecta ſunt, nec Calvino, cujus dicta quædam in cenſuram hic vocantur, defuerunt defenſores. Mores Lutheri & Calvini minime quidem probat Autor; neque tamen omnia pro certis habet, quæ illis objecta ſunt, non magis ac quæ Romanis ex adverſo imputantur. Annectit quædam,

quibus

quibus Proteſtantibus Gallis, Anglis, Hungaris rebellionis & ſocietatis Turcicæ crimen impingat. In examine præjudicii *decimi octavi*, in quo crudelitatem Eccleſiæ Romanæ in perſequendis diſſentientibus ſummatim (prolixius vero L. III. contra Maimburgium) Jurius deſcripſit, tam de facto, quam de jure diſputat. Jus puniendi hæreticos capitali ſupplicio, autoritate *Calvini*, & exemplis vulgatiſſimis *Michaëlis Serveti* & *Val. Gentilis* Genevæ punitorum adſtruit. Rapinas, cædes, bella & deſolationes Reformatis & Proteſtantibus imputat, allegato libro, qui titulum habet *Theatri crudelitatis hæreticorum*. Querelas Proteſtantium contra animadverſiones comparat cum iis, quæ apud Auguſtinum referuntur de Donatiſtis. *Ultimum* præjudicium a conſtante proſperitate Eccleſiæ ſumſerat Jurius. Hanc vero negat Autor, cum nunquam defuerint vel externæ vel internæ calamitates. Citat verba Gregorii Lib. XX. Moral. c.15. ubi ſcribit: *neque enim ſancta Eccleſia ſolos ſibi adverſarios deputat, qui ab ejus fide, poſiti extra, diſſentiunt, ſed eos quoque qui vitam illius male vivendo interius premunt*; item Auguſtini in Pſ. 30. dicentis: *Eccleſia non patitur favorem Imperatoris, & patitur furorem mali populi*; item: *meliores eſſe inimicos foris poſitos, quam intus male viventes, quibus premitur & gravatur Eccleſia*. Inter externa autem mala refert *Albigenſes*, & *Lutheranos*, *Calvinianos*, *Arminianos*, *Mennoniſtas*, *Socinianos* & *Jurium*. Rejectis igitur omnibus præjudiciis, a Jurio, ut putat, impertinenter objectis & minime probatis, evictum a ſe eſſe putat Autor, quod ſeparatio ab Eccleſia Romana, etſi hæc abuſibus non caruerit, minime licita fuerit, & quod ea vera Eccleſia Chriſti manſerit, ad quam omnes redire debeant. Iſthæc omnia ex libro ſatis magno bona fide recenſemus, ut officio, quod ſuſcepimus, ſincere fungamur. Multos errores abuſusque ingenue ab Autore agnoſci apparet, & eatenus illum haud paucis omnia defendentibus præferri debere. Sperandum quoque ab eo eſſe videtur, multa emendatum iri, ſi per eum ſtaret. Interim quæ vel negare non audet, vel aperte propugnat, talia omnino Proteſtantes eſſe judicant, propter quæ Romanæ Hierarchiæ juſtiſſime ſeſe majores ſui ſubtraxerint, & qui nunc vivunt, illorum inſtitutum merito ſequantur. Nihil igitur proficiunt tot diſputationum volumina, & circuli prope infiniti, per quos ſemper ad primum illud

c.59. c. 60.

punctum, in quo cardo litis volvitur, regreſſus fit. Demonſtranda eſt juſtitia ſacræ dominationis, quam averſamur, & poteſtas ſtatuendi capita fidei, eoque quo fieri conſuevit modo imperandi, & iis qui conſcientiæ teſtimonia contraria allegant, per vim obtrudendi.

EXEMPLAR HOROLOGIORUM Solarium Civilium, Autore Carolo Maria Caraſa, Butera, Roccella ac S.R.I. Principe.

Mazareni, 1689, in fol. Conſtat plagulis 236.

SUmmos in hoc terrarum orbe magnates, interque eos identidem Imperatoriæ Regiæque dignitatis Viros, divina Matheſi impenſe delectatos fuiſſe, ejuſdemque præcipuam curam poſt rempublicam habuiſſe, uti paſſim memorant hiſtoriæ, & ſtudium iſtud inter virtutes Principi convenientes non perfunctorie extollunt: ſic illorum faſtigio a nemine hucuſq; indignum reputatum eſt, ubi eousque in uno alterove matheſeos cultus proceſſit, ut & monumenta ejus aliqua literis conſignata publicis, poſteritati transmitterent; non calamo ſecius & literarum gloria, quam cæteris axiomatibus heroum propriis poſt fata ſua perennaturi. Quo pauciora autem temporum lapſorum talia nobis exempla ſuppetunt, eo impenſiori veneratione Celſisſimi: *Caroli Mariæ Caraſæ, inter Dynaſtas titulis claros in Regno Siciliæ dignitate primi, atque in Regno Caſtellæ e Magnatibus primi ordinis, Roccellæ atque Sac. Romani Imperii Principis, Marchionis Licodiæ, &c. &c.* ſuſpiciendus eſt labor, in argumento reconditioris matheſeos diffuſisſimo præclare ſumtus, & non minori ſtudio, quam excelſi animi vigore viribusque, publico & præcipue gentis ſuæ commodo exantlatus.

Nos vero, uti debitas egregiis literarum monumentis laudes dignioribus præconibus ultro concedimus: ita pro inſtituti noſtri ratione hic ea ſolum memoramus, quæ laudati Operis, quod Autoris celſiſſimi munificentia ad nos curante illuſtri *Magliabechio* pervenit, propria ſunt.

In duas id ipſum partes diviſum eſt: quarum prior in deſcribendo Horologio Solari civili verticali occupatur; & pro horis quidem Italicis, ad quasvis vero declinationes tam ab Auſtro, quam a Septen-

Digitized by Google

Septentrione. Ejus conſtructio perficitur beneficio inſtrumenti partium (ſive circini proportionum) nititurque cumprimis Tabulis Tangentium circumferentiæ horizontalis, ad ſingulos declinationis cujuscunque (hoc eſt, tam a Meridie quam Septentrione, in Ortum utrinque aut Occaſum) gradus, pro ſingulis Elevationis poli a 36 ad 45 uſque gradibus, Italiæ & vicinæ Siciliæ domeſticis; Tangentium itidem altitudinis Solis, & ipſarum altitudinum Solarium ad Horas Italicas civiles, dictosque Elevationis gradus. Harum Tabularum primam claſſem condere *Celſiſſimus Autor*, ope aliarum Tabularum, circumferentias horizontales ad memoratas poli altitudines exhibentium, docet: modumque inſuper conſtructo Horologio Italico Horas aſtronomicas inſcribendi innuit. Subnexæ ſunt his Tabulis aliæ, prioribus inſervientes, Tangentium totius Quadrantis; declinationum partium Eclipticæ pro ſingulis anni diebus; & latitudinis quamplurimorum Locorum.

Altera Pars orditur ab Horologiis Horizontalibus, & quidem ab Italico civili: cui rite deſignando rurſus ſuæ ſtructæ ſunt Tabulæ, circumferentiarum horizontalium, & tangentium complementi altitudinis Solis, ad ſæpius nominatas Elevationes. Hoc inſequitur *Aſtronomicum*, cum Tabula longitudinis umbrarum cujusvis Horæ in Tropicis; aliudque *in capſula circumportatile*: poſt hæc alia, *Cylindrica convexa*, *Italicum* & *Aſtronomicum*, cum ſuis pro utroque Tabulis Tangentium altitudinis Solis; *annulare*; *ſemicirculare*. Subjunguntur his quædam *Univerſalia*: *Annuli horoſceptici*; *Sphæra compendiata*, ſive *Horologii Univerſalis Æquinoctialis*, cum Tabulis loci Solis per ſingulos anni dies, & amplitudinis ortivæ, a latitudine 30° ad 60°; *Horologii* denique (ut vocat) *Arithmetrici*, ope quadrantis Aſtronomici, quo Solis altitudo ad Tempus deſignandum capienda eſt; & Tabularum altitudinis Solis, pro ſingulis ſignorum diebus, ad Elevationes ſupra poſitas, Horas indicantis: quarum poſtremarum Tabularum uſum, in exploranda Horologiorum præcipue verticalium accuratione, breviter oſtendit.

PREMIER AVERTISSEMENT AUX Proteſtans ſur les lettres de Miniſtre Jurieu contre l'

Hiſtoire des Variations. Le Chriſtianisme fletri, & le Socinianisme autoriſé par ce Miniſtre. Par Meſſire Jacques Benigne Boſſuet Eveſque de Meaux &c. i.e.

Jacobi Benigni Boſſueti, Epiſcopi Meldenſis &c. Prima Admonitio ad Proteſtantes ſuper epiſtolis miniſtri Jurii contra Hiſtoriam de Variationibus: Chriſtianiſmum a Jurio eſſe corruptum, ſtabilitumque Socinianiſmum.

Pariſiis apud viduam Seb. Mabre-Cramoiſi 1689. in 4. plag. 13.

ORdo, ut fatemur, poſceret, ut prius de Epiſtolis *D. Petri Jurii*, quas *Paſtorales* inſcripſit, ageremus. Sed neſcimus, qui factum ſit, quod eas, fama ſolum hucusque nobis cognitas, nonniſi nuper admodum nacti ſimus; quarum relationem ob materiæ ubertatem ad Supplementa differre cogimur. Hic quoque Epiſcopi libellus tarde ad nos perlatus eſt, impedito ex Gallia, per tumultus bellicos commercio; & fortaſſis Autor plures hujusmodi admonitiones (de quinque aut ſex enim ſpem facit) jam publicavit. Sed de prima, ne & hæc novitatis gratiam perdat, nunc aliquid referemus. Alloquitur in ea Boſſuetus Proteſtantes, quos *charos fratres* vocat, & exordii loco plurima S. Pauli dicta, de hæreticis pervicacibus & proprio judicio condemnatis, Jurio applicat, eidemque arrogantiam affectati muneris paſtoralis in diſſipatos Proteſtantium cœtus, falſas prophetias, Socinianorum & fanaticorum errorum defenſionem, & contradictiones manifeſtas imputat. Irritatum eſſe apparet Epiſcopum epiſtola Jurii d. 15. Nov. 1688. conſcripta, quæ in Volumine III. *ſexta* eſt, & in editione Roterodamenſi *Abrahami Acherii*, qua utimur, p. 121. incipit, etſi Boſſuetus p. 42. allegat. In hac Jurius libros de Variationibus Eccleſiarum Proteſtantium, quos in Actis noſtris A. 1689. p. 65 ac 157. recenſuimus, aggredi cœpit, & axioma, quo Epiſcopi argumentatio nititur, *quod veritas divina ſtatim & una vice cognoſcatur*, refellit, & contrarium, nempe quod particulatim & progreſſu atque profectu innoteſcat, demonſtrandum ſumſit. Suam itaque

itaque ſententiam in Admonitione hac tuetur Boſſuetus, teſtimonio inprimis *Vincentii Lirinenſis*, ab ipſo Jurio in tractatu *de unitate Eccleſiæ* allegato. Adduxerat Jurius exempli loco articulum de Trinitate, & ex *Athenagora*, *Tatiano* & *Tertulliano* oſtenderat, quam incongrue de æterna generatione filii Dei ſcriptores illi aliique, priorum licet trium aut quatuor ſeculorum, & ab Arii errore immunes, locuti ſint, & ut longe accuratius & illuſtrius myſterium illud poſtea occaſione enatarum hæreſium explicatum fuerit: quæ eo pertinent, ut etiam puriſſima Eccleſiæ tempora variationibus ſive emendationibus doctrinæ non caruerint, & Eccleſia inſignia incrementa ſcientiæ Theologicæ ſucceſſu temporis acceperit. Verum Epiſcopus hæc multis modis improbat, & prodi queritur religionem Socinianis, dum veteribus illis Eccleſiæ doctoribus non phraſes modo incommodas, ſed & errores craſſos & fundamentales, imo plus quam paganos imputet Jurius, v.g. quod corruptæ philoſophiæ dogmatibus imbuti, nec immutabilitatem Dei, imo nec unitatem, nec attributa recte cognoverint, æternam filii Dei generationem rejecerint, inæqualitatem in perſonis divinis admiſerint, aliaque, quæ a Jurio non ut paſtore, ſed lupo potius rapaci, impie & tanta quidem elatione proferri dicit, ut ſe unum ſapere exiſtimet, & Boſſuetum aliosque Epiſcopos, quos aulicos vocat, ignorantiæ accuſet. Taxat præterea acerrime, quod Jurius errores illos, quos veteribus tribuit, pro fundamentalibus non habeat, & verba, quæ Tertulliano in libro contra Hermogenem exciderunt, quod Deus *fecerit* imaginem ſuam & Verbum quod Filius dicitur, recitet & probet; licet dudum, etiam a Proteſtantibus demonſtratum ſit, orthodoxe ſenſiſſe Tertullianum, & poſtquam, fatente Jurio, accuratius alii de illo myſterio æternæ generationis loqui cœperint, formulæ illæ, incaute prolatæ, merito vitari debuerint. Inde ad *Ep. VII. d.l.* p. 145. ſqq. progreditur Epiſcopus. In illa Jurius ſatis libere reprehenderat, quæ Patres trium ſeculorum minus liquide & accurate de providentia & gratia Dei, de ſatisfactione Chriſti, de juſtificatione, de peccato originis, & de ſtatu animarum poſt mortem commentati ſint; unde iterum collegerat, regulam Boſſueti, de cognita ſtatim & una vice veritate, falſam eſſe, & variationes longe magis veteri Eccleſiæ, quam Proteſtantium tribui poſſe. At iſthæc cum ſumma veteris

Eccleſiæ contumelia a Jurio dici contendit Boſſuetus, ut & ea, quæ in *Commentario Apocalyptico* & *epiſtola* XVI. Lib. I. de invecta quarto ſeculo idololatria ſtatuerat, reprehenſo etiam Concilio Epheſino, ob noviter inventum vocabulum Θεοτόκ☉, ſive quod Virgo *mater Dei* dicta ſit, cum ſecundum ſacras literas mater Chriſti dici debuiſſet. His & aliis, Socinianorum & quos vocant *Tolerantium* errores juvari & foveri monet, totamque Scripturam, quaſi a primis Chriſtianis non intellectam, & Miniſterium Eccleſiaſticum illorum ſeculorum ludibrio exponi. Nec ſufficere, quod Jurius regerat, articulos fundamentales, de Deo trino & uno, & de incarnatione Filii Dei conſtanter creditos fuiſſe; cum iis enim conſiſtere non poſſe errores enormes, quos ex Patrum ſcriptis eruerit Jurius: nec magis admittendum, quod dicat, fidem Eccleſiæ rectam puramque fuiſſe, erratum autem eſſe in Theologia, ſeu phraſibus, formulis & explicationibus. Contradictionis poſtea adverſarium accuſat, in libro de Eccleſia & epiſtola hac VII commiſſæ, eumque dilemmate urget: Si enim dicat, ait, fundamentalem doctrinam illis Eccleſiæ ſeculis conſervatam eſſe, tunc in meam concedit ſententiam, quam tantopere exagitavit, & variationes rejicere atque pro falſæ Eccleſiæ notis habere cogitur: Si dicat, variatum eſſe in priorum ſeculorum Eccleſia circa dogmata illa, tunc ſequetur, iſta non eſſe tam fundamentalia, qualia ipſe haberi vult, & admittere debebit Socinianos & Tolerantes, qui illos rejiciunt. Effugium etiam præcludit, ſi dicere vellet, errores non niſi particularium Doctorum fuiſſe; hoc enim ipſo agnoſci, Eccleſiam non erraſſe, nec variaſſe, & iterum accedi ſententiæ ſuæ. Affert inde quædam pro excuſatione Patrum, & ſpeciatim Athenagoræ, cujus dicta paradoxa ex clarioribus aliis explicari debeant. De aliis ablegat Jurium ad libros *Thomaſſini* & *Petavii*, & ad ſcriptorem Anglum ex Reformatis, *Bullum*, quem ab eruditione laudat. Cypriani verba ex *Tract. de Oper. & Eleemoſ.* ubi dicit, *peccata per ſanguinem Chriſti in Baptiſmo remitti, poſt Baptiſmum per pœnitentiam & bona opera*, ſic explicat, ut poſtrema (quæ tamen ex dictis Scripturæ deſumta ſint) non excludant efficaciam ſanguinis Chriſti, ſed præſupponant; ex illa enim merita & ſatisfactiones piorum valere. Monet vero Cypriani dogma cum Proteſtantium doctrina de juſtificatione

Digitized by Google

ficatione non convenire, idque a Melanchthone dudum agnitum eſſe. Auguſtini locum *de Civ. Dei, Lib. XVI.* 2. quo ſtatui videatur, novas veritates ab Eccleſia diſci poſt diſputationes cum hæreticis, male citari ait a Jurio, neque alium ſenſum eſſe, quam quod clarius & commodius quædam explicentur & enuncientur. Idem fere notat ad dicta *Petavii* ex præfatione Tom; II Dogmat. a Jurio allegata. Addit alia pro Juſtini, Athenagoræ & Theophili Antiocheni excuſatione. Ex hiſtoria quatuor priorum Conciliorum oſtendit, non noviter erutos & definitos eſſe articulos fidei in Conciliis, ſed allegatos & receptos, quia in Eccleſia antea crediti & prædicati fuerint. Scripturam quoque pro principio habitam eſſe, ſed ſenſu antiquioris Eccleſiæ. Hac methodo novitatis convictos eſſe hæreticos, eorumque exiguo numero & ſententiis ſingularibus ſemper oppoſitum fuiſſe conſenſum multitudinis ſive numeri. Eadem de articulis a Pelagio impugnatis ſtatuit, & ex his concludit, Eccleſiam ex diſputatione cum hæreticis non profeciſſe in fundamento fidei, ſed in modo explicandi, & conſervatis antiquæ veritatis teſtimoniis, ideoque, ut ex epiſtola I. *Athanaſii ad Serap.* loquitur, doctrinam ſemper retentam fuiſſe, quam Chriſtus dedit, Apoſtoli publicarunt, Patres conſervarunt, & quam ſecuta eſt Eccleſia; ab hac qui recedant, Chriſtianos non eſſe. Hanc regulam & hunc orthodoxiæ characterem ſibi & Eccleſiæ Romanæ tribuit Epiſcopus, non attentis, quæ unus vel alter ex Patribus particulariter & ſingulariter ſenſerit aut ſcripſerit, quæ ad Eccleſiam non pertineant, citoque & facile evanuerint. Exhortatur itaque Proteſtantes verbis Lirinenſis & ſuis, ut ſibi a Jurio aliisque caveant, qui plus ſapere velint quam Catholici, & docere quæ per multa ſecula obſcurata aut nunquam intellecta fuerint, nec multitudini & numero Doctorum cedere velint. Male hanc methodum neglectam fuiſſe a Jurio contra Socinianos, qua ſola vinci poſſint: hac omiſſa, nullum fidei articulum ſartum & tectum retineri poſſe. Denique defendere ſatagit Epiſcopus, quæ *Lib. XV. de Variat.* Jurio objecerat, quod Socinianos pro membris univerſalis Eccleſiæ agnoviſſet; licet id *Epiſt.* X. *d.* 15. *Jan.* 1689. data, p. 231. & ſqq. ut magnam calumniam acerrime refutaverit. Negat tam paucos eſſe Socinianos, ut ob numerum exiguum (quo ſolo fere argumento a Jurio repelli eos

li eos dicit) ab Eccleſia excludi debeant: habere autem illos verbum Dei, quo, ex hypotheſi Juriana, prædicato, neceſſario ſequatur aliquorum converſio, ſive electorum ab infidelibus ſeparatio & detectio. Sed hoc litigium ſine collatione eorum, quæ ab utroque ſcripta ſunt, aut ſine tædioſa prolixitate difficulter explicari poteſt. Epilogus exordio reſpondet, gravem continens adhortationem, ut a ſchiſmate recedant Proteſtantes, nec præſenti fidant tempori, quo potentiam illorum in majus, quam unquam, auctam eſſe putat: ita tamen, ut intus nihilo meliorem, imo miſerrimum illorum cœtum eſſe judicet, in quo magis magisque pateat doctrinæ infirmitas, diſſolutio & contradictio, accedentibus etiam fabulis, falſæque prophetiæ illuſionibus. Sperat itaque fore, ut a Deo omnia illorum conſilia & auſa confundantur, & licet tot victorias, quot falſi prophetæ ſui prædixerint, obtineant, eos tamen nihil futuros aliud, quam cœtum errantem, ſucceſſu ebrium & profana ſpe excœcatum. Quæ & ejus generis alia, in *charos*, quos Proteſtantes ſalutaverat, *fratres* effuſa, num ſatis quadrent, aliorum eſto judicium.

VITA REGINALDI POLI CARDINALIS & Cantuarienſis Epiſcopi:

item

Diſceptatio ſuper dignitate & magnitudine regnorum Britanniæ & Galliæ, habita ab utriusque Legatis in Concilio Conſtantienſi.

Londini impenſis Jacobi Adamſon A. 1690. in 8. plag. 14.

Duo opuſcula hoc volumine continentur. Prius eſt Vita Reginaldi Poli Cardinalis; quam *Ludovicus Bacatellus* Archiepiſcopus Raguſinus, ejusdem familiaris & plurimarum rerum ab ipſo geſtarum oculatus teſtis, hoc ordine conſcripſit, ut a ſplendidis natalibus exorſus, indeque ad inſtitutionem, dignitates, legationes, & reliquum vitæ curriculum ejusque terminum progreſſus, poſtremo loco corporis habitum, ingenium & mores, nonnulla acute & facete

facete dicta, ſcripta edita & inedita, ſingularem devotionem, & quibus amicis familiarius uſus fuerit, exponat. Hanc Poli vitam a Bacatello literis mandatam, *Andreas Dudithius* Tininienſis Epiſcopus ex Italico ſermone in Latinum traduxit, & A. C. 1563 Venetiis imprimi curavit. Sed ob exemplarium raritatem Typographus, cujus nomen in titulo expreſſimus, ſe rem neque aliis ingratam, neque ſibi damnoſam facturum exiſtimavit, ſi commentarium iſtum, etſi ab homine Pontificio & Reformatis minus æquo ſcriptum, lectu tamen non indignum prælo ſubmitteret, & eruditis notiorem redderet.

Huic Poli vitæ adjuncta eſt acerrima diſceptatio ſuper dignitate & magnitudine regnorum Britannici & Gallici, inter utriusque oratores in concilio Conſtantienſi agitata, quam ex actis concilii Conſtantienſis in ipſa urbe Conſtantienſi aſſervatis *Robertus Wingfeldius* eques auratus, Henrici VIII Anglorum Regis ad Maximilianum Imperatorem legatus deſcribi, & Lovanii A. C. 1517 in lucem publicam emitti curavit, etſi a conciliorum collectoribus in actis concilii Conſtantienſis hucusque neglecta fuerit. Subjecta ſunt novæ huic editioni additamenta quædam & emendationes, ex codice quodam MSC. quem bibliotheca Collegii S. Trinitatis, quod Cantabrigiæ eſt, ſuppeditavit, cum opuſculum hoc prælo jam exiiſſet, nec integrum amplius eſſet in ipſo textu vel errata corrigere, vel omiſſa ſupplere.

ANTIQUA LITERARUM MONUMENTA Autographa Lutheri aliorumque celebrium virorum, ab A. 1517. uſque ad annum 1546, reformationis ætatem & hiſtoriam egregie illuſtrantia, in Sereniſſimi Principis ac Domini, Domini RUDOLPHI AUGUSTI, Brunſvicenſium ac Luneburgenſium Ducis Bibliotheca manuali Brunſvigæ recondita.

Brunſvigæ, ex officina Zilligeriana A. 1690. in 8. plag. 33.

S*ereniſſimi Principis*, cujus excelſo nomine titulus libelli decoratur, cujusque auſpiciis prodit, laudes præconio noſtro longe majores agnoſcimus, neque his pagellarum anguſtiis co-

arctandas. Inſtitutum tamen *Sereniſſimæ Celſitudinis Ejus* conſiderantes, non poſſumus non Salomonis, ſapientiſſimi Regum, ac Principum recordari, qui I. Reg. IV, 33. *diſputavit ſuper lignis, à cedro, quæ eſt in Libano, uſque ad hyſſopum, qui egrediebatur de pariete.* Minima ſcilicet non minus ac media & maxima complectebatur, modo ad Dei gloriam & hominum inſtructionem differi aliquid de iis poſſet. Sequitur Princeps ſapientiſſimus & pientiſſimus exemplum ſe dignum, & poſtquam in maximis negotiis & curis, bello & pace, quid ingenio, prudentia & virtute valeret, demonſtravit, illa quoque non negligit, quæ profanis quidem mentibus deſpicatui ſunt, ſed non parva in oculis Dei, & ex hujus diſciplina ſapientibus. Huc certe pertinet, quod ut Autoris eruditiſſimi, qui edendo hoc libro occupatus fuit, verbis (p.515.) utamur, *ex fullonis & pannificum officinis, ex aromatopolarum ſchedis, ex popinarum cereviſiariarum fumo lutoque, ex ſqualore denique loculorum librariorum, ab uſu adituque quotidiano remotiſſimorum*, eripi ac liberari curavit magnam librorum copiam frivole & ingrate neglectorum, eaque in bibliothecam ſuam privatam (de hac enim, non vero de *Auguſta Guelpherbytana* ſermo hic eſt) tranſtulit. Neque tamen famæ ſuæ, quam egregiis factis dudum ad ſummum evexit, aut delectamento ſolum ſtudet, ſed ut ex libello hoc omnibus innoteſcit, publicæ utilitati theſaurum deſtinat, & acceſſum ad eum nemini denegat, qui illo ad Reipublicæ & Eccleſiæ commoda uti noverit. Publicatur nunc ſpecimen aut prodromus, in eorum, qui D. Lutheri libros amant & æſtimant, tum ſpeciatim in Viri celeberrimi gratiam (quam etiam hic ſumma cum veneratione agnoſcit) cujus Opus Hiſtoricum *de Lutheraniſmo* nunc in officinis urbis noſtræ ſub prælo ſudat. Continet igitur primus hic ſyllabus (quem alter, ut promittitur, mox ſequetur) ſcripta Lutheri, quotquot ab anno 1517, quo diſputare adverſus abuſus & errores Romanos cœpit, ad annum uſque 1546, quo obiit, edita ſunt, & inveniri potuerunt. Hæc *autographa* vocantur, quia curante & revidente ipſo Luthero typis excuſa ſunt, de quibus, ut ex adducto in præfatione (*p.24.*) teſtimonio probatur, faſſus eſt & monuit, his editionibus magis quam manuſcriptis ſuis fidendum eſſe, quia multa, quæ ſcribens præterviderat, aut erraverat (was er überſehen und unrecht gemacht) dum excuderentur, & reviderentur,

cor-

correxerit. Hanc igitur ob cauſam libelli a Luthero ipſo editi diligentius quam factum eſt, aſſervari debuiſſent, nō tantum, quod commodius legi poterant, quam in magnis, in quos poſtmodum redacti ſunt, voluminibus, ſed & quia genuini & ab interpolatione aut incuria, quæ compilatoribus tomorum dudum imputata eſt, ſecuri erant. Quod ſi aliquando de nova & emendata operum Lutheri editione cogitandum eſt, ut ſane Eccleſiarum noſtrarum utilitas exigere videtur, ad hos, veluti fontes, laudatiſſima magni Principis cura conſervatos, recurrendum eſt. Placuit autem *Celſitudini Ejus*, ut non ſola Lutheri ſcripta ſecundum annorum ſeriem digeſta, verum & aliorum iisdem annis edita, nec conſentientium ſolum, ſed & diſſentientium, tum diverſi argumenti quædam, ſed ejusdem temporis, in Catalogo hoc recenſerentur; quod ita candori Principis convenire videbatur, & hiſtoriæ majorem lucem conciliat. Æquiſſimum vero eſt, ut *Sereniſſimi Principis* deſiderio *p.27.* propoſito omnes qui poſſunt, obſequantur, nempe ut, *ſi quas habeant paris antiquitatis reliquias theſauro illi librario, poſteritati ſacro adjiciant, & cum cæteris ſervari & ornari permittant.* Invitabit quemlibet non ſolum deſiderii honeſtas, ſed & maxima Principis humanitas, qua (*p.524.*) officium eorum agnoſcitur, qui jam aliqua opuſcula *Celſitudini Ejus* obtulerunt. Notum præterea eſt, cui periculo ſubjectæ ſint clariſſimorum etiam virorum locupletiſſimæ Bibliothecæ, utque diſtracti, poſt illorum fata, libri aliquando in hæredes & emtores incidant, qui de illis haud melius judicant, quam gallus gallinaceus de reperta margarita. Orandus vero inprimis eſt Deus, ut Heroëm tantæ pietatis & ſapientiæ, quem inter columina Germaniæ omnes boni venerantur, perpetua & faſtigio ſuo digna proſperitate cumulet, in multos annos incolumem ſervet, &, quod Moyſes Iſraelitarum tribui, cujus progenitor auſpicatum nomen a felicitate acceptus erat, Deut. XXXIII, 25. ominatus fuit, concedat, ut *ſenecta ejus ſit, ſicut dies juventæ.*

DE COMMERCIO ET MERCATURA DIScurſus Legales, plerumque ad Veritatem editi ab Anſaldo de Anſaldis, *J.U.C. Patritio Florentino & in Romana Curia Advocato.*

Romæ, ex typographia Dominici Antonii Herculis, 1689. in fol. Conſtant plagulis 197.

Cum

CUm per experientiam edoctus fuerit Conſultiſſimus Autor, hodiernos Mercatores, relicta antiqua ſimplicitate, plerumque ſubtilibus nimis Juris apicibus inſiſtere, ad ſubterfugiendam maxime ſolutionem: hinc opportunum, nec inutile duxit, typis mandare Centuriam Diſcurſuum, non exiguam partem diſputationum, quæ in foro circa commerciorum materiam familiariter incidant, complectentium: præſertim cum videret, non ita multos extare, qui eandem practice digeſſiſſent; ut ſemetipſum ſæpius expertum ait, cum tales ſibi cauſæ orandæ, aut in ſcriptis deducendæ obvenerint: ubi nempe plus fere temporis inſumendum ſibi fuiſſe teſtatur, pro compilandis diſcurſibus & allegationibus (in quibus nempe, de rebus etiam minimis, pro moderno gentis ſuæ genio haudquaquam parcus eſt) in hujuscemodi materiis, quam quidem in aliis juris capitibus, utut de cætero *magis*, uti loquitur, *metaphyſicis ac profundioribus*, ut quæ fuſius, quam illæ, ab autoribus tractata reperiri ſoleant. Quamvis vero maluiſſet juſtum hac de re Tractatum, in ſuas quæſtiones & capita rite diſtributum, concinnare: tamen cum id nimium temporis ſibi expoſceret, a quo ipſum, cauſarum nempe patronum haud incelebrem, continua vitæ forenſis occupatio excludebat; ſatius putavit, hoc ſuum deſiderium per æquipollens quodammodo ſupplere, publicando nimirum præſentem Diſcurſuum faſciculum; utpote in quibus univerſam fere commercii & mercaturæ materiam contineri confidit. Proteſtatur etiam, ſeſe in edendis hiſce diſcurſibus plerumque ipſam potius veritatem, quam clientum ſuorum favorem ante oculos habuiſſe: ingenue præterea indicans, ſicubi aut in pronunciando Judex ab ejus opinione receſſerit, aut cauſa vel indeciſa manſerit, vel partium transactione ſopita fuerit. Cæterum negari nequit, in horum Diſcurſuum numero aliquos eſſe, qui non adeo directe, imo vix per conſequentiam Commerciorum materiam reſpiciant, ſed de aliis potius juris capitibus agant, uti ex inſpectione facile cuilibet patebit: cum tamen & horum non adeo multi ſint, iique reliquis elegantia non inferiores, facile Autori condonabit Lector, quod iis ad complendam centuriam adjectis, a potiori nihilominus denominationem fecerit. Atque hæc quidem de operis hujus ſcopo & methodo dixiſſe ſufficiet. Nihil ſupereſt jam, quam ut caſuum in Diſcurſibus his pertractatorum aliquos

quos ſpeciminis loco breviſſime excerptos adhuc communicemus. In duobus vero primis diſcurſibus, diſcrepantes unius caſus reſolutiones exhibentur: ſcilicet quæſtio fuerat, an ei, qui in ſui favorem conſcriptas literas cambii, in Sempronium, ſpe ſatisfactionis a Cajo nanciſcendæ, transportaverat, Cajo dein bonis lapſo, & re adhuc integra, necdum facta Sempronio ſolutione, jus eſſet *Giratam* ſuam, in hunc directam, revocandi, literasque in alium per indoſſationem transferendi? affirmativam defendit Autor in *Diſc. I.* Cum tamen contraria ſententia Rotæ Florentinæ Auditori placuiſſet, rationes ab eo deductæ communicantur ſubſequenti *Diſc. II.* In *Diſc. III. & IV.* late probatur, eum qui directas in ſe cambiales literas ſemel acceptavit, Traſſante licet mox poſt acceptationem foro cedente, non tamen ideo ſolutionem recuſare poſſe. At diverſus caſus eſt in *Diſc. V.* ventilatus, dum nempe conſtitit, Traſſantem jam ante factam ab altero acceptationem decoxiſſe: hic enim ad implementum literarum non teneri acceptantem, cenſuit Autor. In *Diſc. VI.* reſpondit, frumentum ſub hac conditione miniſtro alicujus venditum ac traditum, *ut ſi ejus qualitas domino forte non placuiſſet, remaneret ad computum venditoris*, cum poſtea per naufragium abſorberi contigiſſet, venditoris periculo periiſſe. *Diſcurſu XI.* deducitur, remiſſionem a majori creditorum parte debitori communi factam, utut non præjudicet hypothecariis, ſtringere tamen eum, qui bona debitoris alibi exiſtentia interim ſequeſtrari fecerat. *Diſcurſu XXIII.* diſceptatur, an Magiſtratus in ſubſidium teneatur de damno dato per incendium, ſubortum culpa domeſticorum cuſtodis ædium publicarum, ad deponendas merces e locis de peſtis contagione ſuſpectis advectas deſtinatarum? ubi negativam defendendam credidit Autor. *Diſcurſu XXXI.* explanat, eum qui pro adminiſtratore, jam ad certam ſummam reliquatore deprehenſo & confeſſo fidejuſſit, non ſimpliciter ad eam ſummam teneri, ſed tum demum, ſi diſpunctis accurate rationibus conſtiterit, tantum revera ab iſto deberi. *Diſcurſu XL.* ventilatur, an ſtatuto vigente, quod fœminas a ſucceſſione arceat, etiam comprehenſi credantur Judæi, ibidem mercaturæ gratia degentes & jure civitatis gaudentes, an vero illorum intuitu potius legis Moſaicæ diſpoſitio obtineat, fœminas ad hereditatem admittens? & poſteriori ſententiæ ſuum no-

 ſter

ſter calculum ibidem adjicit. Eosdem Judæos concernit etiam *Diſcurſus XLIII*, ubi diſquiritur, an iis in locis, ubi per privilegium Judæis conceſſum eſt, ut non niſi a propriæ nationis judicibus ipſorum controverſiæ dirimerentur, obtinere queat beneficium *Legis un. C. quando Imp. int. pup. & vid.* & ſtatuit Autor, ei non eſſe locum, adeoque Judæorum pupillos viduasve haud poſſe ad curiam Principis provocare. *Diſcurſu LII.* probatur, laudum ex jurato compromiſſo pronunciatum non ſubjacere reductioni ad arbitrium boni viri. In *Diſcurſu LXXIX.* habetur quæſtio, num is, qui acceptatas a ſe literas cambii ſolvere dein detrectat, hoc ipſo liberatus ſit, quod alius quiſpiam in honorem literarum (*per honore di lettera, ò di girata*) ſolutionem ſponte in ſe ſuſceperit: an vero ſolvens hic potius ipſum acceptantem una cum ſcribente vel girante obligatum ſibi retineat? & poſteriori huic opinioni noſter ſubſcribendum exiſtimavit. *Diſcurſu XCIV.* ſtatuitur, eum qui in fundo ſub haſta publica emto evictionem paſſus eſt, poſſe pro ſui relevatione agere adverſus poſteriores emtores aliarum rerum ejusdem debitoris, qui eidem creditori pretium perſolverunt; nulla licet ab evincente, aut ex intervallo demum impetrata jurium ceſſione. *Diſcurſu XCV* demonſtrat Autor, *Montiſtam*, ſeu creditorem Montium Pietatis, ſchedula crediti (qua ſcilicet deperdita, ex recepto more non fas eſt, libros Montium inſpicere aut ſolutionem expoſcere) poſt centum licet annos iterum reperta, non poſſe repelli, ſed ſalvum ei & ſortis & fructuum petitionem ſupereſſe: qua occaſione plura de natura Montium illorum adducuntur: de quibus ipſis fuſius etiam agitur in *Diſcurſu C.* Aliis diſcurſibus alia juris ac ſtatutorum capita explanata exhibentur. Sic v.g. *Diſcurſu IX.* agitur de jure Equitum Melitenſium naves Barbarorum deprædandi; *Diſcurſu X.* (qui Italico idiomate conſcriptus eſt) de jure Repreſſaliarum; *Diſcurſu XIII.* de ſtatuto Florentiæ, nullam in concurſu creditorum prærogativam hypothecariis concedente præ chirographariis; *Diſcurſu LX.* de emtione officiorum in aula Pontificia venalium, eoque nomine præſtanda evictione; *Diſcurſu LXX.* de contractu aſſecurationis, antiquis ſcriptoribus ignoto & non niſi a tribus circiter ſeculis adinvento ad facilitanda commercia; *Diſcurſu XCIX.* de contractu Vitalitio ejusque ob prætenſam læſionem revocatione: ut

alia

alia taceamus. Poſtremo loco Autor ſubjunxit generalem quendam Diſcurſum, varias materias mercaturam concernentes, & in præcedentibus nondum ſatis tactas, complectentem: ac totum denique opus locupletisſimo rerum & verborum indice concluditur.

JOHANNIS von Felde/ *CONSILIARII Anhaltini Intimi, Commentarius de Actionibus Realibus, editus ſtudio L. Joh. Wolf.* Roſenfeldts.

Francof. & Lipſ. apud Joh. & Frid. Lüdervvald, 1690 in 4.

Conſtat plag. 57.

EXtantiorem juris privati partem Actiones ſibi vindicare, easque inſtar centri ſeſe habere, ad quod ſinguli cujusque materiæ articuli ultimate declinent; vel ex curſoria artis hujus perluſtratione ſatis liquido conſtare videtur. Idcirco ſive anteriora, ſive recentiora ſpectemus tempora, ſingularem ſemper induſtriam Juris Interpretes certatim adhibuiſſe deprehendimus, ut in Actionibus ſtrictim recenſendis ac perſpicue exponendis, praxeos curſum planum magis & facilem redderent. Atque in hoc ipſo ſtadio felici prorſus cum ſucceſſu decurrit Illuſtris Dn. a Felde, dum commentarium hunc more ſuo, i. e. ſolide elaboratum ſiſtit. Expoſitas in eo habemus Actiones Reales, quæ ſicuti reconditæ magis naturæ, quam actiones perſonales; ita majorem quoque ſolertiam in Interprete deſiderant. In tredecim capita Commentarius diſtribuitur, quorum priora quatuor generalia hujus materiæ exponunt, quandoquidem in iis diſſeritur 1. de cauſis & fundamento actionum civilium, damno nimirum ſeu læſione: 2. de æſtimatione damni reſtituendi & lucri detrahendi, in correctione injuſti facienda: 3. de fructibus, uſuris & intereſſe: 4. de ſpeciebus actionum civ: in quo ipſo cap. actiones reales, perſonales, & in factum, connexione ingenioſa conſtringuntur, ex præſuppoſita videlicet læſione, quatenus ea vel ex jure vel facto cognoſcitur. Reſolvitur dehinc ipſarum Actionum tractatio in quatuor potiſſimum membra. Demonſtratur quippe 1. Injuſtum quod actione corrigendum. 2. Modus corrigendi.

3. Actoris

3. Actoris & Rei partes diſtincte explanantur, quatenus illi varia poſtulata & actiones ſemet offerunt; huic variæ rurſus exceptiones ex indole unius cujusque negotii deſcendentes ſuccurrunt. Quibus (4) adjungitur Officium Judicis, quale circa actiones iſtas eſſe debeat. Singulorum capitum ſummam preſſius ut exponamus, neceſſarium non arbitramur, ſiquidem actionum realium numerus & ordo ſatis notus. Indicaſſe ſufficiat illa capita, quæ materias ex moderno Jure depromtas perſpicue exponunt, & peculiari ea propter amœnitate pollere videntur. Hunc in cenſum veniunt c. 8. & 9. de revocatoriis actionibus feudi, & iis quæ deſcendunt ex Jure protimiſeos. c. 11. pars 1. & 2. de utilibus confeſſoriis & negatoriis actionibus quæ circa regalia & jurisdictionem, & circa ſervitia ruſticorum dantur.

ELIÆ HENRICI HENCKELII, MEDICI Ordinarii Civitatis Alfeldenſis, de Philtris, eorumque efficacia ac remediis.

Francofurti impenſis Nicolai Förſteri. 1690. in 8.
Conſtat plagulis 7.

QUemadmodum Autor jamjam *Methodum cognoſcendi & curandi energumenos ſive aſtygio cacodæmone obſeſſos* nobis hoc anno p. 192. recenſendam dedit: ita hic e veneficiis ſeu morbis ab hominibus diabolo mancipatis per incantationem illatis, quos omnino dari magna autorum caterva ſtipatus adverſus negantes aſſeverat, Philtra nunc pariter luſtranda exhibet. Denominatione horum expoſita, omnium primo inventionem Perſis atque Chaldæis, veluti primis Magiæ cultoribus, ad quam infamem Philtra ſpectent, adjudicat, idq; eo probabilius, quod Græci amatoria maleficia a Babyloniis didiciſſe in Pharmaceutria Theocriti ferantur. Hinc ut de natura & efficacia Philtrorum, furorem magis, quam amorem concitantium, conſtet, tum materiam eorum, modumque conficiendi, tum pathemata varia loco ſignorum, quæ de aſſumpto teſtentur philtro, commemorat, v. g. totius corporis horrorem, diſpnœam, ſyncopen, ophthalgiam, cum omnium membrorum laſſitudine, inſignes ventriculi & inteſtinorum lancinationes, cum immoderata vitioſorum humorum, imo ſæpius

Digitized by Google

ſæpius rerum abſurdarum rejectione conjunctas, contabeſcentiam, melancholiam & maniam, cruſtam denique denſiſſimam, qua non nemini a philtro corpus undique obtectum perhibetur, ut ſex integris hebdomadis perdius pernoxque ſtare habuerit neceſſe. Quibus ſymptomatis naturaliter commovendis licet multa philtra prorſus inefficacia videantur, ſaltem ut ſymbolum e dæmonis conſtituto valentia, nihilominus ubi affligunt, potiorem partem ex depravata humorum diatheſi, a vaporibus imprimis nonnullorum philtrorum vel corrumpendo, vel fermentando operantium, inducta mox deducuntur, atque naturalis philtrorum virtus certi individui amorem conciliandi prolixe impugnatur, Helmontiique & aliorum eandem aſſerentium rationes expunguntur. Alia inter, quæ interſperſa habentur, & modus p.43. occurrit, quo Judæi in incendiis reſtinguendis uti ſoleant, e manuſcripto Judæi cujusdam libello ab Autore exſcriptus. Tandem peſſimorum ab amatorio poculo excitatorum affectuum prognoſi & medendi methodo, emeticis, diaphoreticis & ſpecificis remediis perficiendæ, duæ ſubjiciuntur quæſtiones, quarum prior: *an in veneficio illato, ubi incaſſum omnia adhibita, ab ipſo maleficii Autore ſanitas petenda veniat.* Quod prorſus negatur, niſi absq; ullo novo maleficio, mediis naturalibus iisque ſine ſuperſtitione uſurpatis, morbum ab eodem propelli poſſe certum ſit, cum nonnullæ mancipiorum quoque diaboli curationes in cauſis naturalibus videantur fundatæ. Altera quæſtio eſt: *an philtra a maleficis ligata, inſuta aut ſuppoſita, ſpe conſequendæ ſanitatis ab homine Chriſtiano illæſa conſcientia deſtrui poſſint?* Quod affirmatur, quia deſtructo maleficio ægrotis illato dæmon libere a nocendo ceſſabit.

MERCURIUS IN SOLE OBSERVATUS

Anno 1690, d.31 Oct. ſt.vet.

QUæ magna expectatione ſuſpenſos tenuit Aſtronomorum animos Solis & Mercurii conjunctio, pridie Kalendas Novembris nuper celebrata; non minori lætitia obſervatores perfudit, quibus, cœlo favente, Mercurius ſub diſco Solis tum viſus fuit. Nec enim eousque calculos Aſtronomorum eluſit hic Erro, ut vel Solem penitus prætervcheretur, vel eidem illo tempore ſubtercurreret,

reret, quo Sol toti Europæ noſtræ ſub Horizontem eſſet conditus. Quanquam ergo memorata Conjunctio aliquanto antevertit calculum Riccioli, & adhuc longius Rudolfinas Tabulas; ut ipſum intimæ conjunctionis momentum (quantum quidem adhuc nobis compertum eſt) obſervatum non ſit; Warſaviæ tamen, prope Lipſiam, Erfordiæ & Norimbergæ, Mercurium ante ſuum ex Sole diſceſſum obſervatum eſſe, amicorum literis cognovimus; ſperamusque propediem hinc inde conſimilium nobis obſervationum copiam factum iri. Interim dum quæ ad hujus phænomeni hiſtoriam & calculum pertinent, adornemus, ejus præguſtum veluti Aſtrophilis præbendum eſſe cenſuimus; ab humanitate illorum viciſſim expectantes, ſi quibus circa hujus inſignis Conjunctionis obſervationem deprehenſum quid fuerit, quod omnes publice ſcire Aſtronomiæ interſit.

LIBRI NOVI.

Hiſtoria VVeſtphaliæ: auctore Nicolao Schaten Soc. Jeſu. Neuhuſii 1690. fol.

Faſciculus rerum expetendarum & fugiendarum, prout ab Orthuino Gratio editus eſt Coloniæ A. 1535: una cum Appendice ſive Tomo II Scriptorum veterum, qui Eccleſiæ Romanæ errores & abuſus detegunt &c. Opera & ſtudio Edvvardi Brovvn. Londini 1690. fol.

Cenſura celebrium Authorum, ſive Tractatus in quo varia variorum doctorum de clariſſimis cujusque ſeculi Scriptoribus judicia traduntur. Omnia collegit Thomas Pope Blount. Londini 1690. fol.

Some Remarks upon the Eccleſiaſtical Hiſtory of the ancient Churches of Piedmont: by P. Allix, D.D. London 1690 in 4.

Bishop Overall's Convocation-book, concerning the government of God's Catholick Church and the Kingdoms of the vvhole VVorld. London 1690. in 4.

Geologia: Or a Diſcourſe concerning the Earth before the Deluge; by Eraſmus VVarren. London 1690. in 4.

A Scholaſtical Hiſtory of the primitive and generale uſe of Liturgies in the Chriſtian Church: by Thomas Comber D.D. London 1690. in 8.

The Jeſuit's Memorial for the intended Reformation of England: VVith an Introduction and ſome Animadverſions by Edvvard Gee. London 1690 in 8.

A Vindication of the Doctrine of the Holy and Ever Bleſſed Trinity, and the Incarnation of the Son of God; by VVilliam Sherlock D.D. London 1690. in 4.

Miſcel-

Digitized by Google

Miſcellanea: authore Thoma Smith. Londini 1690. in 8.

Praxeos Mayernianæ in morbis internis præcipue gravioribus & chronicis Syntagma. Londini 1690. in 8.

Hiſtoire de l'Etabliſſement des François Refugiez dans les Etats de Son Alteſſe Electorale de Brandebourg. A Berlin. 1690. in 8.

Diſcours de Mr. Menage ſur l'Heautontimorumenos de Terence. A Utrecht 1690. in 8.

Adami Rechenbergii de Studiis Academicis Liber ſingularis. Lipſiæ 1690. in 12.

Johannis Hoornbekii Socinianiſmi confutati Compendium, ipſiſmet Cl. Autoris verbis concinnatum. Lugd. Batav. 1696. in 12.

Oeuvres Poſthumes de Mr. Rohault. A la Haye 1690. in 12.

INDEX

AUCTORUM AC RERUM.

I. *Theologica & ad hiſtoriam eccleſiaſticam ſpectantia.*

ANtiqua Monumenta, Autographa Lutheri &c. ab A. 1517 ad 1546, in Sereniſſimi Principis ac Domini, Dn. Rudolphi Auguſti Brunſ. & Luneb. Ducis Bibliotheca manuali recondita 601

Val. Alberti *Auguſtana Confeſſio, thetice ac apologetice contra Johannem Dez Jeſuitam conſcripta* 26

Anonymi *Religio Jeſuitarum, contra Menetrerium & Tellerium* 99

Antonii Arnaldi *Defenſio eccleſiæ contra Joh. Claudium.* 17

Practica moralis Jeſuitarum T. III. 381. 442

Secunda denuntiatio hæreſeos de peccato philoſophico 329

Tertia denuntiatio hæreſeos de peccato philoſophico 502

Hæreſis impia adverſus præceptum de DEO amando 580

Jac. Baſnagii *hiſtoria de religione eccleſiarum Reformatarum* 392. 472. 517

Mich. Baumanni *analecta allegorica* 17

Joh. Bompartii *parallela ſacra & profana* 58

Jacobi Benigni Boſſueti *explicatio difficultatum in precationibus Miſſæ* 1

Ejuſdem *Prima admonitio ad Proteſtantes ſuper epiſtolis Jurii contra hiſtoriam de variationibus* 609
Florentii de Bruyn *harmonia Evangeliſtarum* 561
Gilberti Burneti *animadverſiones in hiſtoriam eccleſiarum Proteſtantium Epiſcopi Meldenſis* 276
Antonius Bynæus *de natali & circumciſione J.Chriſti* 115
Guilielmi Cave *Scriptorum eccleſiaſticorum hiſtoria literaria* 75
Henr. Dodvvelli *Diſſertationes in Irenæum* 547
Ogerii Libani Erberg *defenſio cenſurarum Innocentii XI adverſus P. Matthæum Moyam* 313
P. Fayi *Diſſertatio, utrum Imp.Philippus Chriſtianus fuerit?* 492
Germani *Traditio eccleſiæ Romanæ de Gratia.* Tomus III. 337
G.H.H. *Dezius ſuo gladio jugulatus.* 198
Joh. Franciſci Hacki *regia via* 138
Matthiæ Honcamp *S.Scripturæ & SS.Patrum apologia* 600
R. Abrahami Jagelis *Catechiſmus,Latinus ex Hebræo factus a Ludovico de Compiegne de* Veil 586
Du Jarry *judicium de miniſterio evangelico* 285
Joſippon, *ſive*, *Joſephus Gorionides* 301
Doctrinæ Auguſtinianorum circa quinque propoſitionum materiam Expoſitio, Alexandri VIII. R.P.judicio ſubjecta: refutata a Johanne ab Iſſelſtein 497
Thomas Ittigius *de Hæreſiarchis ævi apoſtolici & apoſtolico proximi* 304
Petri Keuchenii *annotatorum in N.T.* pars I. 514
Joh. Launoyi *epiſtola* 156
Melch. Leydekkeri *hiſtoria eccleſiæ Africanæ* 487
Chriſtiani Lupi *opuſcula poſthuma* 582
Johannis Mabillonii *muſei Italici* Tomus II. 291
Joh.Henrici Maji *Diſſertationes quatuor de Scriptura ſacra* 590
Joh. Friderici Mayeri *muſeum Miniſtri Eccleſiæ* 478
Antonii Pagi *Critica in Annales Baronii* 369
Johannis Pearſonii *expoſitio Symboli Apoſtolici* 541
Richardi *examen præjudiciorum a D.P. Jurio eccleſiæ Romanæ oppoſitorum* 565. 608
Samuelis Schelguigii *de concilio Gangrenſi exercitatio* 542
Sebaſt.

Digitized by Google

Sebaſt. Schmidius *in poſteriorem Samuelis* 153
in epiſtolam ad Galatas 490
Richardi Simonis *hiſtoria critica verſionum N.T.* 91.129
Philippi Jacobi Speneri *Hodoſophia Johannis Conradi Dannhaueri in tabulas redacta* 456
Abbatis de T. *hiſtoria eccleſiaſtica Japoniæ* 173.239
Johannes Vlak *de DEI operum & pacis fœderibus atque de juſtificatione* 249
Chriſtfridi Wæchtleri *epiſtola ad Mauritium Henricum L. B. a Miltiz, contra Joh. Spencerum* 182
Chriſtophori Wittichii *Anti-Spinoza* 345

II. *Juridica.*

Anonymi *leges civiles ad nativum ordinem redactæ* 147
Anſaldi de Anſaldis *Diſcurſus Legales de Commercio & Mercatura* 603
Joh. Bechtoldi *Loci Communes, emendati ab A.C.* Rœſenero 89
Franciſci Bordoni *opera varia* 35
Philippi Caſtaldi *conſultationum forenſium* Volumen II. 44
Joh. von Felde *Commentarius de Actionibus realibus* 607
Jodocus Hackmannus *de Jure aggerum* 209
Joh. Chriſtoph. Heroldi *illuſtres obſervationes* 74
Ulrici Huberi *prælectionum Juris Romani* Pars III, *quæ eſt ad libros XXXI poſteriores Pandectarum* 507
Wolfgangi Adami Lauterbachii *collegium theoretico-practicum* 366
Andreas Chriſtophorus Rœſener *de reſervatione juris competentis* 477
Ejusdem *ſupplementum Bechtoldi* 90
Hieronymi de Roſis *ſelectæ Juris obſervationes* 303

III. *Medica & Phyſica.*

Anonymi *Oſteologia* 134
Joh. Conradi Barckhauſen *ſynopſis pharmaceutica* 513
Joh. Joach. Becheri *tripus Hermeticus* 83
Steph. Blancardi *theatrum erucarum* 55
Gualterus Harris *de morbis acutis infantum* 296

Digitized by Google

Eliæ Henrici Henckelii *methodus cognoſcendi & curandi energumenos* 197
De Philtris eorumque efficacia & remediis 608
Chriſtiani Hugenii *tractatus de lumine* 481.561
Mery *obſervatio de milite internas corporis partes inverſo ordine ſitas habente* 405
De Meuve *dictionarium pharmaceuticum* 186
Johannis Muys *praxis chirurgica rationalis. Decades VI. & VII.* 355
Antonii Nuck *Sialographia* 297
Felicis Paſſeræ *theſaurus arcanorum pharmaceuticorum* 216
Auguſti Quirini Rivini *introductio generalis in rem herbariam.* 265
Ordo plantarum, quæ ſunt flore irregulari monopetalo 267
Wolferdi Senguerdii *inquiſitiones experimentales* 137
Joh. Jacobi Waldſchmiedt *praxis medicinæ rationalis ſuccincta per caſus tradita* 558
Jacobi Wolff *ſcrutinium amuletorum* 161

IV. *Mathematica.*

Anonymi *nova elementa Geometriæ* 328
Jacobi Bernoullii *obſervatio de inventione lineæ deſcenſus a corpore gravi percurrendæ uniformiter, &c.* 217
quæſtiones de uſuris 219
Caroli Mariæ Carafæ, *Buteræ, Roccellæ & S. R. I. Principis, exemplar horologiorum ſolarium civilium* 618
G. G. L. obſervatio de cauſſa gravitatis, & defenſio ſententiæ ſuæ de veris naturæ legibus, contra Abbatem Catelanum 228
Ejusdem *ad ea, quæ J. Bernoullius menſe Majo publicavit, reſponſio* 358
Jobi Ludolffi *tetragonometria tabularia* 57
Dionyſii Papini *examen ſiphonis Wurtembergici* 223
Nova methodus ad vires motrices levi pretio comparandas 410
Salom. Reiſelii *Sipho Wurtembergicus* 142
Joh. Scarleti *dubia circa inventum Dion. Papini de inſtrumentis ad flammam ſub aqua conſervandam* 531
Joh. Chriſtophori Sturmii *epiſtola de Helio- & Seleno-cometis* 65

D. T.

Digitized by Google

D. T. *methodus curvas determinandi, quæ formantur a radiis reflexis, quorum incidentes ut paralleli conſiderantur.* 68
Curva geometrica, quæ ſeipſam ſui evolutione deſcribit 169
Johannis Jacobi Zimmermanni *exercitatio theoricorum Copernico-cœleſtium.* 258

V. *Geographica & Hiſtoriam profanam concernentia.*

Anonymi *hiſtoria Guilielmi I. Principis Auriaci* 47
Anonymi *religio & libertas Angliæ per Principem Orangii reſtituta* 52
Anonymi *demonſtratio, quod interſit Galliæ, ut Edictum Nannetenſe redintegretur* 126
Claudii Arrhenii *Oernhielmii vita Ponti de la Gardie* 187
Octaviani Bulgarini *vita Dominici de S. Thoma Ottomani* 601
Johannis de la Caille *hiſtoria typographiæ & bibliopoliorum* 67
Guil. Grotii *vita JCtorum* 408
Gisberti Hoolkii *vita Eduardi VI. R. Angliæ* 544
Jacobi Wilhelmi Im Hoff *Regum Parumque Magnæ Britanniæ hiſtoria genealogica* 268
Danielis Caſpari a Lohenſtein *Arminius.* Tomus II. 271
Georgii Lohmeieri *regnorum Europæorum hiſtorico-genealogica illuſtratio* 152
Oudaani *ſupplementum ad hiſtoriam Fœderati Belgii numiſmatibus a* Bizoto *illuſtratam* 537
Polyæni *ſtratagemata, ex editione Pancratii* Maaſvicii 545
Antonii Wilhelmi Schovvarti *obſervationes hiſtorico genealogicæ* 354
C. Suetonius *Tranquillus cum commentario Samuelis* Pitiſci 480
Joh. Weichardi Valvaſor *Baronis gloria Ducatus Carniolæ.* Tom. II. III. IV. 105

VI. *Philoſophica & Philologica miſcellanea.*

Benedicti Accolti *Aretini Dialogus de præſtantia virorum ſui ævi* 510
Anonymi *philoſophia Principum* 161
Anonymi *theoria artis armamenta navium rite gubernandi* 388
Angelicus Aproſius. *Vide infra* Villanius.

Adriani

Digitized by Google

INDEX AUCTORUM ET RERUM.

Adriani Bailleti *ſatyra perſonarum* 202
Thoma Bartholini *antiquitatum Danicarum lib. II. & III.* 27
Johannis Bœdikeri *leges fundamentales linguæ Germanicæ* 467
Abbatis de Bretteville *eloquentia cathedraria & forenſis* 193
Joh. Ciampini *vetera monimenta, præcipue muſiva* 414
Andreæ Chriſtiani Eſchenbachii *notæ in Orpheum* 98
Michael Faucherius *de actione oratoria* 368
Anton. Fureterii *dictionarium Gallicum* 321
Servatii Gallæi *notæ in Sibyllina oracula* 62
Auguſtus Adolphus ab Haugvvitz *de Regni & Aulæ Mareſchallis* 544
Petri Danielis Huetii *cenſura philoſophiæ Carteſianæ* 8
Pancratii Maaſvicii *notæ in Polyænum* 545
Georgius Manckenzeus *de humanæ rationis imbecillitate* 365
Henrici Noris *annus & epochæ Syro-Macedonum* 425
Orpheus, *cum notis A. C.* Eſchenbachii 98
Caroli Patini *commentarius in cenotaphium M. Artorii medici* 361
Samuelis Pitiſci *commentarius in C. Suetonium Tranquillum* 480
Joh. Ludov. Praſchii *Diſſertatio altera de origine Germanica Latinæ linguæ* 464
Epiſtola Gallica, cum notis Petri Richeleti 281
Gaudentii Roberti *miſcellanea Italica erudita* 585
Sibyllina *oracula, ex editione Servatii* Gallæi 62
Phil. Jacobi Speneri *Inſignium theoria* 449
Thomæ Magiſtri *ſelectæ dictiones Atticæ* 439
Larva detracta centum itemque quinquaginta ſcriptoribus anonymis a Johanne Petro Jacobo Villanio *Senenſi, hoc eſt, ut ex* Diario Parmenſi *didicimus, Angelico* Aproſio, *Albintemelienſi. Nam ſub anagrammate*: Gio. Giacom. Pietro Villani Senenſe *latet* Angelico Aproſio Ventimiglienſe 363
Gerardi Johannis Voſſii *epiſtola* 575
Georgii Henrici Urſini *onomaſticon Germanico-Græcum* 468
Chriſtiani Weiſii *quæſtiones politicæ.* 407

Errata.

Pag. 383. l. 22. lege *Matthæus Riccius*, pag. 511. l. 12. pro *concocta*, lege *concreta*.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Österreichische Nationalbibliothek
+Z165785805
Digitized by Google

Digitized by Google